



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

De Conversatione Apostolica A Curatoribus Animarum piè & fructosè
instituenda - Complectens vatios & solidos modos juvandi & consolandi
diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas

Lohner, Tobias

Dilingae, 1677


[urn:nbn:de:hbz:466:1-48248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48248)





Th. 2829³.

J. XIV. 59.









INSTRUCTIO
PRACTICA
TERTIA
DE CONVER-
SATIONE
APOSTOLICA

*A Curatoribus Animarum piè & fru-
ctuosè instituenda.*

Complectens varios & solidos modos juvandi &
consolandi diversorum Statuum Personas af-
fictas, præcipuè ægras & captivas.

AD TIRONUM SACERDOTUM
*potissimùm utilitatem atque instructionem ex varijs
Authoribus collecta, & publicæ luci data.*

à

R. P. TOBIA LOHNER,
SOC. JESU SACERDOTE

Editio secunda, & haud paulò auctior.

*Cum Gratia, & Privilegio Sacræ Cæs. Majestatis,
Et facultate Superiorum.*



Socijs

Jesu

D I L I N G Æ

Typis & Sumptibus JOANN. CASPARI BENCARD,
Bibliopolæ Academici.

Per JOAN. MICHAELEM SPÖRLIN.

Anno M. DC. LXXVII.

INSTRUMENTO
PRAETICA
TERTIA

DE CONVER- SATIONE

APOSTOLICA

ACQUAVIVA

...

...

...

...

...

...

...

*ADMODVM REVERENDO,
NOBILI, ET CLARISSIMO DOMINO*

MICHAELI RUEPRECHT,
SS. THEOL. ET SS. CAN. DOCTORI,
REVERENDISSIMI AC CELSISSIMI
PRINCIPIS AC EPISCOPI AUGUSTANI
Consiliario, nec non inclytæ Collegiæ Ecclesiæ
D. Petri Dilingæ Decano & Parocho, ac
Ruralis Capiruli Decano.

*ADMODUM REVERENDO, NOBILI
ET CLARISSIMO DOMINO*

GEORGIO LOHR,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORI,
PAROCHO ET DECANO
LAVINGANO.

*ADMODVM REVERENDO, NOBILI,
ET CLARISSIMO DOMINO*

JOANNI CASIMIRO RÖLS,
SS. THEOL. DOCTORI, PAROCHO
ET DECANO DONAWERDANO.

Admodum Reverendo, & Spectatissimo Domino
M. GEORGIO BAURSCHMID, PA-
ROCHO ET DECANO HÖCHSTADIANO.

Admodum Reverendo Prænobili & Spectatissimo D.
ALBANO ONUPHRIO SINGHERR
DE SINGHERN, PAROCHO HOLZ-
HEMENS, ET DECANO WERTTINGANO.

Dominis meis Colendissimis & Observandissimis.

EPISTOLA

Inter laudabiles, quas Magistri in tradendis Artibus suis adhibere consueverunt, industrias, ea semper non postrema mihi est visa, quâ traditas à se regulas, ut altiùs mentibus Discipulorum imprimant, exemplis ad earum amussim peritissimè fabricatis conantur illustrare, non ignari videlicet, validiora esse exempla, quàm verba, & plenius, efficaciusque opere doceri, quàm voce, cum non difficile æstimetur, quod jam factum conspicitur, ut sapienter Sanctissimus Præsul Ambrosius advertit. Atque hæc nempe (ut plures alias, ac privatas rationes præteream) præcipuè causa me impulit, ut libellum hunc, saluberrimas de modo fructuosè cum Proximo conversandi doctrinas complectentem, sub Vestris potiùs, quàm alterius cujusquam auspicijs in lucem prodire, typisque mandari voluerim. Cum enim easdem doctrinas, non nudè duntaxat simpliciterque propositas, verùm etiam in vivo quodam ac genuino exemplari dilucidè expressas proponere cuperem, in meipso verò velut Discipulo ejusmodi ideas non invenirem, hoc unum supererat, ut easdem à veteranis quibusdam, atque in hac ipsa Arte exercitatissimis Magistris emendicaretur : nec verò ijdem diu mihi

quæ-

DEDICATORIA.

quærendi fuerunt; nam dum Zelum, dexteritatemque vestram in instruendis, animandis, consolandis, & curandis ovibus vestris planè singularem, quam ob longam vobiscum consuetudinem intimè perspectam habeo, animo repetere, usque adeò doctrinas, quas in præsentem libellum ex variorum Authorum libris, instructionibusque selectas congeffi, ad vivum expressas & adumbratas reperi, ut meritò DD. VV. velut pulcherrimas Artis hujus Ideas fronti ejusdem præfigere, illaque sacræ paginæ verba: *Aspice, & fac secundum Exemplar, quod tibi monstratum est*: subjungere me posse existimarem. Patiamini ergo, Viri Clarissimi & Honoratissimi, ut memorata Vestra in Proximis juvandis, consolandisque dexteritas, charitasque, quàm hæcenus non nisi propriæ Vestræ, eaque paucæ expertæ sunt oviculæ, deinceps per libellum hunc pluribus propofita ac deprædicata, in plurium quoque solatium cedat ac emolumentum. Hanc unicam sanè exhibiti per has paginas honori Vestro, nominique dedicatas obsequij vicissitudinem expeto, & exspecto, ut & tenue hoc mei erga Vos affectûs & observantiæ argumentum benevolo, ut offertur, animo accipiatis, & doctrinarum à me in libello isto traditarum usum, praximque sedulam, quam

EPIST. DEDICAT.

ipsi hætenus tanto multorum solatio, fructuque
constanter tenuistis, etiam subjectis Vestris Sa-
cerdotibus autoritate Vestra atque exemplo, si
videbitur, commendetis; quod quidem tantò
audaciùs à Vobis peto, quantò meliorem hæc ra-
tione Vobis occasionem offerri video, ut, quos
Zelosis Vestris adhortationibus, exemplisque
præclaris præsentibus semper instruere, animarè-
que pro voto non potestis, per doctrinas hæc,
regulàsque, velut effigiem Vestram in libello
hoc clarissimè expressam, absentes erudiatis, &
excitetis. Interea, ut DEVS Ter Optimus DD.
VV. in suam majorem Gloriam, in insigne Ec-
clesiæ Catholicæ incrementum, & Ovium sua-
rum optatissimum solatium diu sospites & inco-
lumes conservare, & manipulorum tam spiri-
tualium, quàm temporalium copioso proven-
tu benedicere ac recreare dignetur, ex animo
voveo, precòrque Dilingæ Calendis Februa-
rij, Anno M. DC. LXXVII.

DD. VV.

*Infimus in Christo, &
addictissimus servus*

TOBIAS LOHNER S. J.



P R O O E M I U M.

Gratia conversandi cum Proximo est singulare quoddam donum gratis datum, & à concionandi talento multum distinctum, quo per privata colloquia spiritualia Homines ad DEVM reducuntur; estque hoc donum merito permagni semper aestimatum ab Apostolicis viris, utpote quod multas ob causas paulo post infra referendas majorem longè, quàm ipsæ etiam Conciones utilitatem ac efficaciam affert ad animas DEO lucrandas, uti exemplo suo præclarè Zelosissimus & laudatissimus Societatis nostræ Operarius P. Petrus Faber confirmavit, de quo sic loquitur Nicolaus Orlandinus l. 9. Hist. Soc. Dicebat interdum ad Populum, sed in congressu, familiarique colloquio vis major. In hoc ille ponebat omnia, in hoc hærebat, & habitabat. Hinc, ut idem Author l. 3. n. 29. testatur, nullas prætermittebat occasiones serendæ pietatis. Indagabat vias omnes omnibus consulendi, & quocunque ingrediebatur, omnem sermonis occasionem intentâ mente captabat: quin intempestivæ se nonnunquam taciturnitatis accusans, cujus vitio plurima saltem bona fieri desinerent, quæ facta ab Homi- nibus salutem parerent, statuit in posterum accuratiùs interiori parere voci, & monentem spiritum exaudire. nunquam ut verbo parceret, sed in omni congressu atq; convictu curaret, quæ singulis diceret, & quemadmodum unumquemque moneret, ut, quisquis se ei jungeret, quasi è salis tactu æternæ vitæ sapore condiretur. Bellissimum quippe dicebat esse, & omnibus curam alienæ salutis gerentibus proprium, relinquere in omnibus do- mibus,


P R O O E M I U M.

mibus, quò divertunt, vestigium aliquod sanctitatis. Ubique colligendum, cum debitores sint omnibus, & ubique eos spectet DEVS, cujus ipsi Famuli atque Administratores existunt.

Unde meritò ad hanc artem addiscendam totis viribus incumbere debent omnes ij, qui & ipsi aliquando curam Animarum suscipere decreverunt. Quia verò Ars ista ob multa, quæ in ea exercenda plerumque intervenire solent, impedimenta & pericula per se satis difficilis est, atque adeò non nisi longâ experientiâ, aut certè præceptis per similem experiëntiam haustis addisci potest, operæ pretium futurum visum est, si, quæ Zelosissimi quique, expertissimique Animarum Curatores eum in finem nobis tradiderunt, præcepta in breve compendium redigerem, id quod præsentì libello efficere conabor, quem proinde in duas partes dividam, & priore quidem, quid ad Apostolicam Conversationem in communi requiratur, explicabo; in posteriore verò, quid circa varias Conversationes cum particularibus Personis ritè ac fructuosè instituendas observandum sit, paulò fusiùs demonstrabo. Faxit DEVS, ut, sicut labor hic ad DEI majorem gloriam, Animarumque salutem unicè dirigitur, ita doctrina in libello hoc contentæ ab Animarum Curatoribus non modò benevolè suscipiantur, sed studiosè etiam ad eundem finem efficacius, copiosiusque consequendum practicentur.

os) ? * * ? (so


PARS



P A R S I.

DE CONVERSATIONE
APOSTOLICA IN
COMMUNI.

DE hæc senæ potissimùm quæstiones resol-
vendæ sunt. 1. Quid, & quotuplex sit
Conversatio Apostolica. 2. Quàm fru-
ctuosa, atque ad animarum salutem pro-
curandam efficax sit. 3. Quomodo
instituenda sit. 4. Quibus instrumentis
ad eam ritè instituendam utendum sit. 5. Quibus moti-
vis excitandus sit zelus, seu fervor ad eam alacriter peragen-
dam necessarius. 6. Quæ impedimenta præcipuè impedi-
diant fructuosam Conversationem, & quomodo removenda
sint. Quæ omnes quæstiones sequentibus sex capitibus
paulò fusiùs resolventur.

C A P U T I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT CON-
VERSATIO APOSTOLICA.

Non est animus agere hoc loco de Conversatione latissi-
mè accepta, prout scilicet etiam profanam, seu ad po-
liticos fines tendentem Conversationem includit; sed de illa
duntaxat, quæ ad spiritualem animæ salutem ordinatur, & ab
Apostolicis viris, seu ijs, qui curam animarum susceperunt,
institutui consuevit, & rectè sic definiri videtur posse: *est mo-
dus agendi cum Proximo privatus, atque ad animæ salutem
procurandam ordinatus.* Cujus definitionis bonitas ex brevi
potiorum partium explicatione clariùs patebit. Dicitur
itaque primò. *Modus agendi;* quia, licet Conversatio potis-
simùm sermone perficiatur, interdum tamen etiam alias
actiones, v. g. auditionem, aliâque obsequia à sermone di-
stincta includit. Dicitur secundò. *Cum Proximo:* Ut ab
Instru. III. A Ora-

2 *De Conversatione Apostolica in communi.*

Oratione distinguatur, quæ modus agendi cum DEO rectius dicitur. Dicitur tertio. *Privatus*: Ut à Concionibus, Exhortationibus, & similibus actionibus, quæ publicè, & cum Communitate potius, quàm privatis Personis instituuntur, distinguatur. Dicitur quarto. *Ad salutem animæ procurandam ordinatus*: Ut profana & politica Conversatio excludatur, quæ ad recreationem duntaxat, vel alium naturalem, atque politicum finem ordinatur.

Atque ex hac definitione facilè quoque nunc responsio ad alteram quæstionis in titulo propositæ partem patet, quod duplex nempe sit Conversatio; cum enim varij sint fines particulares, ob quos Conversatio talis cum Proximo suscipitur, varias quoque species Conversationis oriri necesse est, quæ tamen ad senas ferè, velut præcipuas revocari possunt, quarum prima est *Visitatio amica*, quâ Personæ privatæ ad nullum propemodum alium finem, quàm ad conciliandam aut conservandam eorum benevolentiam, per quam facilè & expeditius animarum salus procuretur, visitantur, uti non raro Viri Apostolici cum magno fructu & lucro animarum facere consueverunt, quemadmodum infra in secunda parte ostenditur. Secunda est *Instructio Spiritualis*, quâ seu Fideles, seu Infideles in rebus ad animæ salutem pertinentibus instruuntur. Tertia est *Consolatio opportuna*, quâ Personæ internis afflictionibus oppressæ variis doctrinis & veritatibus supernaturalibus opportunè suggestis, aut certè in memoriam revocatis ad pristinam animi quietem, lætitiàmque reducuntur. Quarta est *Curatio Spiritualis*, seu *Conversio*, quâ vel inveterati Peccatores ad spem, & curam salutis suscipiendam excitantur, vel ij, qui graves inimicitias fovere sunt soliti, ad pacem & amicitiam cum Inimicis redintegrandam inducuntur. Quinta est *Captivorum*, sive ad carceris duntaxat penam, sive ad ipsum etiam mortis supplicium æquanimiter sustinendum *zelosa roboratio*. Sexta denique est *agrorum & moribundorum* ad morborum dolores ac modestias patienter sufferendas, aut ipsam etiam, si DEO visum fuerit, mortem piè ac Christianè obeundam *solida, prudensque dispositio*, de quibus singulis speciebus specialia, & perquam salutaria præcepta in secunda hujus Instructiois parte suggerentur.

CAPUT

CAPUT II.

QUAM FRUCTUOSA, ATQUE AD ANIMARUM SALVTEM EFFICAX SIT APOSTOLICA CONVERSATIO.

I. **E**tti non pauca, nec levia argumenta afferri possent ad utilitatem ac efficaciam Apostolicæ hujus Conversationis demonstrandam, nullum tamen ex ijs efficacius jure merito censeretur, quam si ostendatur, majorem ex illa, quam ex ipsis etiam Concionibus seu Verbo DEI prædicato fructum, utilitatemque reportari; cum enim tanta sit Concionum ad animos permovendos efficacia ac aptitudo, ut S. Paulus ad Hebræos c. 4. dicere ausus sit: *Verus est sermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum*; magnam sanè Conversationi Apostolicæ virtutem ac efficaciam inesse oportet, si ipsis etiam Concionibus efficacior, atque ad salutem animarum procurandam aptior esse demonstraretur; sic autem revera rem se habere, tum ipsa quotidiana experientia confirmat, tum sequentibus tribus rationibus non obscure ostenditur, ac probatur.

II. Nam primò à Concionibus multi per negotiorum, servitorumque occupationes, ut Famuli, Mercatores, Rustici; vel per corporis infirmitates ac miserias, ut ægri; vel per vinculorum potentiam, ac carceris claustra, ut captivi impediuntur, ad quos tamen omnes non difficilis est aditus per privatam Conversationem; unde ad hanc præcipuè referri potest illud Homini parabolici cœnam magnam apparantis mandatum, quo servo suo Luc. 14. dicebat: *Exi cito in plateas & vicus civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et iterum: Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.*

III. Secundò in Concionibus vix unquam materia singulorum Auditorum Genio ac necessitati applicari potest; & præterea non rarò etiam ea, quæ dicta sunt, non satis intelliguntur, quæ duo impedimenta in privata Conversatione minime reperiuntur; in hac enim, sicut cuivis concessum

4 *De Conversatione Apostolica in communi.*

cessum est, suam necessitatem & ignorantiam sine rubore explicare, &, quæ non sufficienter intellexit, per iteratas quæstiones ampliùs indagare; ita & Conversatori facilè est, doctrinam Auditoribus suis applicare, & per frequentiore repetitionem profundius, firmiùsque eorum mentibus imprimere; unde in tali casu verificatur, quod prudenter Seneca Epist. 38. dixit: *Plurimum proficit sermo, qui minutatim irripserit animo.*

IV. Tertiò, ipse etiam modus proponendi, sicut in privata Conversatione est multò suavior & liberior, quàm in publicis Concionibus, ita majorem etiam non immeritò efficaciam continere judicatur ad propositas doctrinas inculcandas & persuadendas. Id, quod iterum egregiè Seneca in epist. cit. sequentibus verbis confirmat: *Virtus bonum consilium est; consilium autem nemo clamore dat. Aliquando utendum est & illis, ut ita dicam, Concionibus, ubi, qui dubitat, impellendus est; ubi verò hoc non agendum est, ut velit discere, sed ut discat, ad hac submissiora verba veniendum est. Faciliùs intrant, sed hærent; nec enim multiùs opus est, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt, quod, quamvis sit exiguum, cum occupavit idoneum locum, vires suas explicat, & ex minimo in magnos ætæ diffunditur.* Hinc modum istum Zelosissimi quique Apostoli, & Animarum Curatores præcipuè usurpârunt, uti S. Ignatiùs de se, sociisque suis apertè coram Judicibus Salmanticensibus confessus est, teste Ribadeneira l. 1. c. 16. vit. dum dixit: *Nequaquam concionamur, verùm de virtutis pulchritudine, de vitij fœditate, cum occasio se dat, familiariter, & ex aequo loco discurremus; atque Homines ad odium Peccatorum, amorèmq; probitatis hortamur.* Sed & de S. Francisco Xaverio Turfellinus l. 2. c. 2. testatur, cum nihil in privati colloquiis inexpertum omisisset, quod ad sanandos animos civium pertineret; vehementerque aliis etiam sociis sibi subjectis commendasse, ut sedulò caverent, ne nimia quâdam gravitate suspicionem præberent reverentiæ exigentis arrogantia, sed potiùs facilitatem vultus præferrent, affabilitatèmq; sermonis; difficile quippe dictu est, teste Cicerone l. 2. offic. quantopere conciliet animos Hominum comitas, affabilitasque sermonis.

CAPUT

CAPUT III.

QUOMODO FRUCTUOSE INSTITVENDA
SIT CONVERSATIO APOSTOLICA?

Non ignoro equidem, sat multa ab Authoribus præcepta
coacervari ad conversationem fructuosè instituendam,
sed meo quidem iudicio ea omnia brevissimo compendio
complexus est, docuitque ipse Apostolorum sapientissimus
Magister Christus, dum super Apostolos suos ad conversa-
tionem cum Proximo inchoandam mittendos Spiritum San-
ctum in specie ignis misit, haud obscurè scilicet indicans,
tunc eos fructuosè cum hominibus conversaturos, si in sua
conversatione ignis proprietates assumere, imitarique studue-
rint; neque enim quidquam in orbe conditiones veri Apo-
stoli ac Operarij ita exprimit, ac ignis, uti ex singularum pro-
prietatum enarratione patebit.

§. I.

Primum Præceptum.

Primò ergo sicut ignis, dum in applicatam sibi materiam
agit, semper interea sursum tendit ad centrum suum, lo-
cùmque naturalem, ita Operarius quoque verus, dum cum
hominibus agit, mentem ad DEVM tanquam centrum & fi-
nem suum elevatam habere debet. Hæc autem elevatio
duobus potissimùm modis fieri potest. Primò, ut nunquam
Conversatio suscipiatur, nisi prius per bonam & sinceram in-
tentionem ad DEI majorem gloriam, animarùmque salutem
dirigatur; ex hac quippe intentione quinque, eaque non le-
via commoda seu utilitates haurientur, videlicet primò, ut
copiosum à DEO auxilium sperari queat juxta ipsius Christi
promissionem Jo. 15. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert
fructum multum*; quis autem arctiùs ipsi conjungitur, quàm
qui per purissimam beneplaciti illius perficiendi voluntatem
se eidem conformare, & unire studet. Talis profectò auda-
cter cum Josue c. 7. dicere potest: *Quid facies magno Nomini
tuo?* Secundò, ut alacriùs & accuratiùs gloriã Dei, Proximiq;
salutem procuret, si vires suas ad aliud privatam bonum qua-
rendum

6 *De Conversatione Apostolica in communi.*

rendum distractas non habeat. Nam, ut S. Bernardus Epist. 42. rectè advertit, *non valet DEI vel Proximi lucra purè quærere, qui propria non contempserit.* Tertio, ut humilia, & in iudicio hominum abjecta munia & opera pari alacritate ac diligentia suscipiat, ac perficiat, quàm speciosa & honorifica; quem in finem S. Maria Magdalena de Pazzis, ut p. 4. c. 33. vitæ legitur, inter alia monita etiam hoc dabat Operariis, ne curarent res magnas, facere in apparentia, quia in his dicebat occultari superbiam perniciosam animæ; sed quæ fiant magnæ & sublimes per ordinationem earum ad altum finem rectâ intentione, quia talibus valde delectatur DEVS, & sunt absconditæ ab Adversario. Quarto, ut nullo, quantumcunque in speciem infelici successu laborum suorum turbari se sinat, si meminerit, se id, quod quæsi verat, scilicet DEI (qui non effectum, sed affectum operum attendit) gloriam & beneplacitum labore suo lucratum esse; *quid autem eo potest esse felicior, cui efficitur suus Conditor census, & hereditas eius dignatur esse Divinitas?* ut rectè S. Prosper l. 2. de vit. contempl. pronunciavit. Quinto, ut facilè se post labores suos recolligat, atque ad se redeat; *nemo enim, teste S. Bernardo lib. de vit. solit. ad conscientiam redire amat, qui ab ea ad agendum rectâ intentione non profecissetur.*

II. Secundò eadem mentis elevatio fieri potest per breves & jaculatorias Orationes ad DEUM assiduè directas, quibus, ut P. Lancizius opusc. 13. n. 466. monet, tria petantur à DEO, scilicet *Lumen* ad tractandas animas, prout expedit ad illarum salutem: *Gratia auxilia* pro earum conversione, vel profectu jam conversarum: & *Protectio efficax*, ne ulli tentationi succumbamus, dum extra domicilia nostra versamur, sed ut cum proprio etiam profectu ac meriti augmento domum redeamus. Eiusmodi preces antiquis Patribus valde usitatas fuisse, S. Augustinus epist. 121. testatur his verbis: *Dicuntur Fratres in Ægypto, crebras quidè habere Orationes, sed brevissimas, & raptim quodammodo iaculatas; absit enim ab Oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseveret intentio. Nam multum loqui in orando, est non necessariam rem superfluis agere verbis; multum autem precari est eum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Et plerumque plus gemitibus, quàm sermonibus agitur.*

ur; plus fletu, quàm affatu. Id quod præclarè etiam S. Ignatius docuit, de quo Ribadeneira in vita illius lib. 5. c. 1. sic loquitur: *Atque hoc familiare nostris optabat esse, ut DEVM in omnibus rebus præsentem cernerent, & mentes suas non in Oratione tantùm ad caelestia attollerent, sed universas res, atque actiones singulas in DEVM referrent, neque minorem devotionis Spiritum in actione, quàm in meditatione sentirent. Et hanc quidem orandi consuetudinem assiduam cum in aliis, tum verò in hominibus piè occupatis tanquam magis expeditã probabat.* Unde alius quidam dicebat, eum, qui cum Proximo conversatur, assiduè illam Ecclesiæ adhortationem sibi occinere debere: *SURSUM CORDA*, ut ij, quibuscum agit, de eo quodammodo illa sponsæ verba, *Cant. 8.* usurpare possint: *Qua est ista, qua ascendit de deserto (cubiculi vel domus suæ) sicut virgula fumi (rectissimè sursum ad DEVM ascendens) ex aromatibus myrrha & thuris (id est, ex actibus laboriosæ & difficilis operationis, & actibus suavissimæ ad DEVM elevationis confecta? Verbo: verus Operarius studet omnia sua operari propter DEVM (dirigendo omnia ad ejus gloriam) in DEO (credens omnia, quæ proximo facit, se DEO præstare) & per DEVM (id est, cum auxilio illius, sciens, quod Joan. 15. ipse dixit: Sine me nihil potestis facere.) Itaque jure suo utitur illis Ecclesiæ in Canone verbis: Per quem hæc omnia creas, sanctificas, vivificas, & præstas nobis: per ipsum, & cum ipso, est tibi DEO Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria.*

§. II.

Secundum Præceptum.

I. SECUNDÒ sicut ignis non agit, nisi applicatus ab alio; ita nec Operarius curam aliorum suscipere debet, nisi à DEO per occultas inspirationes (quam Ludovicus de Ponte to. 3. tr. 4. c. 4. *internam vocationem* vocat) aut à Superioribus DEI locum tenentibus mittatur (quam idem Author *externam vocationem* appellat.) Cum enim, teste Apostolo, 1. Cor. 3. neque, qui plantat, sit aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat, DEUS; nemo prudenter se ad plantandum aut rigandum intrudit, nisi priùs per legitimam missionem cooperantis gratiæ auxilia à DEO acceperit. Hinc

8 De Conversatione Apostolica in communi.

Christus Jo. 15. Apostolis suis dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Et iterum Matt. 20. *Messis quidem multa, Operarij autem pauci, rogato ergo Dominum Messis, ut mittat Operarios in Messem suam.* Quod quidem præceptum ipse etiam Servator usque adeo illibatum servavit, ut triginta integris annis exspectare voluerit, imò secundum Divinitatem ab ipsa æternitate, donec à Patre ad curam alienæ salutis suscipiendam mitteretur, juréque usurpare illa Isaiæ c. 61. verba usurpare posset: *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit Dominus me, evangelizare Pauperibus misit me, predicare Captivis remissionem.* Sed & S. Joannes Baptista Præcursoris officium non suscepisset, nisi fuisset Homo missus à DEO, ut testimonium perhiberet *de Lumine.* Ipsi verò Apostoli non prius ad seminandum in Orbe Evangelium fuerunt dimissi, quàm sedentes in civitate induri fuerunt virtute ex alto. Luc. 24.

II. Unde graviter inprimis errant, qui antè, quàm solidas in virtute, atque perfectione propria radices fixerint, ad aliorum curam suscipiendam præpropere fervore, ac immaturo desiderio anhelant, de quibus rectè S. Gregorius p. 3. Past. admonit. 26. *Admonendi sunt, inquit, isti, ut considerent, quòd pulli avium, si ante pennarum perfectionem volare appetant, unde ire in alta cupiunt, inde in ima vergunt. Admonendi sunt, ut considerent, quòd structuris recentibus necdum solidatis, si lignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur. Admonendi sunt etiam, ut considerent, quòd conceptas soboles Femina, si prius, quàm planè formentur, profervant, nequaquam domos, sed rumulos replent.*

III. Errant similiter illi, qui, licet sufficienti scientià ac virtute instructos sese advertant, aut omnino non expectata missione curam animarum suscipiunt, aut certè variis artificiis, dolisque optatam missionem ambitiosè extorquent. Quibus profectò, si, ut fieri plerumque solet, speratum ex laboribus suis fructum non reportent, meritò DEUS culpam suam illis Aggæi Prophetæ c. 1. verbis exprobrare potest: *Ponite corda vestra super vias vestras; seminastis multum, & intulistis parum. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exsufflavi illud. Quam ob causam, dicit Dominus Exercituum? Quia domus*

mea

men deserta est, & vos festinastis unusquisque in domum suam (sequendo propriam voluntatem vestram.) Propter hoc super vos prohibiti sunt cali, ne darent rorem, (gratiæ) & terra (id est, animæ vobis commissæ) prohibita est, ne daret germen suum. Et vocavi siccitatem super terram, & super omnem laborem manuum. Ita sanè damno suo expertus est P. Melchior Nunnius celebris alioqui in Societate JESU Operarius, & Indiæ Provincialis, qui, ut Orlandinus in historia ejusdem Societatis p. 1. l. 14. n. 131. refert, in Japoniam primùm, tum etiam ad Sinas profectus promulgandi Evangelij causâ, nullum, aut certè exiguum fructum fecit, quia illud iter non Superiorum nutu, sed suæ pietatis, Sociorumque ac Regis impulsu duntaxat susceperat.

IV. Ad hoc præceptum meritò etiam pertinet, ut, licet interdum Operarij aliqui, Religiosi præcipuè, à Superioribus suis, aut ipso Pontifice summo ad curam animarum in certis locis gerendam assumantur, eam tamen non prius, quam ipsorum etiam Ordinariorum, aut Vicariorum, Parochorumve loci illius consensu petito, & impetrato aggrediantur. Ita sanè prudenter jam olim suos Operarios monuerat S. Ignatius Fundator noster, vetans, ne privilegiis suis uterentur in vitis Prælati; ajebat quippe, ut testatur Orlandinus l. 11. n. 62. privilegiorum præsidia tum demum in animorum causa perutiliter adhiberi, cum ad eos ita juvandos voluntas proximi Pastoris accederet; cumque eâ de causa ab Apostolica Sede privilegia habeantur, ut eò facilius animis consulatur, nisi ex eorum usu hæc ad animos deriveret utilitas, imò potius retardetur, quò Pastores non consentiant, satius esse, ea omnino non adhibere, quam contra eorum nutum adhibendo suâ spe ac labore frustrari. Hinc cum P. Michaël Navarrus, vir sanctus, & miraculorum gratiâ ornatus, acrius pro Societate, et si justè, contra Vicarium Tiburzinum Episcopi Sacramentorum administrationem prohibentem pugnâisset, reprehensionem S. Patris non effugit, ut refert Orlandinus l. 10. n. 15. volebat enim suos omnes B. Pater, etiam tum, cum pro Societate causa staret, non modò adversus Episcopos, verum etiam erga eorum Vicarios submissè, modestèque se gerere, Cujus præcepti aliam adhuc, eamque geminatam rationem S. Franciscus Xaverius Zelosissimus ille Indiæ Apostolus as-

10 De Conversatione Apostolica in communi.

signabat, uti Turfelinus l. 6. c. 8. vit. testatur his verbis: *Divinum Numen in Episcopis, eorumque Vicariis venerans, ex eorum auctoritate sua munia obire gestiebat, eisdemque prorsus omnibus in rebus, dicto audiens erat. Idem ceteros à Societate facere iubebat, à nostris Hominibus obedientia in Præpositos Ecclesiasticos prodendum exemplum dicitans.* Et paulò post alteram rationem assignans subdit: *Talem verò, tantamque modestiam ac submissionem necessariam dicebat esse, cum ad Diabolum superbia caput debellandum; tum verò ad Ecclesiam Præpositos insigni obsequio demerendos, ut illis secundis ac propitiis Christiana res melius gereretur.*

§. III.

Tertium Præceptum.

I. **T**ertio sicut ignis, dum agit, nihil de innato suo & naturali calore amittit, ita & verus Operarius atque Apostolus, dum aliorum salutem curat, studiosè cavere debet, ne quicquam de intrinseco fervore charitatis, & studij perfectionis perdat. Sic enim primò, exemplo suo nos docuit ipse DEVS, qui, cum sit fons bonorum omnium, ita de plenitudine sua gratias suas nobis communicat, ut tamen ipse etiam semper plenus remaneat; hinc & Sponsam suam Cantic. 1. introduxit in cellam vinariam, & ordinavit in ipsa charitatem, excitans videlicet ipsam, ut ordinem charitatis ab ipso præscriptum servaret, & priùs charitatem erga se, postea erga alios exerceret. Docuit secundò Christus, tum verbo, cum dixit Matth. 16. *Quid prodest Homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* tum exemplo, dum non modò ipsemet assiduò, postquam cum Hominibus aliquamdiu versatus est, in montes aut alia loca secessit, & orationi vacavit; sed etiam Apostolis id ipsum præcepit dicens: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pauillum.* Marc. 6. Docuerunt tertio Apostoli, qui, cum viderent, crescente numero Christianorù se impares esse eorum saluti sine jactura proprij profectus procuranda, Diaconos constituerunt, curaque temporalium illis demandatà dixerunt: *Nos autem Orationi & Ministerio verbi instantes orimus.* Hinc & S. Paulus Timotheum 1. cap. 4. monuit, ut
sibi

sibi prius, postea doctrinæ attenderet. Docuerunt quartò
 sancti Patres, ex quibus more suo sapienter discurrens S. Lau-
 rentius Justinianus c. 12. de casto Connubio, exemplum Spon-
 sæ sequentibus verbis proponit: *Anima desponsata Verbo in
 hoc efficitur anxia, hoc agere nititur, ut sui non amittat custo-
 diam, dum Proximorum utilitatibus inservit; ne pro aliorum
 commodis, mentis innocentiam perdat. Vno quidem oculo vigi-
 lat, qualiter fraternæ proficiat charitati; altero autem, quomo-
 do Sponso suo immaculatam se exhibeat. Novit tanquam in
 multis experta, quàm plurimos immoderato charitatis Zelo ac-
 censos cordis omisisse munditiam, & devotionis nectare spoliatos
 esse, dum inconsultè vacantes Proximis seipsas negligere non ti-
 merent. Semper igitur humilis casum veretur: propterea lau-
 dabili discretionis moderamine sic secum agit, ut nec pro com-
 modis Proximorum contemplationem deserat, neque pro con-
 templationis amore, aliorum curam funditus derelinquat. In
 utroque se constituit medio. Nam, cum licet, vacat sibi; cum
 charitas urget, se exponit Proximo, sic tamen, ut continuò an-
 helet ad cubile Sponsi secreti reditum, de quo fraternæ charita-
 tis accensa Zelo egressa est. Semper, cum foris manet, cordis po-
 stes prudenter observat, ne, cum ad se tota revertitur, iniquita-
 tis maculam contrahat, per quam Sponsi aspectibus valeat dis-
 plicere. Ideoque ex fecunditate spiritualis prolis, Verbi fruitione
 dignior efficitur. Nec minùs appositè in eundem sensum mel-
 lissimus Doctor S. Bernardus l. 1. confid. c. 5. Eugenium Papam
 hortatur. Si totus, inquit, vis esse omnium, instar illius, qui
 omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena est;
 quomodo autem plena te excluso? & tu Homo es; ergo ut integra
 sit, & plena humanitas, colligat & te intra se sinus, qui omnes
 recipit; alioquin quid tibi prodest iuxta Verbum Domini, si uni-
 versos lucreris, te unum perdens? quid solus fraudaris munere
 tui? Memento proinde, non dico, semper, non dico sæpe, sed vel
 interdum reddere teipsum tibi. Quod ipsum eleganter serm.
 18. super Cant. conchæ similitudine declarans, quamobrem,
 si sapias, ait, concham te exhibebis, & non canalem; hic si qui-
 dem penè simul & recipit, & effundit; illa verò, donec implea-
 tur, expectat, & sic, quod superabundat, sine suo damno com-
 municat. Propterea namque Salomon Prov. 29. dixit: *To-
 tum Spiritum suum profert stultus, sapiens differt, & reservat in*
 A 6 *posse-**

posterum. Uti S. Dominicus fecisse scribitur, qui ita diem cum nocte conjunxit, ut hanc DEO, illam Proximo daret, idque fructu maximo, quippe qui nihil interdiu aggredereur cum Hominibus, quin antè cum DEO propitiato contulisset. Unde meritò prudens Operarius prudentum Virginum exemplum ob oculos habere & imitari debet, quæ, cum fatuæ Virgines oleum peterent, quod ipsæ sine suo dispendio se dare non posse advertabant, audacter id negârunt dicentes Matth. 25. *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.*

II. Porro ut hoc præceptum, quod summi momenti meritò esse creditur, clariùs intelligatur, bene notare oportet excessus illos, quos veluti ordinatæ charitati contrarios idem præceptum prohibet, & ad quaternarium ferè numerum reduci possunt. Primus est, ne plura simul charitatis officia assumantur, quàm commodè & quietè peragi queant; nam, ut rectè Ludovicus de Ponte 103. tr. 4. c. 9. advertit, fervor non tam in eo positus est, ut multa cõplectatur, quàm ut officium & ministerium exactè fiat. Quòd si fuerit nimius, erit etiam implicatus & intricatus, ac proinde minùs utilis, cum juxta D. Gregorium l. 1. Past. c. 4. impar inveniatur ad singula, qui confusâ mente dividitur ad multa. Hinc cum Moyse in hoc genere excedere videretur, audivit à Socero suo Jetro Exod. 10. *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris.* Secundus est, ne festinatò nimis officia aut opera suscepta peragantur, ut multi faciunt, qui, ubi semel desiderium cujusdam operis, fructùsque conceperunt, eodem quasi momento & tempore eundem consequi volunt; ideòque omnia alia, licet magis sæpe necessaria opera relinquunt; ad quorum errorem refutandù sufficere potest unicum ipsius Omnipotentis Creatoris exemplum, qui, cum Mundum universum æquè facillè unico momento, ac sex diebus creare potuisset, maluit tamen eum successivè per sex dierù intervallù absolvere, ut vel hoc suo exemplo doceret, quantopere cupiat ab ijs, qui minorem mundum, id est, Hominem creare, seu in primævum suum statum reducere desiderant, nihil præproperum & inordinatum, sed omnia in mensura, & ordine fieri. Tertius est, ne plus laboris suscipiatur, quàm sanitas corporis ferre queat; cum enim unus gradus sanitatis cum doctrina sufficiente

conjunctus, ut prudenter non nemo dixit, plus profit Operario, quam viginti gradus doctrinæ in corpore debili & morbis impedito, merito prudentia suadet, ut sanitatis corporalis sedulam perinde curam gerat Operarius, ac Eques, qui iter suum feliciter absolvere desiderat, equi sui curam gerere cognoscitur. Quartus denique est, ne stata Spiritus exercitamenta, Oratio videlicet, Examen, Lectio Spiritualis, Pœnitentiæ aut Mortificationis opera sub specie Zeli, seu salutis alienæ procurandæ intermittantur, aut perfunctoriè obeantur; qui enim hoc agunt, magnam, teste Alphonso Rodriguez p. 3. tr. 1. c. 5. Dæmoni fenestram aperiunt, ut qui cernens, se studium juvandi Proximi non posse omnino impedire, id agit, ut ita se Operarij huic Operi impendant, & immergant, ut animum ad promovendas, tuendâsque rationes suas nunquam advertant. Qua in re scilicet Pharaonem Ægyptium imitatur, qui, ne Israëlita desiderium sacrificandi DEO suo foverent, eosdem laboribus opprimi jussit, ut Exod. c. 5. legitur. Quapropter merito quilibet ordinata charitate, Zeloque accensus Operarius saluberrimum sibi Siracidis monitum applicare debet: *Recupera Proximum secundum virtutem, & attende, ne incidas*, in errorem scilicet illorum, qui sic alienæ salutis curam suscipiunt, ut suæ exiguam, aut nullam gerant. Dicat proinde cum S. Bernardo f. 18. super Cant. *Ego nullum ad salutem Pietatis gradum illi gradui anteponendum censeo, quem sapiens Eccl. 30. posuit dicens: Miserere anima tua placens DEO. Quod si non habeo, nisi parumper olei, quod ungar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Servo illud mihi, & omnino nisi ad Prophetæ inssionem non profero. Si institerint rogantes aliqui ex his, qui fortè existimant de me supra id, quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, respondebitur eis: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis; non enim hoc consulit Apostolus, non causa, vigila, charitas, ut aliis sit remissio, mihi autem tribulatio, sed ex equalitate. Sufficit, ut diligam Proximum nostrum tanquam me ipsum, hoc quippe est ex equalitate. Propterea, inquit Apostolus Hebr. 2. abundantius observare oportet nos ea, qua audivimus, ne fortè peresfluamus. Benigna prudensque charitas affluere consuevit, non effluere.*

§. IV.

Quartum Præceptum.

I. **Q**uartò sicut ignis non ultra sphaeram activitatis à natura præscriptam agit; ita & verus Operarius, seu Apostolicus Conversator non cum aliis Hominibus agere velle debet, quàm quos ipsi DEVS per Superiores aut Vocationem internam assignavit; caveat proinde sedulò, ne in alterius Operarij officium se ingerat, aut Personarum alterius curæ commissarum curam ipse quoque suscipiat, sed satis præclare Officio suo satisfecisse se existimet, si paucis illis Personis, quas DEVS ipsi commisit, invigilans, sic eas instituerit, & fervarit, ut cum veritate illud Servatoris dictum Jo. 17. usurpare ac dicere queat: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis.* Scit nempe prudens Operarius Ecclesiam *Exercitui, Navi Vineæ* non immeritò à SS. Patribus & Doctoribus comparari, in qua si suo quisque officio bene fungatur, felix successus, idémque ab omnibus præmium sperari possit, cum tamen, si Ordo hic non observetur, nihil nisi confusio & interitus timendus sit.

II. Et ideo nempe S. Ignatius tam sollicitè cavebat, ne in Societate sua, in qua vel maximè Proximi salutem ordinatè, prudenter, & fructuosè procurari desiderabat, nemo in alterius officium se ingereret; advertabat quippe vir prudentissimus, ejusmodi importunam intrusionem nec DEO placere, nec fini, qui intendi deberet, consequendo utilem esse, sed gravia potius damna imprimis Ecclesiæ & Societati; deinde ijs, quorù Officium invaditur; tertio illis, quibuscum agitur, & tandem illi ipsi, qui ejusmodi Ordinem turbat, accersit, ut facilè per singula discurrendo potest probari. Non enim primò, DEO placere potest hic Zelus; cum enim DEVS nihil magis, quàm obedientiam à suis Operarijs requirat; nec quidquam magis oderit, & detestetur, quàm propriam voluntatem, tanquam capitalissimum suum Inimicum, qui, teste S. Bernardo, ipsam, quantum in se est, coronam DEO eripere cùmque,

eumque de Solio Divinitatis deturbare conatur, nemo sanè prudenter judicare potest, eidem DEO placitum illum Zelum, qui contra expressam illius voluntatem & ordinationem suscipitur; sed potius vereri debent ejusmodi præposteri Zelatores, ne olim de laboribus suis audire cogantur, quod olim ob similem causam apud Isaiam c. 58. alijs quibusdam dictum est, qui, cum quererentur, & dicerent: *Quare ieiunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & non scisti?* responsum acceperunt. *Eccè in die ieiunij vestri invenitur voluntas vestra.* Hinc sanè jam olim de similibus querebatur DEVS per Jeremiam c. 14. dicens: *Falsò Propheta varicinantur in nomine meo; non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos.* Sed nec secundò utilitatem affert ejusmodi Zelus, utpote divinâ benedictione & cælesti influxu carens, sed potius nocet Ecclesiæ, aut alteri Communitati, cujus membrum est is, qui se intrudit; cum enim Communitatis talis gloria & fama in eo consistat, ut omnia officia ritè, ordinatè, & fructuosè administrantur; hunc autem ordinem & fructum impediatur ejusmodi importuna intrusio & confusio, consequens est, ut ipsa quoque gloria & fama totius Communitatis non modicè obscuretur. Non minus verò tertio illi quoque, cujus officium ambitur, per similem intrusionem nocetur, ut qui vel ab eo, qui munus illius invadit, inhabilem atque ineptum se æstimari credet; aut certè honorem, gaudium, & fructum, quem ex muneris talis administratione sperabat, sibi injustè præripi quereretur, quæ omnia non possunt non gravem in animo exulcerationem creare. Quarto ipsis etiam, cum quibus contra præscriptum Ordinem conversatur, non leve damnum accersit Operarius, nam cum ipse in Domini nomine retia non laxet, atque ad eò capturam seu fructum ob defectum divinæ benedictionis sperare non queat, quem tamen is, ad quem ea cura spectabat, propter vocationis gratiam merito speravisset, rectè inferitur, omnibus eos bonis spiritalibus per non levem injustitiam spoliari, quæ ex legitimi sui Pastoris fructuosâ sollicitudine, curaque sperare potuissent. Unde facile patet quinto ipsi etiam, qui dicto modo se intrudit, nihil lucri, sed potius detrimenti plurimum accedere, ut qui omnem laborum suum fructum perdens, serò tandem cum Apostolis exclamaturus

maturus

maturus sit: *Præceptor, totâ nocte laborantes, nihil cepimus.* Quare ut & sibi, & alijs profuit prudens Operarius, intra limites à DEO & Superioribus sibi præfixos se contineat, monitumque S. Pauli c. 4. Eph. audiat, adimpleatque; *Obsecro vos ego vincus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis.* Et iterum 1. Cor. 7. *Vnusquisque, in quo vocatus est, Fratres, in hoc permaneat apud DEVM.*

§. V.

Quintum Præceptum.

I. **Q**uintò sicut ignis omnibus accedentibus calorem suum sine discrimine communicat, ita & verus Operarius sine ulla acceptione personarum omnibus auxilium, vel consilium poscentibus, aut iisdem indigentibus promptè ea communicare debet, illudque ad eò Christi Matth. 11. usurpare: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Eum in finem meminisse debet, Christum pro omnibus æqualiter mortuum esse, omnes esse DEI filios, in omnibus Christum relucere, omnium animas esse pretiosas, & ad imaginem Dei creatas, ideòq; has solas & nudas sine respectu ad talenta vel commoda consideret, dicatque cum Abrahamo, Gen. 14. *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Atque hoc est, quod S. Jacobus c. 2. tam sollicitè hortatur: *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESU Christi gloria.* Etenim si interierit in conventum vestrum vir aurum annulum habens in veste candida; introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclarâ, & dixeritis ei: *Tu sede hic bene.* Pauperi autem dicatur: *Iusta illic, &c. nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* Audite, Fratres mei dilectissimi. Nonne DEVS elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit DEVS diligentibus se: meminerat nempe hic Apostolus, quàm studiosè illis Christus hanc doctrinam commendaverit, dum eos ad prædicandum Evangelium dimissurus dixit Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae, simplicitate scilicet rectæ Intentionis, in omnibus, quibuscum agitis, nihil aliud, nisi DEVM intuentes & quærentes, ut de vobis*

suo

fuò modo illa Cant. 4. verba repetere possit DEVS: *vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Hinc & S. Catharina Senensi quondam DEVS Pater in dial. 146. dixit: *Res desiderij sancti sine dubio accepit omnes ex eo, quia anima familiarica mei honoris non est contenta particulam habere, sed omnes habere peroptat: bonos habere querit, ut eam adiuvet in suo recti ponere pisces, & ut sibi met quotidie conservent, & augeant perfectionem; imperfectos vero cordialiter affectuosè desiderat, ut boni sint: infideles quoque tenebrosos exoptat, ut veniant ad lumen Sancti Baptismatis. Omnes ergo peroptat habere cuiuscunque status vel conditionis existentes, ut ex eo, quod omnes videt in me, à mea bonitate creatos, cum tam ignifera charitate, atque pretioso Sanguine IESU Christi Filii mei redemptos. Merito ergo quilibet ordinato Zelo accensus Operarius illam S. Hieronymi epist. 14. ad Celant. sententiam ob oculos habere debet: *Nescit Religio nostra Personas accipere, nec conditiones Hominum, sed animos inspicit singulorum; si enim, ut idem Sanctus in cap. 1. Malachiae ait, suscipiat eos, qui cum anulis aureis ad se veniunt, & pauperes Sanctos repellat, nomen DEI despicit, & panem polluit doctrinarum, & in ipsum DEVM contumeliam iacit.**

§. VI.

Sextum Præceptum.

SEXTO sicut Ignis magis propinquos & melius dispositos magis calefacit, ita verus quoque Operarius sua auxilia & consilia promptius illis communicare debet, qui magis ei propinqui, & melius dispositi sunt. Tales autem sunt, qui magis talibus auxiliis & consiliis indigent, & melius illis utuntur, præcipuè parvuli, simplices, pauperes, ægri, afflicti & similes, cum quibus tam promptè, libentèrque conversari, & ijs succurrere debet, ut dici de eo possit: *Cum simplicibus sermocinatio eius.* Ipse verò cum Christo quasi assiduò dicat: *Sinite parvulos venire ad me, Marc. 24.* Hoc certè præceptum tam altè S. Ignatius animo suo impresserat, ut in formula professionis etiam puerorum curam includere voluerit, non ut speciale votum esset, sed ut sancta hæc exercitatio peculiari modo esset commendata, & devotius curaretur, propter fin-

Instruèb. III.

B

gula-

gulare obsequium, quod DEO per eam in Animarum auxilio exhibetur. Eandem ob causam etiam jubebat, ut ij, quos aliquò mittebat ad animarum messem faciendam, per Hospitalium & Nosocomiorum visitationem, & charitatem infirmis atque pauperibus exhibitam potissimum hunc finem obtinere conarentur. Idem ergo strenuo Operario & Animarum Curatori tantò impensius præstandum, quantò majorem ratione sui officij habet obligationem ad talium personarum salutem procurandam; neque exiguum se olim solatium & præmium reportaturum credat, si cum veritate coram DEO quondam dicere possit cum Jobo c. 19. *Oculus fui cæco* (id est, pueris, aliisque ignorantibus personis) *pes claudo*, (id est, peccatoribus ob inveterata vitia & malas consuetudines difficulter in via mandatorum DEI progredientibus) *Pater eram pauperum*, & aliorum afflictorum.

§. VII.

Septimum Præceptum.

Septimò sicut Ignis omnia in se convertere cupit, sed suaviter & efficaci modo, per calorem scilicet, paulatim expellendo contrarias dispositiones, novàsque introducendo; ita verus quoque Operarius seu Apostolus desiderare debet omnes sibi similes, id est, Zelatores suæ salutis facere, repetens cum in finem assiduo illud S. Pauli 1. Cor. 4. *Rogo vos, imitatores mei estote sicut & ego Christi*. Hoc tamen non violento quodam modo per asperas increpationes & castigationes, sed potiùs per viam charitatis & mansuetudinis obtinere nititur, laborando scilicet, ut animæ sibi commissæ per considerationem beneficiorum DEI, frequentem usum Sacramentorum, crebras & ardentes Orationes crescant in amore DEI, & sic hoc ipso etiam amorem inordinatum erga creaturas exuant, & cum ipso tanquam radice omnes etiam malas consuetudines & vitia evellant; quem modum ipse DEVS, ut videre est apud Lancizium opusc. 1. fol. 81. sibi valde placere, quondam B. Magdalene de Pazzis ostendit dicens: *maximè felix spiritus, qui hodie regnat in terra, est ille S. Ignatii: quia eius filij in conducendis animabus ad DEVM præcipuè procurant data*
noti-

voluntatem, quanti momenti sit agere cum DEO, quia hoc Exercitium facit, ut cum facilitate res arduas amplectantur, propter lumen, quod accipiunt à DEO in Oratione. Aliàs eidem Beatae ostendit, se in Spiritu S. Joannis Evangelistæ, & S. Ignatij mirè sibi complacere, quòd uterq; conatus sit per viam amoris homines ad suum ultimum finem perducere; additq; hanc complacentiam toties sibi renovari, quoties S. Ignatij Filij eundem modum in convertendis peccatoribus tenent. Bene itaque notet hanc doctrinam Operarius, certòque sibi persuadeat, hanc viam & compendiosissimam, & efficacissimam esse ad peccatores convertendos, id quòd olim Majores apposito apologo significarunt, dum finxerunt, Solem & Aquilonem quondam in certamen venisse, uter eorum majoribus viribus & potentiâ polleret; cùmque ad hoc certamen finiendum communi consensu decrevissent, eum pro fortiori habendum, qui Viatori tunc fortè prope ipsos transeunti pallium citius erepturus esset, Aquilo mox magno impetu, flatuque Viatorem invasit, verùm plus non effecit, quàm ut Viator arctius sibi pallium astringeret; sed cùm Sol paulatim radios per pallium immississet, ita Viator incaluit, ut sine alia violentia ultrò pallium abijceret. Simile quid experiuntur Operarii, qui radios amoris divini in animarum sibi committarum pectora jaculantur, sicque efficiunt, ut ultrò malas consuetudines exuant, dum interea ij, qui per violentiam asperarum increpationum id efficere conantur, nihil aliud obtineant, quàm ut exasperati animi pertinacius in suis erroribus, vitisq; perseverent! nimirum non frustra Christus suis Apostolis Matth. 11. dixit: *Discedite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Pro cujus doctrinæ confirmatione non parùm proderit, si bene ponderetur memorabilis illa sententia, quam Senex quidam in vitis PP. l. 5. c. 15. protulit in hæc verba: *Si quis cum humilitate & timore inungat Fratri aliquid facere, sermo ipse, qui propter DEVM egreditur, facit Fratrem illum subiectum existere, & implere, quòd fuerit imperatum; si quis autem voluerit iubere Fratri, & hoc non secundum timorem DEI fecerit, sed contra per auctoritatem volens sibi in eo potestatem defendere, DEVS, qui videt occulta cordis, non permittit eum audire, vel facere, quòd iubetur. Quòd à DEO est, cum humilitate & obsecratione*

imperatur; quod autem ex potestate, cum furore & perturbatione, utpote quod à maligno est. Nimirum leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimia increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem, ut rectè S. Prosper l. 2. de inter. contempl. dixit. Hinc semper in pectore hæerere, memoriæque obversari debet notatu dignissima S. Augustini tract. 7. in Epist. 1. Jo. c. 3. sententia: *Semel breve tibi præceptum præcipitur: Dilige, & fac, quod vis. Sive taceas, dilectione taceas: sive clames, dilectione clames: sive emendes, dilectione emendes: sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice non bonum procedere.*

§. VIII.

Octavum Præceptum.

Octavo sicut ignis non cessat agere, donec extinguitur, uti Salomon Prov. 30. indicavit dicens: *Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit, sufficit.* scilicet ignis; ita & verus Operarius nunquam cessare debet ab operando, quamdiu vires habet, ut dicere possit cum Davide Ps. 68. *Zelus domus tua comedit me.* Et Ps. 118. *Tabescere me fecit Zelus meus.* Itaque dictum sibi reputet à DEO illud. Apoc. c. 2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* atque adeò cum tanta constantia animabus sibi commissis invigilet, ut & ipse cum Christo olim moriturus dicere possit: *Consummatum est.* Et alij perinde de ipso ac de Christo dicere & scribere queant: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Ioan. 13. Sic enim sperare tandem poterit, ut, quemadmodum in hac vita Zelum Eliæ imitari studuit, ita cum eodem in curru igneo, charitatis scilicet in hac vita exercitæ, in cælum ad meritorum præmia capienda rapiatur. Talis videlicet Zeli exemplum illustre præbuerunt, imprimis S. Basilii, qui, ut in speculo magno Exemplorum dist. 8. ex 84. refertur, jam in agone constitutus petijt à DEO vitam sibi prorogari uno die, ut Judæum, qui promiserat, se fidem Catholicam suscepturum, si Episcopus in sequentem diem superviveret, ovili Christi aggregaret, quem proin cum tota domo ipsemet in Ecclesiam descendens baptizavit, & paulò post

post rediens in lectum mortuus est. Deinde verò etiam S. Dunstanus, qui, ut ibidem V. Ascensio Christi legitur, in festo Ascensionis ad cæleste regnum invitatus ab Angelis renuit venire, ut eo die Populum Verbo DEI pascere posset; unde sequente primùm Sabbatho mortuus est. Sed & S. Joannes de Nivella, ut ibid. V. Prædicare ex. 3. scribitur, tanti erat Zeli, ut, cum gravissimè podagrâ laboraret, & quidam Medicus trium hebdomadarum spatio eum curare promitteret, noluerit hanc curam suscipere, ne interim animæ per eum liberandæ perirent. Imò eo ipso vespere, in quo agonizabat, alicujus adhuc confessionem audire voluit dicens: Nollem pro mille marchis auri hominem non audivisse. Sed & simile quid nostra ætate P. Nunnius Riberius, ut Orlandinus in parte 1. Hist. Soc. n. 123. testatur, fecit, qui, cum per absumptas ob propinatum venenum vires ingredi non posset, gestari ab alijs per Christianorum loca voluit, & S. Joannem Apostolum imitatus, piorum inter manus convivebat Ecclesiam, & saluberrimis monitis, tum universos, tum singulos confirmabat. Uti & P. Nicolaus Bobadilla ex eadem nostra Societate in castris Cæsaris, etsi ipse laboraret peste, tamque debilis esset, ut vix vestigio hæreret, nihil tamen de labore remisit, sed ægris in Nosocomio diu, noctisque adstitit, uti ibid. l. 6. n. 56. refertur. P. Andreas Ortiz verò, uti ex literis Peruanis compertum est, tanto Zelo ardebat, ut, cum Ethnicis convertendis viam sibi occlusam cerneret, mox ægritudine occupatus, præ Zeli & mætoris magnitudine animam exhalavit. Præ reliquis tamen memorabile jure merito censeri debet, quod Surius 23. Junij de S. Christina mirabili narrat, quòd scilicet tanto erga Peccatores Zelo & charitate flagrant, ut pro illis acerbissimas pænas, in quibus sine miraculo consistere non poterat, subierit; nam coniciebat se in ardentes elibanos, volubatur se per spinas acurissimas; abdebat se in nivem & glaciem; in rotas, quæ aquis circumvolvebantur, se contorquendam dabat, neque tamen pars ulla corpori decedebat, sed majores semper in plagas reservabatur.

II. Porro ut hoc præceptum non modò clariùs intelligatur, sed etiam perfectiùs observetur, sequentia de Zelo ex diversis Authoribus notasse proderit. Primò, Zelum juxta

D. Thomam s. 2. q. 28. a. 4. nihil aliud esse, quàm effectum amoris proventientem ex intentione amoris, quem, qui habet, omnia, quæ sunt contra bonum Amici, repellere conatur; hinc Glossa super illa verba Jo. 2. *Zelus domus tua comedit me*: ait, quòd Zelus domus DEI comeditur, qui qualibet prava, quæ viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat, & gemit. Atque ideo etiam dura sicut infernus æmulatio seu Zelus Cant. 8. dicitur, quia, sicut infernus cruciat animas, ita Zelus cruciat corda DEVM & Proximum amantium, quando vident aliquid, quod eorundem bono repugnat, committit. Secundò, Zelum hunc summè Operario Apostolico necessarium esse, uti sat clarè S. Laurentius Justinianus l. de compunct. sequentibus verbis ostendit: *Absque igne quis ignem accendet? & sine charitate quis officia charitatis consummabit? ardeat dilectionis flamma semper in te, quatenus calore tuo Proximorum excutiat tepor, imò accrescat amoris incendium, quo modo preteritarum negligentiarum rubigo deleatur. Poteris planè inflammare ceteros. si fueris tu charitate inflammatum.* Imò S. Ambrosius dicere ausus est in Ps. 118. *Angeli quoque sine Zelo nihil sunt, & substantia sua amittunt prerogativam, nisi eam zeli ardore sustentent.* S. Chryostomus verò l. 3. adversus vitup. vitæ Monast. etiam gravia damna ex eo neglecto ostendit, sic enim loquitur: *Et si omnem vitam nostram diligentissimè compostam & instructam egerimus, hæc non evitata negligentia, nihil consequemur emolumenti, cum ea talis ac tanta sit, quæ sola in gehenna profunda possit immergere. Si enim is, qui Proximum in iis, quæ ad Corpus pertinent, adjuvare noluerit, nulla ratione excusari poterit; verum, etsi virginitatem ipse servaverit, extra sponsi thalamum projicietur, is, qui, quòd multò maius est, omiserit (quippe multò maximum est animarum gubernatio ac regimen) cur non mala omnia perpeti dignissimus existimetur?*

III. Quàm verò necessarius, tam etiam utilis est idem Zelus (id quod tertio loco notandum est) ad Animarum salutem, DEIque gloriæ procurandam, quia quinque effectus ad hunc finem consequendum perquam sanè efficaces producit, ut fustius P. Alphonsus Rodriquez p. 3. tr. 1. c. 11. ostendit; nam primò miros ad operandum stimulos addit, quia, ut rectè S. Gregorius dixit, *Charitas* (atque adeò & Zelus, qui est pri-

est primaria Soboles charitatis) magna operatur , s; est ; si autem operari renuit, charitas non est. Secundò. Etiam ad munia sua exactè obeunda impellit ; nam dicere quodammodo cum Davide cupit posse illud 1. Paral. 29. *Ego autem totis viribus meis praparavi impensas domus DEI mei ; opus namque grande est, neque enim Homini praparatur habitatio, sed DEO.* Tertio. Ad varias occasiones succurrendi Proximo ingeniosè & sagaciter indagandas incitat ; ubi enim talis inest affectus, inquit D. Bonaventura process. 5. relig. c. 17. *illic necessariò non deerit subventionis effectus, quantum patitur opportunitas.* Quarto. Omnem in operando difficultatem aufert, quia de Zelo hoc perinde ac de amore dici potest illud lib. 3. de imit. c. 5. quòd onus non sentiat, labores non reputet, plus affectet, quàm valeat ; de impossibilitate non causetur, quia cuncta sibi licere arbitratur. Valeat igitur ad omnia, & multa impleat, & effectui mancipet, ubi non amans deficit, & jacet. Quintò denique ad ferventem & accensam Orationem excitat, quæ, donec exaudiatur, nescit discedere, uti non paucos Sanctos fecisse legitur, præcipuè S. Ignatium, uti l. 5. vit. c. 2. videre est, qui, cum Luetiæ quendam vesano Pellicis amore implicitum nulla ratione è cœno extrahere posset, die quodam extra Urbem in lacum frigidissimum, viæ, quæ Amasius ad turpes delicias transiturus erat, adjacentem, collo tenus se immerfit, & adventantem his verbis allocutus est : *Uerge, miser, ad tuas foetidissimas voluptates ; impendentem capiti tuo ruinam non vides ? instantem pestem non perhorrescis ? his ego pro te me tandiu macerabo, DEVMq; orabo, donec iustissimam illius iram & vindictam tibi paratam avertam.*

IV. Ne verò quis solam utilitatem ac necessitatè, non autem perinde etiam dignitatem ac præstantiam quandam inesse Zelo huic arbitretur, sequentes SS. Patrum sententiæ diligenter sunt notandæ. Richardus Victorinus apud Marchantium in Virga Aaron tr. 4. l. 1. ait : *Nescio, an maius possit beneficium à DEO conferri, quàm ut per eius obsequium alij consequantur salutem, si tamen Homo DEO cooperatur ex charitate.* S. Gregorius verò super Ezech. ho. 12. absolutè dixit : *Nullum omnipotentis DEO tale est Sacrificium, quale est Zelus animarum, & hoc propter imaginem impressam animabus.* Unde & l. 3. Dial. c. 17. ait : *Maius miraculum est prædicationis*

24 *De Conversatione Apostolica in communi.*

verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum suscitare. Imò hom. 6. in Evang. Angelis æquiparare Zelosos ejusmodi Operarios non dubitavit dicens: *Vnusquisque vestrum, in quantum gratiam superne aspirationis accepit, si à pravitate Proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si aeternum regnum vel supplicium erranti denunciat, cum sancta denunciationis verba impendit, profectò Angelus existit.* Adhuc verò amplius extollens hunc Zelum S. Chrysostomus hom. 3. in 1. Corinth. *Hæc, ait, perfecta charitatis regula, hic certissimus terminus, hoc supremum omnium cacumen quarere, quæ communem omnium comprehendant utilitatem, quod ipse Paulus significans addidit, sicut & ego Christi.* Nihil enim nos potest ad eò Christi imitatores facere, ut Proximorum cura. Unde meritò hom. 3. super Gen. dixerat: *etsi ingentes erogaveris pecunias pauperibus, plus tamen effeceris, si converteris animam: quia, ut S. Dionysius c. 3. de cœl. Hierarch. rectè pronunciauit, omnium divinorum divinissimum est cooperari DEO in salute animarum.*

CAPUT IV.

QUIBVS INSTRUMENTIS PRÆCIPVE PERAGENDA SIT CONVERSATIO APOSTOLICA.

Equidem & hîc fortè multi multa assignabunt; ast ego quatuor potissimum adhibenda censeo, nempe *Familiaritatem & coniunctionem cum DEO per crebræ & ferventis Orationis Studium, Prudentiam, Authoritatem, seu ut clariùs alij expriment, Vita Sanctitatem, & Benevolentiam, seu Amorem;* nam per *Familiaritatem & Coniunctionem cum DEO* obtinetur, ut fructuosa fiat Conversatio juxta promissionem Christi Jo. 15. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Per *Prudentiam* efficitur, ut omnia, quæ fructum per conversationem quæri solitum impedire possent, efficaciter removeantur; e contrario verò media, quæ eum promoverè possunt, sollicitè excogitentur, hinc Christus autè omnia Apostolis suasit Matth. 10. *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Et S. Paulus etiam hoc instrumento præ cæteris usus est, uti

ut ipsemet 2. Corinth. 12. indicavit dicens: *Ego vos non gravavi, sed cum essem astutus, dolo vos capi.* Per *Authoritatem* impetratur, ut doctrinæ in conversatione communicatæ singulare pondus & efficaciam habeant; id quod præclare S. Laurentius Justini. de conflictu interiore c. 2. indicavit dicens: *Dabis voci tuæ virtutem, si, quod suades, prius tibi cognoscaris persuasisse: Validior operis, quàm oris vox est.* Hinc de S. Basilio olim S. Gregorius Nazianz. in orat. dicebat: *Tonitru erat eius Oratio, quia vita erat fulgur; unius namque splendor, alterius incendium est.* Sed & de ipso S. Joanne Baptista Joan. 5. dicitur, quòd erat *lucerna ardens & lucens*, ardens scilicet bonæ vitæ exemplo, lucens verò doctrinis per prædicationem communicatis. Per *Benevolentiam* denique obtinetur, ut & aditus facilis ad conversationem pateat, & omnia, quæ in ea proponuntur, vel aguntur, benevolè accipiantur, ex qua benevolentia totus ferè fructus conversationis pendet, uti sapienter S. Augustinus tr. 7. in Epistolam S. Joannis advertit, dum dixit: *semel breve præceptum præcipitur. Dilige, & fac, quod vis: si ve taceas, dilectione taceas: si ve clames, dilectione clames: si ve emendes, dilectione emendes: si ve parcas, dilectione parcas: Radix sit intus dilectionis; non potest de ista radice non bonum existere.* Quia verò horum instrumentorum usus non omnibus perspectus est, ideo proderit paucis ostendere, quomodo quodvis illorum in praxin deduci debeat.

§. I.

Quid circa primum Instrumentum Conversationis, nempe Familiaritatem cum DEO observandum sit.

I. **T**Ria potissimùm circa hoc Instrumentum observanda sunt. 1. Ut digna de illius necessitate & efficacia æstimatio concipiatur. 2. Ut sciatur, in quibus præcipuè actibus seu exercitiis consistat hæc Familiaritas. 3. Ut facilis & solida illius praxis discatur, & constanter usurpetur.

II. Et primum quidem horum caput, quod attinet, scilicet, ut dignum de hac Familiaritate cum DEO æstimationem concipiat, ante omnia certò sibi persuadere debet Operarius

rarius, conversationem & curationem Animarum opus esse
 difficillimum, atque, ut SS. Patres passim pronuntiârunt, ma-
 jus, quàm sit ipsa mundi creatio, atque miraculorum patra-
 tio, adeoque non tam humanis mediis, quàm divino auxilio
 & cooperatione procurandam, id quod fusè & solidè S. Lau-
 rentius Justinianus l. de compunct. coll. 22. ostendit sequen-
 tibus verbis: *Abque gratia adminiculo quis presumere audeat
 posse facere quidquam, dicente Domino: Sine me nihil potestis
 facere? Nam quamvis homo à se, de se aliquid boni valeret,
 nihil omnino valet in altero; quoniam libero quisque utens ar-
 bitrio, sua potestatis est assensum suadenti præbere. An non ver-
 ba possumus veluti semina iactare, annunciare futuram felici-
 tatem, & aeterna supplicia? minimè tamen corda compungere,
 animum flectere, interiorum auditum aperire, affectum promo-
 vere, gratiam infundere. Hac solius DEI sunt, per consensum
 audientis & recipientis. Quemadmodum imber de calo cadens
 terram inebriat, & eam germinare facit, ac dare semen serenti,
 & panem ad manducandum; sic & gratia celestis, cum in hu-
 manum cor labitur, rigat illud devotionis dulcedine, madefacit
 compunctionis rore, & per sancta desideria virtutum atque bo-
 norum operum, fecunditatem producit ad publicum, quatenus
 intuentes agnoscant, non ex infructuosa arbore, sed de latente
 divina benedictionis radice, universa laudabilia gesta prodire.
 Profsus humanus inutilis est arboris truncus, si non mirisocum
 gratia DEI operetur. Et hinc idem S. Pater ait, Apostolos,
 antequam exirent ad agendum cum aliis, iustos fuisse in civi-
 tate sedere, & orare, donec virtute induerentur ex alto. Sed &
 & ipsi Apostoli Act. 6. postquam constituerunt septem Dia-
 conos temporalia negotia tractaturos, dixerunt: Nos verbò
 Orationi, & Ministerio verbi instantes erimus, præmittentes
 scilicet Orationem, utpote à qua omnis Ministerij efficacia
 pendet, uti sapienter advertit S. Bernardus epist. 207. dicens:
 Nunc manent tria, Verbum, Exemplum, Oratio; maior autem
 horum Oratio: namque operi & voci gratiam & efficaciam
 promeretur. Unde meritò quivis Operarius saluberrimam
 doctrinam, quam Societas JESU suis Missionariis Reg. 14.
 proponit, profundè menti inculpare deberet, quando ita lo-
 quitur: Quamquam humana media non solum spernenda non
 sunt, sed etiam, cum opus est, prudenter & religiosè adhibenda;*
 divinis

divinis tamen, & nostri Instituti magis propriis præcipuè utendum est, in eisque magis fidendum, orandisque DEVS, ut in omnibus det eam efficaciam, qua sit proposito fini consequendo necessaria. Si enim jam olim Jacob Gen. 30. cum Rachel ipsi dixisset: *Da mihi liberos, alioquin moriar*: respondit: *num pro DEO ego sum, qui privavit te fructu ventris tui?* inuens generationis corporalis Authorem non tam Hominem esse, quàm DEVM; quantò magis idipsum de spirituali generatione judicandum erit?

III. Porro hæc Familiaritas seu conjunctio cum DEO tribus præcipuè officiis declaranda est. 1. Ut nullum paulò majoris momenti negotium cum proximo tractandum suscipiat, quin de eodem cum DEO conferat, ab eoque rationem & modum fructuosè illud peragendi accipiat; ita enim & Zelosissimi quique Operarii suo exemplo docuerunt; & salubriter jam olim monuit pius Asceta l. 3. de imit. Christi c. 38. dum dixit: *Si etiam in omni eventu stas, non in apparentia externa, nec oculo carnali lustras visa vel audita, sed mox in qualibet causa intras cum Moysè in tabernaculum, ad consulendum Dominum, audies nonnunquam divinum responsum, & redibis instructus de multis presentibus & futuris.* Propterea namque Josue & Filii Israël à Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini priùs non interrogaverunt, sed nimium creduli dulcibus sermonibus, falsà pietate delusi sunt. E contrario verò S. Paulus, teste S. Maximo hol. 1. de SS. Petro & Paulo, *ultra humana raptus in tertium cælum, secreta cælestia cognovit, ut Ecclesiarum futurus Doctor inter Angelos disceret, qua inter Homines predicaret.* Quem in finem præcipuè meditationis facere Exercitium conducet; hæc enim, teste S. Bernardo S. 1. de S. Andrea, *docet, quid desit: oratio, ne desit, obtinet; illa viam ostendit, ista deducit; meditatione denique agnoscimus nobis imminetia pericula, oratione evadimus.* Hinc & l. 4. de confid. c. 4. describens Eugenio Papæ, quales debeant esse Adjutores pro juvandis animabus, inter alia ait: *Tales esse debere, qui orandi studium gerant, & usum habeant, & de omni rationi plus fidant, quàm sua industria vel labori.* 2. Ad eandem Familiaritatem spectat, ut ipsas etiã Personas, cum quibus ex officio vel charitate conversari debet, in precibus suis DEO assiduè commendet. Sic enim in primis ipse Christus

stus S. Catharinam Senensem dialog. c. 29. monuit dicens: *Ego vos affectuosè deprecor, ut assiduè me rogetis pro salute peccatorum, quorum à vobis exige sudores, atque lacrymosas orationes, ut eis impendam, sicut opo, misericordiam gratiosam.* Sic & S. Paulus exemplo suo docuit scribens Rom. 1. *Testis est mihi DEVS, cui Servio in Spiritu meo in Evangelio Filii eius, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Quod ponderans S. Chrysostomus ho. 2. in Epist. ad Rom. ostendit, inquit, *huius commodi curam sibi esse necessariam, siquidem servitutis modus hic, nempe Evangelii annuntiatio, ipsi erat cõmissus, cui enim huiusmodi functio delegata fuerit, huic necessarium est, perpetua cogitatione eos circumferro, qui verbum ipsum excepturi fuerint.* 3. Denique ad eandem Familiaritatem pertinet, ut, ubi variæ difficultates in conversatione cum Proximo occurrerint, animis Operarius non cadat, nec suis viribus eas superare præsumat, sed divinam opem & adiutorium magnâ cum fiducia imploret, eumque in finem sequentia Regis Josaphati 2. Paralip. c. 20. verba usurpet: *In nobis quidem non est tanto fortitudo, ut possimus huic multitudini (difficultatum) resistere, qua irruit super nos, sed cum ignovemus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Sed & seipsum, & Socios suos ejusdem Regis exemplo sic excitet, & alloquatur: *Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem, (cum qua conversari, & contra quorum vitia pugnare debebitis) non est enim vestra pugna, sed DEI. Tantummodo confidenter stete, & videbitis auxilium Domini super vos.*

IV. Ipsa denique hujus Familiaritatis praxis in eo præcipuè consistit, ut 1. purissimam semper, & ab omni paulò graviore & deliberatè admissa culpa liberam mentem habere studeat Operarius; nam, ut rectè S. Joannes 1. ep. c. 3. advertit, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM (familiariter cum eo agentes) & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* 2. Ut ab omni etiam sensuali & inordinato erga quamcunque rem creatam amore absteineat; hoc enim est, quod DEUS Moyfi Exod. 3. dixit: *Ne appropies huc (scilicet ad familiariter mecum agendum) Solve calceamentum (quo omnis affectus terrenus significatur) de pedibus tuis.* Nam, ut rectè dixit Thomas Kempensis l. 2. c. 1. *frequens illi visi-*

li visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda nimis. 3. Ut omnia exercitia Spirituality ad hanc Familiaritatem pertinentia magna cum alacritate, integritate, & diligentia peragat; us enim familiaritas inter homines per frequentem conversationem mutuam magis semper augetur, & invalescit; ita id ipsum tantò magis in conversatione familiari cum DEO sperandum est, quantò major & præstantior est voluptas, quæ ex eadem hauriri plerumque consuevit. 4. Ut statura habeat pro secessu Spirituali, & colloquio cum DEO instituendo tempora; neque hæc ab ullis negotiis facillè sibi eripi permittat, sed potius sibi persuadeat, tantò se alacriorem, vegetiorémque ad eadem negotia rediturum, quantò certius sibi auxilia divina per ardentem & fiduciâ insigni armatam Orationem impetrata poterit polliceri.

§. II.

Quid circa Secundum Instrumentum, nempe circa Prudentiam sit observandum.

I. **T**Ria præcipuè circa Prudentiam benè sunt observanda Operario. Primum est, ut certò sibi persuadeat, usque adeò illam esse necessariam ad Conversationem fructuosè instituendam, ut sine ea non modò nullus fructus sperandus sit, sed damna etiam gravissima sibi, aliisque averiènda timeri debeant. Id quod sapienter advertit S. Ignatius Fundator noster, teste Orlandino l. 16. n. 112. utpote qui dicere solebat, in Societate hominum genera duo esse; unum eorum, qui exstruerent solùm; alterum eorum, qui simul inter exstruendum destruerent. Primum sibi genus probari, & hoc esse, qui Zelo uterentur considerato, providentes, ne quam damni causam, non modò re, sed ne specie quidem darent; néve ij offenderentur, qui, si Adversarii fierent, possent nostrum in divino obsequio, & salutis publicæ studio impedire cursum; atque adeò quædam, quæ rectè alioqui fierent, omitenda censebat, non damni privati formidine, sed operum respectu potiorum, quia sæpe numero, dum parùm cautè quid attentatur, nec illud efficitur, & mora multis aliis objicitur. Hinc ulterius, teste Ribadeneira l. 5. vit. c. 10. dicere solebat,

bat,

bat, Sanctitatem per se solam valere plurimum, sed nisi cum Prudentia, agendique cum Hominibus modo conjuncta sit, mancam fore ac infirmam, plusque sæpe exquisitam cum mediocri Sanctitate Prudentiam in gubernatione efficere, quam Sanctitatem majorem cum prudentia minori. Unde merito Salomon Prudentiam vocat *Scientiam Sanctorum*, ut indicet non sufficere Sanctitatem, nisi Prudentiæ jungatur, nam *virtus discretionis*, uti S. Bernardus super Cant. rectè advertit *absque charitatis fervore tacet, & fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat.* Quam ob causam jam olim etiam DEUS in vestitu Summi Sacerdotis Superhumeralibus, quod humeros tegebat, & Rationale, quo pectus ornabatur, ita inter se fibulis connecti præceperat, ut nunquam separari possent, ut significaret, labores & conatus nostros semper cum judicio & ratione fieri debere. Unde & ipse Christus Apostolis suis ad curam Animarum destinatis præ cæteris suadebat, ut essent prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, quia, ut verè Salomon Prov. 11. dixit, *ubi non est gubernator (prudens) Populus corruet; salus autem, ubi multa concilia à verâ Prudentiâ profecta.*

II. Alterum, quod circa Prudentiam benè notare debet Operarius, est, ut cognoscat regulas & præcepta ad dirigendum & lucrandum Proximum à Prudentia præscribi solita, quæ quidem ad sequentia ferè revocari possunt. 1. Ut ratione plurimum & consilio utatur, atque in omni actione finem bene consideret, mediâque ad illum obtinendum convenientissima eligere studeat. Hinc jam olim Seneca lib. de beneficiis monebat: *Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur; præterita cogita, præsentia ordina, futura provide, primum per cautionem, alterum per circumspersionem, tertium per Providentiâ.* 2. Ut, quando omnia pietatis opera ad salutem Proximi spectantia complecti non potest, magno delectu præferat publica privatis; perpetuâ iis, quæ ad tempus fiunt; certa in certis; secunda periculosis; neque tam videat, quantæ res ipsæ sint, quam quantum spei ad eas conficiendas ostendatur. Hinc S. Ignatius dicere solebat, non ipsas res nobis, sed nos rebus accommodari debere. 3. Ut nihil supra vires tentet, sed ea suscipiat tantum, de quibus spes certa sit, ea confectum

4. Ut, si quod ex cæptis damnū oriri advertat, prudenter desistat; omnis enim pertinacia inconsulta in rebus prosequendis vitanda est. 5. Ut in vocandis Hominibus ad virtutem utatur iis armis, quibus Sathanas eos seducere conatur, scilicet ut non apertā vi, sed leniter in animos eorum se infuset. Sic Massens. l. 3. c. 11. de S. Ignatio scribit: *Mira fuit solertia in sollicitandis mortalibus, & à servitute Diaboli ad Christi Domini obsequium traducendis; ac quibus artibus Dæmon ad animarum perniciem utitur, easdem ipse, (quoad li- veret, ac fas esset) ad Hominum salutem ac beneficium transfe- rebat.* 6. Ut naturam cuique & ingenium indagare, eique se accommodare studeat, omnibus omnia factus cum Aposto- lo 1. Cor. 9. ut omnes lucrifaciat; nam, ut S. Bonaventura in prolog. Speculi discipl. sapienter advertit, *prudens, ut rerum varietas exigit, ita se accommodat tempori, non se in aliquibus mutans, sed potius aptans, sicut manus, qua eadem est, tūm in palmum extenditur, & tūm in pugillum constringitur.* Et, ut S. Ambrosius in c. 4. Coloss. loquitur, *aliter cum Potentibus Mundi, aliter cum mediocribus, & aliter cum humilibus agen- dum est; aliter iterum cum mansuetis, aliter cum iratis, quibus cedere oportet.* Quo in genere iterum laudatur S. Patris no- stri Ignatii prudentia, qui voluntates ac naturas eorum, qui- buscum agebat, festinè odorari, ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponere, & suo, quod ajunt, ha- mo vel esca quemcunque piscari solebat. Atque ut bonus Agricola non tantūm rectas ac fructuosas arbores, sed etiam depravatas, neque ita fertiles colit, easque adminiculis eri- git, vel circumcidendo castigat, vel sub aliena latentibus umbra cælum aperit, vel telluris vitio laborantibus mutat locum; sic ille rerum difficultate nunquam exterritus, dispi- ciebat inprimis, quod ingenium, quā ratione tractandum es- set, iisdemque morbis sæpe pro varietate naturæ, non diver- sas modò, sed & contrarias inter se medicinas attribuire con- sueverat. Quod ipsum aliā quādam, eāque aptissimā simili- tudine S. Franciscus Borgia declarabat, ut l. 4. vit. c. 8. refer- tur, dnm dicebat, eos, qui alios regunt, vel aliter eorum cu- ram gerunt, milites bonos imitari debere, qui pro fistulæ ca- ptu machinam bellicam sulphureo pulvere implent, ne dissi- liat. 7. Ut mores ingratos ac vitia eorum, cum quibus agit,

ad tem-

ad tempus dissimulare nōrit; nescit enim regnare juxta commune proverbium, qui nescit dissimulare; ubi iterum, ut prudenter monuit S. Ignatius, Sathanæ armis uti debet Operarius, & sicut ille nihil ab initio bonis actionibus obverfatur, imò multa, quæ honesti speciem præbent, suggerit, donec tandem incautum decipiat; ita & ipse in alliciendis ad salutem animis laudare primùm prudenter in hominibus, quæ sunt recta, debet, vitiis parumper intactis, ac leniter in eorum gratiam irrepere, & tum demum eâ conciliatâ medicinam admovere; id quod mirâ solertia S. Franciscus Xaverius factitare consueverat, ut qui, teste Turfellino l. 2. vit. c. 17. in convertendis peccatoribus primò dissimulabat eorum vitia, omni affabilitate eos devinciens, tum recensitos varios malorum casus, eorūque vitam divinis mandatis contrariam ostendens eos convertebat. Quòd si aliquis interdum improba dicebat, nullam indignationem ostendebat, nec errantem tum reprehendebat, sed in ejus familiaritatem se infinuans, & seducens Hominem sine arbitris monebat dicens, mirari se, talia illi verba excidisse. 8. Ut ad capiendam Populi multitudinem, aditum sibi per Proceres & Magnates præparet; horum enim autoritate permoti cæteri facillè manus dabunt; è contrario ad devinciendos Magnates magnam in Plebe, paupertina maximè, curanda diligentiam adhibeat, hoc enim Charitatis & humilitatis exemplum mirè rapit animos Potentum. 9. Ut adversus varios casus finitros maturè & diligenter se communiat, quò prævita tela minus feriant; ita S. Gregorius in morali monuit dicens; *Solenter animus ante actionis primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hac cogitans, semper contra hac thorace patientia munitus, quidquid accesserit, lucrum putet.* Quam ob causam jam olim Antisthenes, teste Laërtio l. 6. c. 1. dicere solebat, tutissimum murum Prudentiam esse, ut qui nec prodi possit, nec collabi soleat; Sapiens enim, ut Seneca epist. 60. dixit, *ad omnem incursum munitus, & intentus est, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refretet; interritus contra illa ibit, & inter illa: plenus est gaudio, hilaris & placidus, & incontusus, cum Diis ex pari vivit.* 9. Ut non facilis sit in credendis & narrandis, quæ audit, maximè contra Proximum suum, sed potius

tius memor sit saluberrimæ doctrinæ à Siracide datæ Eccl. 19. *Andisti verbum adversus Proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet.* Certè magnam pius Acceta l. 1. c. 4. de imit. Christi, Sapientiam esse ait, non esse præcipitem in agendis, nec pertinaciter proprio stâre sensui, nec quibuslibet Hominum verbis credere, vel credita mox ad aliorum aures effundere. Unde S. Gregorius Nazianz. dicere solebat, eum, qui cum Sæculo conversatur, tribus opus habere, velo scilicet super oculos, ut multa non videat, vel visa dissimulet: clave in aure, ne detractiones, susurrationses, & calumnias facillè audiat, & credat: & claustro in ore, ne statim effutiat, quæ audit. ✠

III. Tertium, quod circa Prudentiam observare debet Operarius, est, ut efficacia nôrit, & adhibeat media, quibus descriptam hæcenus Prudentiam obtineat, qualia quidem multa à Magistris Spiritualibus præscribuntur, sed sequentia ferè sunt præcipua. 1. *Crebra Oratio*: uti S. Jacobus c. 1. monuit dicens: *Si quis vestrum indiget Sapientiâ (& Prudentia, quæ Soror & Comes est Sapientiæ) postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter.* 2. *Meditatio assidua*: nam, ut sapienter S. Ignatius advertit, multùm cohibet, & quasi vinculis quibusdam constringit meditatio & comparatio animi, & assidua eorum, quæ dixeris, cogitaveris, egeris, commemoratio. Hinc rectè Antiqui dixerunt, deliberandum esse diu, quod semel statuendum est. 3. *Frequens reflexio*: pictorum more, qui opera sua, priusquam absolvant, per intervalla contemplantur, & frequentiori examine minutissimos etiam defectus deprehendunt, & emendant. Certè hoc medio Sanctum Ignatium ad tam insignem Prudentiam pervenisse, Historia Societatis l. 16. testatur. 4. *Interrogatio sollicita*: quæ quidem duplex esse debet. Prior de defectibus ab alio in se observatis, quam S. Franciscus Xaverius, teste Turfellino l. 6. c. 13. vitæ, præcipuè suaserat dicens: *Quærendi fideles Amici ac Monitores, qui, si quid à vobis in vestris peccatum est muneribus, amicè vos, liberèque admoneant, ut vestra vitia, quæ vos ipsos fugiunt (in suis enim quisque vitiis hebetior est, quàm alienis) per alios cognita exuatis.* Posterior interrogatio est de negotijs occurrentibus transigendis, de quibus rectè suavit Ecclesiasticus c. 32. *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum*
Instruct. 111. C 707

non pœnitebis. Et iterum c. 8. Narratio Seniorum non te prætereat; ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipso discas intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Hinc Antoninus Pius omnia sua cum gravibus viris conferens dicere solebat, æquiùs esse, ut ipse tot, taliùmque virorum consilia sequatur, quàm ut tot; talèsque Amici unam ipsius voluntatem sequantur. 5. *Accurata Librorum Lectio*; quod medium Aristoteles, teste Seneca l. 1. de benef. Alexandro Regi suavitè dicens: Annales Patrum discute; inde enim poteris bona exempla extrahere, quia acta præterita dant certum documentum in futuris. Hinc Rex Alphonsus interrogatus, quibus Consiliariis maximè uteretur? libris respondit, quibus sine metu, sine gratia, quæ nõsse cuperet, audiret. 6. *Filiorum seculi seria consideratio*; nam, cum hi, teste Servatore Luc. 16. prudentiores sint Filiis lucis, non modicè suis exemplis juvare possunt ad Prudentiam addiscendam; ab ijs quippe discere poterit Operarius, quâ ratione primarios tres Prudentiæ actus exercere debeat, & primò quidem rectè *deliberare* exemplo Avarorum, qui antè, quàm vel obolum expendant, tam sollicitè considerant, an vel necessitas, vel utilitas tales expensas requirat? 2. Rectè eligere exemplo Mercatorum, qui tam varias industrias excogitant, eliguntque ut merces quàm optimas emant vilissimo pretio, iterùmque carissimo vendant. 3. Rectè imperare executionem Aulicorum more, tam strenuè, fortitèrque imperata sui Principis exequentium, ut eidem placeant, & corruptibilem ab eo mercedem accipiant; quanto magis ad similem executionem se incitabit Operarius, ut summo DEO, & Domino Dominantium placeat, & æternum atque inæstimabile præmium sibi aquirat?

§. III.

Quid circa tertium Instrumentum, Autoritatem scilicet, vitæque Sanctitatem sit observandum.

I. **P**ER Autoritatem hanc nihil aliud hoc loco intelligitur quàm magna quædam æstimatio de vita & dotibus ipsius Operarij. Ex qua descriptione facilè patet, tres potissimum

nam, eosque amplissimos fructus ex hac autoritate tum in
ipsum Operarium, tum in alios redundare; quorum primus
redundat in illos, quorum curam suscepit; hi enim longè fa-
cilius, & efficacius ad frugem reducuntur, si ipsum quoque
Operarium iisdem, quas suadet, virtutibus ornatum, aut vi-
tia, quæ disuadet, sedulo fugientem, & detestantem videant;
nihil enim est juxta Concilium Tridentinum Sess. 22. c. 1. de
reform. quod alios magis ad pietatem, & DEI cultum assidue
instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministe-
rio dedicaverunt. Cum enim à rebus sæculi in altiore sublati
locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos
coniciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic
debet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, mores-
que suos omnes componere, ut habitu, incessu, gestu sermone, a-
liis que omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione
plenum præferant; levia etiam delicta, que in ipsis maxima es-
sent, effugiant, ut earum actiones cunctis afferant veneratio-
nem. Cujus ulteriorem rationem, imò & necessitatem opti-
mè Clemens Alexandrinus l. 5. Strom. ex Platone ostendit his
verbis: Omnis doctrina generatio quadam est, ut, quemadmo-
dum non generantur Homines, nisi in perfectione ætatis & vi-
rum; ita neque Filios Spirituales, nisi à perfectione virtutū pro-
gigni contingat. Atq; hanc ob causam S. Franciscus Xaverius,
teste Turcellino l. 6. vit. c. ult. Socios Ethnicis convertendis,
Neophytisque erudiendis operam daturus, lectissimos & pri-
marios præferebat, auctoritatem sequens Apostolorum, qui,
cum audissent, recepisse Samaritanæ Verbum DEI, miserunt
ad eos Petrum & Joannem Apostolorum Principes Act. 18.
Quocirca censebat ad Apostolorum munus deligendos viros
egregiâ, diuque spectata fide, virtute, constantia, Sanctitate
præditos, & in Dominicæ vineæ Operariis Prudentiam magis
ac Sanctitatem, quam scientiam & doctrinam expetebat, dice-
re solitus, quod boni virtus non pariat, humanas artes haud-
quaquam parituras sine virtute. Hinc ipse quoque Christus
Matt. 5. dixit: Sic luceat lux vestra coram Homnibus, ut vi-
deant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in
caelis est. Sed & S. Petrus l. c. 2. monet: Pascite, qui in vo-
bis est, gregem DEI, forma facti gregis ex animo. Alter fru-
ctus redundat in ipsam Ecclesiam, aut Communitatem, cui

quis adscriptus est; cujus æstimatio & fama sicut à particulis membris vel maximè dependet, ita haud dubiè plurimum augetur, si ejusmodi membra insigni quâpiam morum integritate, vitæque Sanctitate fuerint conspicua. Tertius denique autoritatis hujus fructus in ipsum Operariû redundat, ut qui non modò ingens lucrum meritorum cœlestium ex tali vitæ Sanctitate haurit; verùm etiam admodum securus redditur, ut in medio nationis pravæ sine lapsu versetur, & contra linguas detrahentium, fructum laborum suorum infamatione sua impedire molientium efficaciter defendatur; hinc enim S. Paulus Titum c. 2. monet; *In omnibus præbe ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens dicere de nobis.*

II. Porro etsi hæc autoritas, ut sapienter S. Franciscus Xaverius, teste Tursellino l. 6. vit. c. 13. advertabat, donum sit divinum, quod bonis viris ac piis deferatur ultro, callidè & humana id arte quærentibus negetur; quotidianâ tamen experienciâ constat, etiam humana media non parùm ad eam obtinendam & conservandam conducere, qualia quidem præ reliquis sequentiæ æstimantur. 1. *Vita morumque Sanctitas & gravitas*: Nam sola virtus, teste S. Bernardo, mater gloriæ & autoritatis est; hinc Agesilaus, ut Plutarchus in Lacon. refert, interrogatus, quâ ratione quis bonam famam assequi posset? respondit: Si loquatur, quæ sunt optima; & faciat, quæ sunt honestissima. 2. *Demissio animi*, ea præcipuè, quâ aliis reverentia & honor cum modestia & gravitate exhibetur, de qua S. Franciscus Xaverius l. 6. vit. c. 13. pronuntiavit: *Ad bonum Societatis (& cujusvis Hominis odorem longè, latèque fundendum, non alia virtus plus habet momenti, quàm vera ac germana animi submissio.* 3. *Prudentia*, in verborum & sermonis maximè gravitate apprensens; sic jam olim Epictetus, teste Stobæo f. 3. indicavit, dum quærenti, quâ ratione autoritatem & famam apud alios comparare posset? respondit: si vis bene audire, discere bene loqui. Hinc Abbas Pastor, ut in Speculo Exempl. dist. 2. c. 166. refertur, cum aliquando Juvenem quendam Religiosum Abbatem vocasset, causam dicti rogatus respondit, quia os suum fecit cum appellari Abbatem. Et ipse Salemon

mon Sap. 8. dixit: *Habebo propter hanc* (Sapientiam scilicet & prudentiam) *claritatem ad turbas, & honorem apud Seniores iuvenis.* 4. *Generosus contemptus caducorum;* cum enim hæc maximi plerumque æstimentur, summæque appetantur à mortalibus, veluti cælestem Hominem venerantur, & suspiciunt, si quem generoso animo hæc omnia contemnere advertunt. Unde verè Sanctus Augustinus epist. ad Macedonium dixit, *virtutem* (& ipsum Virtutis Professore Hominem) *èò pluris æstimandam esse, quò plura contemnit.* 5. *Fuga nimia cum Secularibus familiaritatis:* etenim ferè accidit, ut eos minoris æstimemus, quos intimè novimus; unde & commune proverbium, quo nimiam familiaritatem parere contemptum dicimus, exortum est. Hinc Sapienter monet pius Author l. 1. de imit. Christi. c. 8. *Charitas habenda est ad omnes, familiaritas non expedit. Quandoque accidit, ut Persona ignota ex bona fama luceat, cuius tamen presentia oculos intuentium offuscat. Putamus aliquando aliis placere ex coniunctione nostra, & incipimus magis displicere ex morum improbitate in nobis considerata.*

§. IV.

Quid de quarto Instrumento Conversationis Apostolicæ, nempe de Benevolentia, sit observandum.

Benevolentia hujus nomine aliud hoc loco nihil intelligitur, quàm bona quædam voluntas, quâ bene quis erga alterum afficitur, omniâque, quæ ab illo exiguntur, vel suadentur, prompro hilarique animo acceptat, & exequitur, quæ quidem benevolentia proprius affectus amoris est, atque adeò, dum benevolentiam istam quartum instrumentum Apostolicæ Conversationis voco, aliud indicare non volo, quàm ut Operarius. talem modum agendi cum proximo adhibeat, ob quem ametur potiùs, quàm timeatur ab iis, quibuscum conversatur; nam, ut supra ex S. Augustini doctrina dictum est, si intus sit radix dilectionis, non potest de ista radice non bonum existere. Id quod egregiè more suo confirmans S. Chrysostomus ho. de Mansuet. nihil, ait, ita conciliat

liat Domino Familiars, ut quod illum videant tranquillum se offerre, & mansuetudine iucundum; nam & talem maioris faciunt, habentque pro Patre, & non pro Domino. Gratus & amabilis est videntibus, gratus item & his, quibus tantum nomine notus est. Neque facile ullum invenies, qui audiens laudari hominem mansuetum, illum videre, & exoculari non desideret, & non habeat in aliquanta lucri parte eius amicitia diu posse frui. Hinc ipse etiam Christus Apostolis suis Matt. 11. dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*, non propriis duntaxat, sed iis ijs etiam, quorum curam susceperitis. Sed & Apostoli iidem à Commentatoribus Psalmi 18. per cœlos in illo versu: *Cœli enarrant gloriam DEI*: intelliguntur, ut significarent, quemadmodum Cœlo sereno omnes libenter se credunt, illiusque suavi aura frui cupiunt; sic & animos Hominum facilitate, suavitateque morum præcipuè allici. Unde merito hortatur Siracides c. 3. *Fili, in mansuetudine (& morum lenitate) opera tua perface, & super Hominum gloriam diligenti*. Et S. Franciscus Xaverius, teste Turcellino l. 6. vit. c. 13. Sedulo semper socios monebat, ut in congressibus & colloquiis caverent, ne nimia quædam gravitas suspicionem præbeat reverentiam exigentis arrogantia, sed potius facilitatem virtus præferrent, affabilitatemque sermonis; hoc enim esse efficacissimum medium, quo attrahi animæ soleant juxta illud Osee 11. *In funiculis Ada traham eos, in vinculis charitatis*.

II. Ut autem hanc benevolentiam tantò certius obtineat, sequentia media non parùm conducent. 1. Ante omnia det operam, ut diligat sincerè eum, cum quo conversatur, hoc enim medium efficacissimum esse ad amorem aliorum conciliandum, jam olim veteres noto illo axioma: *Si vis amari ama*: indicârunt. Quod ipsum egregiè confirmans S. Ambrosius lib. 2. Offic. c. 1. *nihil, inquit, tam utile, quàm diligere: nihil tam inutile, quàm non amari*. Itaque id agamus, ut omni sedulitate commendemus existimationem, opinionemque nostram, ac primùm placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum; popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque, quod tam facile illabatur hominum sensibus. Ea, si mansuetudine morum, ac facilitate animi

moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum, vita, modestiaque adiuvetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Et paulò post: Etenim ad incentivum charitatis communis plurimum proficit, si quis vicem amantibus reddat, nec minus redamari se probet, quàm ipse amatur. David diligi à subditis, quàm timeri maluit; timor enim temporalis tutaminis servat excubias, nescit diurnitatis custodiam. Itaque ubi timor discesserit, audacia obrepit, quoniam fidem non timor cogit, sed affectus cohibet. Prima ergo ad commendationem nostri est charitas. Hinc jam olim Moyse præcepit DEUS num. 11. Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram. Et S. Paulus 1. Thess. 2. dixit: Facti sumus in medio vestrum, tanquam si nutrix fovet filios suos. Atque id ipsum etiam S. Bernardus S. 23. in Cant. his verbis commendavit: Discite, subditorum matres vos esse debere non Dominos: studete magis amari, quàm timeri. 2. Morum similitudine non parùm etiam sibi benevolentiam conciliabit; ita Orlandinus l. 3. hist. Soc. n. 48. de S. Ignatio scribit, eum suos hortatum, ut ad hominum benevolentiam divini obsequii gratiâ conciliandam imitarentur Apostolum, qui omnibus fiebat omnia, ut omnes Christo lucrifaceret; nulla enim re aequè, ac merum, studiorumque similitudine benevolentiam conciliari. Itaque observatis cujusque moribus, ad eos se, quantum jus, fasque permetteret, accommodarent, ad eò, ut, si quempiam animadverterent acrem & incitatum, etiam ipsi lenitudinem inter agendum morosam excuterent, contraque tarditatem, gravitatemque tantisper induerent, si is, cum quo agerent, circumspectior, & in loquendo tardior appareret. Sic etiam de S. Anselmo Eolmerus in ejus vita lib. 1. scribit, quòd solito more cunctis se jucundum & amabilem exhibuerit, morésque singulorum, in quantum sine peccato poterat, in se susceperit. Nam juxta Apostolum 1. Cor. 9. his, qui sine lege erant, tanquam sine lege esset, cum sine lege DEI non esset, sed in lege Christi esset, se coaptabat, ut lucrifaceret eos, qui non modò sine lege, ut putabatur, Sancti Benedicti, sed & eos, qui sæculari vitæ dediti in multis vivebant sine lege Christi. Unde corda omnium miro modò in ejus amorem vertebantur, & ad eum au-

diendum famelicâ aviditate rapiebantur. Dicta etiam sua sic unicuique Hominum Ordini conformabat, ut Auditores sui nihil moribus suis concordius dici potuisse faterentur. Ille Monachis, ille Clericis, ille Laicis, ad cuiusque propositum sua verba dispensabat. 3. *Sermonis affabilitate ac dulcedine*: nam, ut supra ex Cicerone dictum est, difficile dictu est, quantopere conciliet animos Hominum, comitas, affabilitasque sermonis; si enim responsio mollis etiam iram frangit, teste Salomone Prov. 15. quanto magis animos pacatos & tranquillos conciliabit, sicque verificabit effatum Siracidis Eccl. 5. dicentis: *Verbum dulce multiplicat Amicos, & mitigat inimicos: lingua Eucharis in bono homine abundat.* Hinc meritò quis Operarius tali affabilitate, suavitateque condire, & exequi Conversationem suam Apostolicam deberet, ut cum veritate illa Ecclesiastici cap. 24. verba usurpare queat: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini; Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum.* Sed & ipsi, quibuscum conversatur, meritò dicere possint cum Salomone Sap. 8. *Intrans in domum meam conquiescam cum iùo; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tedium convictus illius, sed gaudium & letitiam.* Talem videlicet S. Athanasius se exhibuerat, de quo S. Gregorius Nazianz. de ejus laudibus sic loquitur: *Eâ erat comitate, ut ad eum omnibus aditus pateret, clemens, ab ira alienus, miseratione pradius, sermone iucundus, moribus iucundior, in obiurgatione placidus.* 4. *Beneficentiâ sive opere, sive affectu demonstratâ*: nam, ut Tullius lib. 2. Offic. sapienter advertit, benevolentia beneficiis capitur maximè; secundò autem loco beneficâ voluntate benevolentia movetur, etiam si res fortè non suppetit. Et S. Chrysostomo teste ho. 80. ad populum, *mentem habentes magis beneficia, quàm pœna ad mandatorum obedientiam attrahunt.* cujus efficaciam rationem reddens S. Bernardus. S. 23. in Cantica, *dabit operam Sapiens, ait, maledicos capere beneficiis atque obsequiis, monitisque salutari- bus, & orationibus pro his ad DEVM. Non cessabit eiusmodi carbones ignis congerere super caput maledici. An non tibi captus ille videtur, qui suffusus ora rubore, quippe proprium evanescentes iudicium, ipse sua confusionis, & pœnitentis testis est.* sive

si vero quod oderit Hominem amore dignissimum, si ve quod dilexerit tantum verbo & lingua eum, à quo se diligere opere & veritate vel serò est expertus. §. Mansuetà errorum & defectum supportatione: sic enim ipse DEUS exemplo suo docuit, teste Davide Pf. 102. dicente: *Quomodo miseretur Pater Filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Et propterea DEVS, ut discurret S. Chrysostomus serm. de nov. Concion. ad Grat. non Angelos à calo lapsos, Magistros humana natura profecit, ne propter excellentiam natura, atque humana infirmitatis ignoracionem asperiores nobis reprehensiones adhiberent; sed homines mortales, magistros ac Sacerdotes concessit, homines infirmitate circumdatos, ut hoc ipso quod obnoxius eisdem sit & is, qui sermonem habet, & illi, qui audiunt, Concionatoris (eadem est ratio de Operariis) lingua frenum iniciatur, quod eum non sinat ultra modum castigationes extendere. Atque hoc verum esse, declarat S. Paulus, qui legem illam tulit, & hanc rem nos docuit his verbis utens: *Omnis Pontifex ex Hominibus assumptus hominibus constituitur, qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant.* Hinc & ipse Christus inter alia monita S. Magdalena de Pazzis data etiam hoc posuit, uti vit. l. 1. c. 9. referatur: *Sint omnia opera tua facta cum tanta mansuetudine, & cum actu aded humili, ut videatur magnes quidam ad trahendas creaturas ad me.* Sicque impleatur illud Siracidis cap. 3. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super Hominum gloriam diligèris.*

CAPUT V.

QUIBVS MOTIVIS EXCITANDVS SIT ZELVS SEV FERVOR AD APOSTOLICAM CONVERSATIONEM NECESSARIVS.

I. Quod piissimus Asceta Thomas Kempensis lib. 2. de Imit. Christi c. 12. de cruce pronunciauit dicens: *Converte te supra, converte te infra, converte te extra converte te intra, & ubique crucem invenies;* hoc æquali jure de Zelo & fervore ad Apostolicam conversationem requisito dici potest, ut ex iis, quæ mox dicentur, clariùs patebit.

II. Nam in primis si se *supra se* convertat, inueniet 1. Exemplum DEI Patris, qui sic dilexit Mundum, teste S. Joanne c. 3. ut Filium suum Unigenitum daret; unde præclare S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. sequentibus verbis hujus motivi efficaciam ostendit: *Huc Magistra lex tendit, huc inter Christum & legem interiecti Propheta, huc Spiritualis legis perfectior & finis Christus, huc exinanita Deitas, huc assumpta caro, huc nova illa mixtio, Deus, inquam, & Homo. Atque hæc omnia, propter omnia, & pro uno illo generis nostri Principe in unum coierunt.* 2. Exemplum Christi; qui non solum cum in forma DEI esset, semetipsum exinanivit formam serui accipiens in similitudinem Hominum factus, & habitu inuentus ut Homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem Crucis, teste S. Paulo Philipp. 2. sed etiam S. Brigitta quondam dixit, ut in revelationum illius l. 7. c. 19. legitur: *Si adhuc possibile esset, quod ego toties morerer, quot sunt animæ in inferno; ita, quod pro quâlibet earum talem mortem iterum sustinerem, qualem tunc pro omnibus sustinui, adhuc corpus meum paratum esset, subire hæc omnia, cum libenti voluntate, & perfectissima charitate.* Unde merito hanc charitatem admirans S. Bernardus S. 1. de adv. ait: *Mira quærentis DEI dignatio, magna dignitas Hominis se quæsit, in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens, non quod aliquid videatur esse tantumquam à seipso, sed quod tanti eum fecerit ipse, à quo creatus est; omnes enim diuitiæ, omnis gloria mundi, & quidquid in eo conspicitur, minus est hæc gloria, imò nec est aliquid in comparatione illius.* Sed & S. Paulus hoc exemplum sibi & aliis 2. Cor. 5. proponens ait: *Charitas Christi urget nos, ut scilicet, quemadmodum ille pretiosum suum sanguinem & animam pro Hominibus offerre non dubitavit, ita & Operarius quisque viliozem longè animam & vitam suam pro iisdem tradere non detrectet.* 3. Exempla Sanctorum, ex quibus tamè non nisi pauca huc afferre placet. Et Moyses quidem tanto erga Populi sibi commissi salutem Zelo exarsit, ut confidenter ad Deum dixerit: Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti.* S. Paulus adeò diligebat Fratres suos, eorumque salutem sitiebat, ut optaret anathema fieri pro illis. Rom. 9. Hinc & alibi 2. Cor. 11. v. 29. dixit: *Quis scandalizatur, & ego non uror? quis infirmatur, & ego*

non infirmor? Et iterum: *Per triennium nocte & die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.* De S. Francisco Seraphico, Sanctus Bonaventura c. 8. vit. scribit: Cùm Franciscus animarum salutem viscerosa pietate appeteret, & fervida emulatione zelaret, suavissimis dicebat se repleti odoribus, & quã pretioso unguento leniri, cùm Sanctorum Fratrum per orbem degentium odoriferã famã multos audiret ad veritatis viam reduci, ex talium auditu exultabat in Spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis Fratres illos accumulans, qui verbo & opere ad Christi amorem inducerent Peccatores. S. Franciscus Xaverius adeò ferventem habebat Zelum procurandæ alienæ salutis, ut ei innatus videretur, teste Turfellino l. 6. vit. c. 10. Huc ille toto impetu ferri, in hoc totus esse, hoc omnibus expetere votis, in hoc maximè acquiescere, ut Christo aggregaret quàm plurimos. Nec minor quærendi novos Greges, quàm partem tuendi cura erat. Quippe ita eos præceptis atque institutis instruere erat solitus, ut externi Pastoris operã non magno opere indigerent, nec rerum ad Christianos Spectantium scientiã ipsis cederent Europæis. Ubique confessionibus audientibus, reconciliandis dissidentibus, agris sublevandis, cæterisque pietatis officiis dabat operam, adeò cibi & potionis oblitus, ut sæpe biduum, triduumve traduceret jejunus. Hinc non contentus apud Indos & Japones suam charitatem extendisse, ipsa etiam Sinarum claustra severissimis licet legibus & custodiis firmata penetrare cum aperto capitis periculo tentabat. Sed & Orlandinus l. 11. hist. Soc. n. 119. de eo scribit, quòd in regno Bungi, Regis curã non intermissã, multas quotidie horas in erudienda multitudine collocarit, & suas quoque Lusitanis impertiverit, unam ante lucem ad eorum animos expiandos, alteram sub noctem ad eosdem cohortandos & incendendos, atque ita totum diem per summam corporis negligentiam distentus fuerit. Querentibus Domesticis & Amicis, quòd nimis serò se lecto reciperet, respondebat, nihil esse, quòd sui rationem ducerent, cùm instaret hora convivii, aut se de die numerarent in vivis: si secus agerent, apud se graviter offensuros, suum cibum esse animarum salutem, & in summis habere se deliciis, si vel unius Japonis animam lucrifaceret. San-

ctus Ignatius Lojola, Ribadencira l. 5. vitæ testante, tanto
 pariter Zelo erat accensus, ut inter ipsam etiam negotiorum
 molem perditas meretriculas tanto studio conaretur ab im-
 puritate abducere, ut, si quæ ex iis respiscere vellet, grandis
 jam natu vir, & Præpositus Generalis antecedere ipsemet, &
 perductoris quodammodo munere fungi, Christi causâ non
 erubesceret. In quo cum admoneretur à quibusdam, frustra
 tempus ac laborem infumi, quippe insanabiles esse ejusmo-
 di feminas, ac, licet in præsentia pœnitentiam ostenderent,
 brevi tamen ad ingenium redituras, ego verò, inquit ille, cu-
 juslibet istarum unius tantum noctis impedisse flagitia & ini-
 urias in DEUM, omnis operæ & vigilantix pretium duxerim.
 Et ne soli duntaxat virili sexui hic Zelus proprius vi-
 deatur, memorabilis prorsus fuit S. Mariæ Magdalene de
 Pazzis Zelus, de qua in lib. 4. vit. c. 24. legitur, quòd orantem
 quondam in raptu pro conversione cujusdam Peccatoris cla-
 marit: O si aliquando Dæmones non haberent occasionem
 molestandi me visione peccatorum humanorum! O verbum,
 quàm libenter paterer quodvis genus Martyrij, dummodo
 eum viderem conversum, sed non esset mihi Martyrium, ve-
 rum Paradisus. Et aliàs, ut c. 28. refertur, dicebat: Adhuc
 desidero animas conducere ad te, ut mihi sit pœna hoc desi-
 derium, ut mihi sit quasi quidam infernus. Hinc & peculiari-
 ter devotione prosequeretur eos Ordines, qui ex peculiari in-
 stituto vacabant conversioni animarum, dicebátque, se in-
 videre aviculis, quæ volare possent, quòd vellent, eò quòd &
 ipsa sine præjudicio suæ Professionis cuperet, si possibile fo-
 ret, totum Mundum peragrarè propter animas convertendas.
 Unde etiam somnians de Zelo animarum somniabat, & lo-
 quebatur de conversione Infidelium, atque ut ex sua parte co-
 operaretur, assiduò offerebat pro iis sanguinem JESU, & ap-
 plicabat hâc intentione opera Religionis, preces, communio-
 nes, & multas afflictivas pœnitentias, quibus carnem suam
 atterebat, & hoc ipsum etiam Monialibus suæ curæ commis-
 sis commendabat. Imò in eundem finem à Deo petebat in-
 firmitates, aliàsque tribulationes, obtulitque se ad toleranda
 pro Peccatoribus ipsas etiam inferni pœnas, si DEO ita place-
 ret. Aliquando verò in ectasi dicebat: Domine, si non facias
 mihi gratiam istam, dando scilicet animas, quas à te peto, di-
 cat

eam etiam ego, nolle me venire ad possidendam gloriam, quam mihi preparasti. Alia vice dixit: Si DEVS à me peteret, ut olim perijt à S. Thoma Aquinate, quam mercedem vellem pro meis laboribus, non aliam peterem, quàm salutem animarum. Sed & S. Teresia simili Zelo accensa, teste Marchantio in virga Aaron lect. 1. dicebat: Quantum mihi damnum, aut cur conqueri debeo, licet usque ad diem iudicij pœnas Purgatorij sustinere oporteat, modò per illud consequar, quòd anima una salvetur; quantò ergo magis, si de plurimum animarum lucro agatur, id vereri non deberem? cùm verò legendo vitas Sanctorum incidisset in aliquos, qui multas animas ad DEVM reducerant, magna consolatione afficiebatur, dicebatque, se magis hoc eis invidere, quàm multa Martyria, quæ patiebantur; ideòque vel maximè aestimabat illos Ordines, qui conversioni & lucro animarum studebant. Et, si aliquis talium ægrotaret, pro eo assidue orationem fundebat, ut citò convalesceret, & ad lucrum animarum rediret. Quòd si verò talium quempiam omnino mortuum audiebat, etsi non esset ad planctus Feminarum proprios proclivis, magno tamen cum dolore lacrymas copiosas profundeabat, ob jacturam unius in terra, qui tot animas cælo lucrabatur, cùm tamen audita morte Fratris ne unam quidem lacrymulam profudisset, ut Author vitæ l. 3. c. 35. testatur.

III. Jam verò si *infra se*, ad ipsum scilicet infernum, semetipsum convertat, non levia iterum motiva inveniet ad eundem Zelum accendendum, sed duo præcipuè. Primò, Diaboli studium ac fervorem in animabus perdendis, quod quidem ipsemet olim passus est in iudicio, audiente S. Birgitta (ut P. Petrus Pennequin. p. 2. Isagog. ad amorem divinum c. 27. testatur) dum dixit, se majori impetu ferri in perniciem Animarum, quàm torrens violentus per campos rapi consuevit. Causam verò rogatus à Christo respondit: Quia tu illas tantopere amas. Hinc meritò S. Carolus Borromæus hoc motivum Operarij ob oculos sequentibus verbis posuit, ut p. 5. Act. Medit. l. 3. c. 2. fol. 838. videre est: *Considerent præterea terribilem animarum stragem, quam generis humani sempiternus hostis Sathanas facit, quantam in illis perdendis sollicitudinem adhibent, quibus utatur Ministri, quâ alacritate, quibus laboribus & vigiliis scelesti Ministri opus urgent indefessi & assidui, idem*
que

que perpetui & obfirmati. Quare turpissimam rem facturos se existimare debent IESV Christi Ministri, si ita Magistri sui voluntatem, dignitatemque suam atque sempiterna premia perdant, vel à Christiana charitate tam alienos se prabeant, ut à Sathana Ministris superari se sinant, patientisque, ut illi maiori studio ad se, aliosque perdendos, quàm ipsi ad suam & aliorum salutem tuendam incumbant. Secundo. Excitare meritò quoque deberet ad Zelum gravitas infernalium prenarum, quæ præparatur ipsis Peccatoribus; quod motivum S. Augustinus lib. de salut. mon. c. 55. sequentibus verbis suggestit: *O mi Frater, numquid ferrea sunt carnes nostra, ut non contremiscant, vel etiam sensus noster Adamantinus, ut non mollescat, aut etiam minimè evigilet ad illa DEI verba: Ite maledicti in ignem aeternum?* Quare non dicimus cum Jeremia Propheta c. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfecta Filia Populi mei?* Certè huc etiam suo modo applicari potest id, quod idem S. Doctor ad Fratres in Eremo dixit: *Cadit Asinus, & omnes cum sublevare festinant. Clamat porcus, & omnes ceteri porci cum ipso clamant. Clamat inter tormenta (aut periculum certè illorum incurrendorum) Fidelis (aut Peccator) & non est, qui exaudiat. Ecce vestra inhumanitas.*

IV. Quòd si verò se extra se convertat Operarius, tria iterum non minùs efficacia motiva reperiet ad Zelum accedendum. 1. Dignitatem animarum, pro quibus laborat, quam quidem breviter & verè indicavit S. Gregorius Nyssenus hom. 4. in Eceles. dicens: *Qui humanam novit naturam, nec totum quidem mundum dixit satis iustum pretium, quod daretur pro anima hominis.* Cujus rationem ulteriorem assignans S. Bernardus c. 3. Medit. *Totus quidem iste mundus, ait, ad unius anima pretium aestimari non potest; non enim pro toto mundo animam suam DEVS dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius est ergo anima pretium, qua non nisi sanguine Christi emi potuit.* Hinc meritò S. Dionysius c. 3. de eccl. Hier. dixit; *omnium divinarum divinissimum est cooperari Deo in salute animarum.* Et S. Gregorius ho. 1. 1. hom. 12. in Ezechielem id ipsum confirmans, *nullum ait, omnipotentis DEI tale est sacrificium, quale est Zelus animarum.* Unde rectè concludens S. Chrysostomus ho. 3. in 1. Corinth. *Et si, ait, im-*

inensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam
 converteris animam. Ut adeò meritò S. Catharina Senensis,
 quemadmodum in vita illius Surius & alii testantur, si quem
 Dominicanæ Familiæ Alumnum per plateam vidisset incede-
 re, domo egrediens, vestigiis ejus pia oscula ferre solita sit, eò
 quòd divinitus sibi pulchritudo animæ ostensa fuerit, quæ sit
 in gratia, atque adeò ter felices ducat eos, qui ad hoc operam
 suam conferrent. Unde iterum hoc motivo excitans Ope-
 rarios S. Carolus Borromæus l. 3. c. 2. act. med. f. 837. Ani-
 mo, inquit, assidue cogitent, quàm nobiles sint anima, & pre-
 ziosa in conspectu Domini, quanta sit earum dignitas, quas pro-
 prio sanguine redimere Filius DEI non dubitavit: quàmque
 præcellens opus sit, in eo salutari officio DEI esse Cooperatores,
 quo nihil certè in terris illustrius, nobiliusve excogitari potest.
 2. Reperiet extra se Operariorum paucitatem, ex quo motivo
 sic ad Zelum incitat idem Sanctissimus Aristes: Sed & illud
 considerent, quanta, quàmque ampla sit messis, quanta Spira-
 tualium bonorum egestas, quanta salutariter agentium penuria,
 quàm pauci verò Ministri, qui Sancto desiderio incensi, suis
 commodis, utilitatibusque neglectis solam Christi gloriam, ani-
 marumque salutem spectent. 3. Inveniet Pastorum oves ma-
 teriales custodientium ab eodem S. Archiepiscopo & Cardina-
 le sequentibus verbis propositum: Perpendamus ovium
 Pastores, illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quan-
 ta pro pecorum suorum studiis patiantur. Illi sæpe numero uni-
 versum triduum nive obruti perdurant. Dicuntur autem &
 qui in Lydia sunt, non minora mala ferre, dum integros menses
 difficilem illam solitudinem, pessimarumque bestiarum plenam
 vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentia im-
 pendunt Pastores illi, quam, quæso, excusationem habebimus,
 quibus rationales anima concredita sunt, quòd profundum hanc
 somnam dormimus? Quis, quæso, ab eo nos supplicio etripiet,
 quòd istis debetur? si enim corpus trucidandum exponere, si unu-
 meras mortes ferre oportebat, numquid ad hoc munus tanquam
 ad nundinas currendum erat?

V. Si denique se intra se convertat, & ibi sanè efficacissima
 reperiet motiva ad Zelum animarum in se excitandum, in-
 gentia scilicet illa lucra propria, quæ ex eodem Zelo reporta-
 bit, quorum primum est copiosa pro peccatis propriis satisfactio.

Etio, de qua jam pridem S. Jacobus c. 5. dixit: *Qui corvum fecerit Peccatorem ab errore via sua, salvabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Quod confirmans S. Chrysostomus ho. 5. adversus Judæos, *sape, ait, una anima, quam lucrati fuerimus, potest innumerabilium peccatorum pondus abolere, anima que nostra pretium in extremo die iudicii fieri.* Hinc ho. 3. super Gen. ait: *Hoc nostra salutis argumentum erit, & occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti, sed & Proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manducentes.* Alterum lucrum est meritorum cœlestium incrementum & coacervatio; si enim magna mercedis est, inquit S. Gregorius l. 19. mor. c. 16. *à morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti à morte anima liberare in cœlesti Patria sine fine victuram?* Quod ipsum confirmans S. Chrysostomus. ho. 3. in gen. ait: *ut animam corpore melior sit, ita his, qui indigentibus pecunias & facultates suppedirant, maioribus præmiis digni sunt hi, qui admonendo & continuo docendo in viam rectam supinos & desides inducunt, monstrando eis divinarum virtutum fragrantiam, & vitiorum malevolentiam.* Si ergo, ut ex eodem sancto supra ostensum est, plus facit; qui animam unicam convertit, quam si immensas eroget Pauperibus pecunias, ex tali erogatione autem haud dubie ingentium meritorum cumulus obveniret, facile appareat quam amplam mercedem sperare possit is, qui cum sincero Zelo, animarum lucro sese totum impendit. Certè idem S. Pater ho. 29. in Epistolam ad Rom. asserere non dubitavit bonum Pastorem, qualem Christus vult, cum innumerabilibus Martyribus componi posse, siquidem Martyr semel tantum propter Christum moritur, hic verò millies propter gregem, ut ad eò meritò Christus Matt. 5. dixerit: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

VI. Atque hæc scilicet sunt motiva, quæ, ut verbis S. Caroli Borromæi iterum utar, si cogitent Animarum Curatores, jure ac meritò sperari debet, talibus cogitationibus quasi facibus quibusdam animum illorum accensum iri, ut nullus vel maximus labor esse possit, quem illi subire recusent, ne pretiosissimi Christi Sanguinis fructus in ipsis, aliisque ipsorum negligentia pereat.

CAPUT VI.

QUOMODO IMPEDIMENTA ZELVM
ANIMARUM RETARDANTIA
SINT REMOVENDA.

I. Multa quidem sunt, quæ non paucos à cura Animarum, Matque adeò ab Apostolica Conversatione absterrent; sed omnia ferè impedimenta hujusmodi ad quinque sequentia revocari possunt.

II. Primum igitur impedimentum meritò censetur *nimum quietis, solitudinis, & orationis desiderium*; hæc enim, cum non consistere videantur posse cum procuratione alienæ salutis, hoc ipso non leviter ab hac cura retrahunt eos, qui ejusmodi desiderio quietis & orationis sunt ascensi. Ad quod impedimentum removendum bene notanda inprimis est S. Laurentij Justiniani de casto connubio c. 12. sententia: *Anima, inquit, qua lucrata est Verbo, Verbo fructificare conatur, quoties se offert causa. Quandoquunque impellitur seu vocatur à verbo, non minùs ardentè, quàm prudenter postponit se, sua interponit, ut vacet Proximo, ut Proximi secunderetur profectibus.* Nullo quidem exercitio occupatur congruentius Sponsa, quàm cum animarum intendit lucris. Hoc etenim Sacrificio nihil magis, nihil suavius Verbo redolet. Vnde Petro, cum diceret: *amas me?* illèque responderet: *Domine, tu nòsti omnia; tu scis, quia amo te;* ipse mox intulit: *Pasce oves meas.* Nihil amanti ardentè carius potuit committere, quàm illud, propter quod exinani-ri voluit, & mori. Quod ipsum confirmans S. Chryso-
mus ep. 54. quæ Gerontium Presbyterum ad iter pro anima-
rum salute suscipiendum hortabatur, post alia sic ait: *Huius-
modi peregrinationes suscipere, longè præstantius est, atque con-
ducibilis, quàm domi desiderere. Illic enim degens etiam hæc
habere potes, quæ nunc habes, hoc est, ieiunium, vigiliis, caterâ-
que Christianæ Philosophia genera; domi autem desidens ea lu-
crari non potes, quæ, si in illa regione commorareris, adipisci po-
tes, nimirum tot animarum salutem, periculorum mercedem,
tantaque animi promptitudinis ac studij præmium.* Hinc meri-
tò P. Balthazarus Alvarez, uti vit. c. 47. refertur, nostros exti-
mala-

Instruct. III.

D

mala-

mulabat, ne essent nimium addicti recollectioni, & negligenter agere cum Proximis de spirituali animarum bono. eò quòd esset hoc esset proprium vocationis nostræ munus. Ideoque dicebat, nimium hoc studium in hominibus ad curam animarum vocatis, non esse Spiritum DEI, cum illis constet, divinam Majestatem contrarium velle, ad quod eos vocavit; & ideo talibus quietem nimis amantibus DEUM subtrahere portionem Spiritus tanquam otiosis & inutilibus selectis. Id quod Alphonsus de Roza Ord. S. Francisci, teste Alphonso Rodriquez, p. 3. tr. 1. c. 6. est expertus; cum enim hic bene multos annos in excolendis Indiæ Novalibus gnauiter desudasset, & tandem fessus, studio recolligendi se, atque supremo certamini præparandi, sepositâ aliorum curâ, in Hispaniam remigrasset, fassus est, quoties Orationi vacabat Christum Crucifixum sibi ob oculos versari, sequentibus verbis exoptulantiem: Quare me in hac Cruce derelictam quietem, commodaque sectaris? unde ad stationem reversus, strenuum multis annis Operarium egit. Nimirum talibus non immeritò illud D. Bonaventuræ in Pharetra amoris divini p. 2. c. 1. occini posset: *Quomodo quis potest dicere se diligere DEVM, & eius amorem appetere, qui eius imaginem videt in sterquilinio iacere, & non curat? aut si cogitat, quod Filius DEI pro animabus redimendis mortuus est, & ipse pro animabus mori non cupit? Quomodo credis, te amicitiam Sponsam si habere, qui eius Sponsam ab adulterio non custodis? aut cum festinanter ad Sponsam non reducis?* In horum omnium maiorem confirmationem non parùm proderit notâsse, quod olim P. Martinus Guttierrez Francisco Riberæ Doctore Theologiae respondit, teste Ludovico de Ponte c. 30. vit. P. Balthe Alvar. cum enim hic diceret, decrevisse se, colligere se, & domum quampiam prope Sacellum B. Virginis (quam impensè amabat) exstruere, & inde ad vicina loca concionandi gratia excurrere, reliquum verò tempus cum libris suis consumere; respondit P. Martinus: Domine Doctor, placet huiusmodi propositum, sed attendite, quis tunc sibi retineat optimum pignus, quod habet, propriam scilicet voluntatem. Quæ vero adeò cor eius penetravit, ut statim decreverit, relicto mundo Societatem ingredi. Quare optimè faciet Operarius, si exemplum Sponsæ sequatur, de qua S. Bernardus super illa

De Conversatione Apostolica in communi. § 1

Verba Cant. 2. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: discurrens sic loquitur: Audit Sponsa, ut surgat, & properet, haud dubium, quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat Zelo, & desiderio acquirendi DEO, qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio predicationis libentissimè intermittat, & rursus potita votis aliquatenus in hac parte, tanto ardentius redeat in idipsum, quando se fructuosius intermisisse meminerit, & iterum sumpto contemplationis gustu valentius ad conquirendum lucra, solia alacritate recurrat.

III. Alterum impedimentum est diffidentia de gratia vocationis, & nimis ad proprias vires respectus; ratione cuius multis evenit, quod olim Moyse & Aaroni dixit DEVS Num. 20. Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram Domino: non introduceris hos Populos in terram, quam dabo eis. Quod proinde impedimentum ut removeatur, firmiter credendum est, quod S. Paulus Philipp. 2. dixit, quod scilicet DEVS sit, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate, id est, iuxta mensuram fiducia, quam de eius auxilio, gratiaque concepimus, ita ut verissimè dixerit Sanctus Bernardus l. 9. in Ps. qui habitat: Tantum per nos operabitur DEVS, quantum se nostra in eum fiducia extenderit. Hinc S. Paulus Corinthiis 2. c. 3. scribens, fiduciam autem talem, inquit, habemus per Christum ad DEVM; non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est, qui & idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti. Quam doctrinam bene observans P. Balthasar Alvarez dicere solebat, ut vit. c. 4. legitur: Ex quo DEVS Religiosum posuit, (id est, ad statum Religionis & curam animarum vocavit) ipse eundem deducet cum profectu. Quid, si plus eum oneret, quam ferre possit, se ipsum onerat, quia in se recepit supplere, quod illi deest. Id igitur ego vellem, ut ipse manu sua mihi utiquid imponeret, quod meas facultates excederet, nam hoc ipso teneretur id mihi dare.

IV. Tertium impedimentum est horror difficultatum & laborum, qui in Conversatione Apostolica occurrere solent. Ad quod impedimentum tollendum præclare instruit, & hortatur S. Chrysostomus hom. 43. illa S. Pauli 1. Cor. 16. verba

expendens: Ostium mihi apertum est magnum, & Adversarij multi. Super quæ verba sic discurret: Si magnum, quomodo Adversarij? & respondet. Quod multi ad eò reluctentur, indicium est Evangelica Victoria. Nusquam enim nocentissimus illi Adversarius irritatur gravius, quàm eùm suorum instrumentorum multa sibi eripi videt. Verùm nos, ubi magnum aliquod & egregium facere statuerimus, nequaquam id nullo labore constiturum sit, cogitemus, sed utilitatem magis respiciamus. Vides igitur exemplum eius in Paulo, qui nihil, quod multi essent Adversarij, cessat, verùm, quod magnum pateret ostium, stat diligenter negotio. Nec ostium duntaxat, seu lucrum animarum patet, sed optima etiam occasio ad divinas consolationes abundantius percipiendas; hoc enim est, quod DEVS in remissionem olim promiserat, c. 15. dicens: Si separaveris preciosa à vili (id est, animas à peccato) quasi os meum erit id est, omni voluptate perinde repleberis, sicut ori per procuracionem optimi cibi & potus varias delicias procurare solemus. Id quod S. Franciscus Xaverius præcipue expertus est, ut qui inter summos labores & difficultates tantis deliciis & consolationibus cœlestibus affluebat, exclamare cogere: Satis est, Domine, satis est. S. & P. Henricus Henricius, teste Orlandino p. 1. h. Soc. tit. 8. num. 133. affirmabat, tantam in medijs pro animarum salute susceptis laboribus esse copiam divinarum consolationum, ut qui vis mallet his laboribus perpetuò frangi, quàm subito in cœlum rapi. In sede Juliacenti verò Provincia Pervanæ, licet nostri summos labores exhaurirent, omnique terreno solatio carerent, tam incredibili tamen eorum animi voluptate perfundebantur, ut illa sedes lætitudinis domicilium fuerit appellatum, quemadmodum annuæ litteræ Provincia Pervanæ anni 1603. testantur. Et verò, si Jacobus Patriarchæ olim omnes anni in gravissimis laboribus consumpti breves & pauci videbantur, quia per eisdem Rachem à se tantopere dilectam lucraturum se confidebat; quanto magis Operario omnes labores, quos pro animarum pericherrimarum lucro sustinebit, breves & leves, imò & delectabiles videbuntur?

V. Quartum impedimentum est Periculi tam corporalis (puta morbi gravis, aut ipsius mortis incurrendæ) quod

Spiritus

Spiritualis (tentationum videlicet, vel lapsus in peccatum) *meus*. Difficile namque est, versari inter spinas, & ab eis non pungi; & calcare terram pedibus, ita, ut nec pulvis, nec lutum ijs adhæreat, quemadmodum S. Hieronymus in Epistola ad Damasum advertit. Ad quod impedimentum removendum sequentes doctrinæ non parùm juvabunt. Si scilicet primò, ne periculum corporale timeat, meminerit, quàm multos DEVS ex manifestis ejusmodi periculis illæfos eduxerit, & præservârît, ut meritò hîc locum habere videatur pulcherrimum illud cujusdam Ascetæ effatum: *Vita, qua propter charitatem periculo exponitur, per charitatem meliùs conservatur.* Deinde, si meminerit, Pastoris se officium suscepisse; bonum autem Pastorem, teste Christo Joan. 10. animam suam dare pro ovibus suis. id quod clariùs indicans S. Basilius in mor. reg. 80. c. 14. & 16. ait, Operarios debere esse Pastores Ovium Christi, qui, quodcumque tempus postulat, ne animam quidem ponere pro illis dubitant, ut Evangelium illis impertiant. Imò & Patres ac Nutrices illorum esse debere, qui ex magnitudine ejus, quæ in Christo est, charitatis, parati sint libenti animo communicare non solum DEI Evangelia, sed suam ipsorum vitam. Et verò si tam multi reperiantur, qui cum ijsdem periculis corporalia ministeria magna cum alacritate ac sedulitate exhibent ijs ipsis, quibuscum agere formidat Operarius, meritò erubescere deberet, si illos modici lucri temporalis causa tam generosè contemnere videat illa pericula, & ipse ob spem inæstimabilis præmij, lucrìque animarum eadem subire reformidet. Si denique meminerit, quàm pretiosa & optabilis sit mors ejusmodi in conspectu Domini, quæ in tali opere charitatis incurritur; talis scilicet, quæ ipsi Martyrio comparetur, sic enim S. Laurentius Justin. l. de S. Martino expressè docet, dum ait: *Magnum prorsus est Martyrij genus, ultrò se pro Christi amore dare periculis. Audi sine ferro Martyrem ex sola charitate morientem.* Et ideo in Romano Martyrologio 28. Febr. etiam recensentur illi Presbyteri, qui Alexandriæ, cum sub Valeriano Imperatore pestis sævissima grassaretur, morbo illo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem appetierunt, quos velut Martyres religiosa piòrum fides venerari consuevit; de quibus etiam S. Dionysius Episc. Alexandrinus apud

Eusebium l. 7. c. 16. sequens testimonium protulit: *Ex Patribus, qui virtute erant praestantissimi, in hunc modum mortem appetiverunt, adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipiebatur, nihil à splendore Martyrij abesse videretur.* Ut verò etiam Spiritualia pericula non timeat, bene in primis notandum est, quod Jacobus Marchantius in virga Aaronis tr. 1. lect. 6. sapienter advertit, quòd scilicet, sicut DEVS novit hoc onus esse grave, & gratiam ad ferendum haud dubiè velit suppeditare; sciat item & velit pericula temperare, & timoratis specialem protectionem impendere; sic enim protexit Abrahamum in Chaldaea, Lothum in Sodomis, Jobum inter Infideles, Daniele in Babylone, quos omnes voluit esse perfectos in medio nationis pravæ, ut nemo animum despondeat in quoecunque situ, sed se potiùs divinæ Providentiæ, protectionique committat. Hinc P. Balthasar Alvarez, uti vitæ illius c. 5. refertur, dicere solebat, securitatem in agendo cum Proximo, cum ex obedientia suscipitur, esse valde magnam, adeo, ut si quæ obediendi causa infames Feminas accederet, ut illas Christum lucraretur, mundissimas haberet cogitationes, quasi esset aliquis Angelus; at si ex propria voluntate in cubiculo suo moreretur, fœdis ibi cogitationibus ureretur. *Nescio, inquit, quomodo quis possit tutum putare, quod à Domini voluntate recedit. Quanam, quæso, securitas esse potest, ubi DEVS non est. Hoc enim est, quod S. Bernardus dicebat: quando bene erit sine illo, & quando malè cum illo?* Certè Lancizius Opusc. 13. n. 443. testatur, novisse se non paucos, qui ex missionibus plurimum mecum redibant magis collecti, devoti, puri, circumspiciti, & regularum observantes, quàm in Collegijs fuerint. Deinde bene etiam notandum, etsi DEVS non semper in eiusmodi periculis protegat à tentatione, hoc ipsum tamen ad majus meritum ac præmium permittere, id quod Marchantius l. c. apposito exemplo ex Sophronio in prato spir. c. 3. confirmatum narrat, Cononè Presbytero Alexandrino, cum in mulieribus baptizandis aut inungendis gravissimas tentationes experiretur, ideòque Monasterium deserere vellet, S. Joannem Baptistam apparuisse, & dixisse: *Tolera, & persevera: ego te ab hoc certamine liberabo.* Cum verò ille post hanc adhortationem, Puellâ valde speciosa ex Perside oblatâ, iterum

timeat

timens scandalum, sumpto melote suo, omnino recederet, S. Joannes iterum apparens dixit: *Revertere ad Monasterium, & hoc te certamine eximam.* Conone autē respondente, quomodo sperabo, quod toties pollicitus non præstitisti? respondit Sanctus: *Volebam te pro hac pugna mercede donari, sed quia non vis, ecce aufero à te bellum hoc, mercede autē operis carebis:* simulque ter sub umbilico ipsum signans, usque ad eò omnem carnis rebellionem abstulit, ut Puellam illam baptizans & ungens, mulierem esse non adverterit. Quòd si verò omnino ipsum ex fragilitate labi contingat, certò tamen sibi persuadeat, etiam ob hunc lapsum non esse omittendam conversationem, sed potius commoda longè majora, quæ inde proveniunt, consideranda. Id quod Marchantius l. c. ex illis Salomonis Prov. 14. c. verbis ostendit: *Vbi non sunt boves, præsepe vacuum est: ubi autem plurima segetes, manifesta est fortitudo bovis.* Quem locum ille allegoricè sic ad hunc scopum explicat. Sicut, qui caret bobus, habet præsepe, id est, stabulum mundum. Qui autem boves habet, immundius habet stabulum, habet tamen etiam multitudinem fructuum; sic qui curam animarum non suscipit, nec in agro Domini laborat, sed totus sibi vacat, fortè habet majorem munditiem conscientiæ. Sed qui boves suos jungit, id est, operas suas Proximis navat, hic aliquando præsepe aut stabulum immundius habet; nam ex consuetudine hominum, & negotiosa vita aliquid sordium saltem levium contrahere potest, uberiores tamen fructus metit. Quod ipsum alij similitudine duorum globorum, quorum alter aureus, alter argenteus est, declarant; uti enim aureus faciliùs quidem inficitur, sed ubi iterum purgatur, pretiosior longè est, quàm argenteus; ita & is, qui cum Proximo agit, faciliùs quidem maculam contrahit, quoad meritum tamen & charitatem longè pretiosior est & acceptior coram DEO. Hinc ipse etiam Christus S. Gertrudi, ut l. 4. revel. c. 47. videre est, dixit: Si quis amans veritatem, pro illa defendenda in aliquibus delinquit, durioribus verbis, Zelo impellente, aliquos corripiendo, aut alio quocunque modo, sive negligentius, sive districtius agendo, hunc ego certè apud DEVM Patrem & omnes cœli cives fideliter excusabo, quemadmodum Mariam Magdalenam excusavi, imò pro ipso universa emendabo. Et aliàs l. 3. c. 58. cum ad-

verteret cor suum debile in aliquos defectus incidere, & tamen illud DEO offerret, ut in illo repaufaret, respondit Dominus: Tuum debile cor tali affectu oblatum tantò gratius accepto, quàm alterius cor forte, sicut magis acceptatur bestia multa venatione agitata, quàm domestica, eò quòd canes illius teneriores sint, ac suaviores ad vescendum.

V. I. Quintum denique impedimentum est, *laboris susceptionis aut suscipiendi sterilitas*, quòd scilicet nullus ex eo fructus percipitur videatur, aut etiam secuturus sperari possit. Ad quòd impedimentum removendum sequentes tres doctrinæ non parùm conducent. Prima est, quòd non hoc ipso, quia fructus statim non respondet, omnino de eo desperandum sit. Nam ut commune habet proverbium, *Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo.* Ideo S. Chrysostomus Conc. 1. ad Lazaro sapienter discurret: *Non erexi quidem egrotantes, attamen eos, qui valent, reddidi fortiores. Non abduxit quendam à vitio sermo noster, sed tamen eos, qui cum virtute agunt, reddidit attentiores.* Supra hac quoque quidquam addam verbum *Hodiè non persuasi, sed fortè cras persuadere poterò. Quòd si minùs cras, attamen perendie, aut quarto ab hoc die fortè persuasero.* Qui hodie, quæ audivit, repulit, cras fortassis audiet, & recipiet, fortassis post dies plures præbebit animum, quæ dicentur. Quandoquidem & illud crebrò fit, ut Piscator, qui per totum diem vacuum attraxerit rete, sub noctem iam abire parans, capto, qui ipsum per totum diem fefellerat, piscem descendat. Etenim si Agricola protinus ab agricolatione recesserit, quòd semel atque iterum, aut saepius aëris acciderit inaequalitas, fame brevi periremus omnes. Et iterum ho. 3. in 1. Cor. *Si hodie nemini persuaseris, inquit, persuadebis postredie, etsi nunquam persuaseris, mercedem tamen integram habebis, & si non omnibus, paucis tamen ex multis persuadere poteris.* Nam neque Apostoli universo orbi persuaserunt, licet cum omnibus disputarint, & mercedem in omnibus assecuti sint. Noli ergo, cum orbem terræ salvum facere non possis, etiam parvum contemnere. Neque maiorum desiderio à parvis te abstrahas, si centum nequis, decem curam suscipias: si decem non possis, noli quinque despiciere: si quinque vires tuas excedunt, unum non contempnas. Quòd si neque hoc possis, noli desperare, noli laborare sedere. Nónne vides in negotiationibus, non auro duntaxat, sed

sed etiam argento mercatores negotiari? Nam si parva nihil contempserimus, assequemur & magna. Sin autem neglectui nobis illa essent, neque hac facile assequi possemus. Sic singuli divites evadunt, cum magna simul & parva colligunt. Hanc doctrinam sanè animo firmiter impresserat Zelosissimus ille Indiae, Japoniaeque Operarius, S. Franciscus Xaverius, qui, ut l. 6. c. 17. vit. refertur, monebat Cultores animarum, ut non fortius magis, quam perseverantiùs eorum perferrent vitia, infirmitatem sustinerent, frugèmq; sementis factæ, laborumque (quamvis seræ spei) fructum, velut boni Christi Agricolaë expectarent, haud ignari, qui seminant in lacrymis, in exultatione messuros. Quòd si ab initio tales non reperirent, quales expeterent, ita cum illis se gererent, ut cum improbis Filiis boni Parentes, Deique benignitate freti, qui Hominum mentes suo demum tempore ad bonã perducit frugem, non diffiderent eos aliquando tales fore, quales optarent. Quare nunquam desinerent eos omni studio colere, præsertim cum DEUS omnium communis Parens, quamvis læsus à nobis, benignè tamen omnibus facere non desistat. Altera doctrina est, quòd, etsi alius fructus non sequeretur, fat magnos tamen fructus jure merito censerì debeat, satisfacisse officio suo, & voluntatem DEI implevisse; uti idem S. Chrysostomus sapienter notavit, dum l. c. dixit: *Vitam oratio nostra aliquid proficiat! Quòd si post longam admonitionem in iisdem vitiis perseveraverint, ne sic quidem desistemus illis, quòd rectum est, consulere, quandoquidem & aquarum venæ, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen: & fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt: & amnes, etsi nemo bibat, nihilò secius fluunt; sic oportet & illum, qui concionatur (& conversatur) quamvis nullus auscultet, tamen prestare, quidquid in ipso situm est. Siquidem hac lex nobis, qui sacri sermonis administrationem suscepimus, à benigno præscripta est DEO.* Sic S. Ignatius, teste Maffeo l. 2. c. 11. si quem omnia expertus, tamen è peccatorum cœno extrahere non potuisset, non ideo contrahebat animum, vel se angori dabat, quasi oleum & operam perdidisset, sed conscientiaë & Officii fructu contentus, acquiescebat in alto providentiaë divinaë consilio. Idem alios, teste Ribadencira l. 5. c. 11, facere hortabatur, Angelorum Tutelarium exemplo, qui

quos à DEO sibi commissos acceperunt, monent, quoad possunt, defendunt, regunt, urgent, ad bonum juvant; sed si voluntatis libertate abutuntur illi, & inobedientes atque obstinati sunt, propterea tamen nullo anguntur mœrore, nulli afficiuntur molestiâ. Curavimus, inquit, Babylonem, & non est sanata. Tertia denique doctrina est, quòd neque p̄remio suo sit labor cariturus, licet omni alio fructo destituatur, id quod memorabili sententia S. Bernardus Eugenio l. 4. de confid. c. 2. declaravit: *Noli diffidere, inquit; curam exigeris, non curationem. Denique audisti: curam habe illum, & non curam, vel sana illum. Verùm dixit quidam: Non est in Medico semper, relectur ut ager. At melius tibi propono de tuis. Paulus loquitur: plus omnibus laboravi, non, ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum in solam religiosissimè vitans. Aliàs autem noverat Homo, quem docuit D. E. V. S., quia unusquisque secundùm laborem accipiet, non secundùm proventum. Ita, quæso, & tu fac, quòd tuum est; nam D. E. V. S., quod suum est, faciet: satis alie que tua anxietate & sollicitudine curabit. Planta, rige, fer curam, & tuas explevisi partes: sanè incrementum, ubi vulerit, dabit Deus. Vbi fortè noluerit, tibi deperibit nihil, dicente scriptura Sap. 10. Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. Quod ipsum etiam B. Virgo S. Birgitta l. 4. revel. c. 21. olim sequentibus verbis insinuavit: *Amici DEI non habent attendiari in servitio DEI; sed laborare, ut homo melius fiat melior, & homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicumque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuntium, quòd IESVS Christus esset verè Filius DEI, & faciendo conaretur, quantum posset, ad aliorum conversionem, licet nulli vel pauci converterentur, nihilominus eandem mercedem obtineret, ac si omnes converterentur, sicut per exemplum dico tibi: Si duo Mercenarii ex præcepto Domini fodereint montem durissimum, & alius inveniret aurum electum, alius verò nihil. Isti propter laborem & voluntatem digni essent equali mercede. Meritò ergo quivis Operarius Artificis illius exemplum sequitur, qui, teste Seneca ep. 7. quæsitus, quò tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos per venturæ? Satis sunt, inquit, pauci, satis unus, satis nullus.**

PARS II.

DE CONVERSATIONE
APOSTOLICA IN PAR-
TICULARI.

I. **E**T si ea, quæ hæcenus de Conversatione Apostolica in communi dicta sunt, sufficere posse videantur, ad instruendum Operarium, ut eandem Conversationem ritè & fructuosè instituere possit. Quia tamen ex una parte nulla doctrina magnam utilitatem, fructumque afferre solet, nisi in particulari ad certam quandam actionem in specie applicata in praxim reducatur; ex altera verò parte sicut in actione aliqua in particulari exercenda variæ circumstantiæ ac difficultates se offerunt, ita aliæ quoque doctrinæ & industriæ, per quas quisque in actionibus talibus eliciendis juvetur, & dirigatur, sunt necessariae; meritò tales in hac secunda parte ex variis Auctoribus magnâ industriâ selectæ, ipsâque experientiâ frequenter confirmatæ afferuntur.

II. Ut verò tantò melior ordo, methodusque in his doctrinis atque industriis tradendis observetur, bene notandum est, quod ipse quondam Christus S. Brigittæ, ut l. 2. revel. c. 24. videre est, sequentibus verbis dixit: *Tribus generibus Hominum Amici mei succurrere possunt. Primò damnatis. Secundo peccatoribus, scilicet cadentibus in peccata, & resurgentibus. Tertio bonis stantibus. Sed potes quarere, quis potest succurrere damnatis, cum indigni sint gratiâ, & impossibile est eis redire ad gratiam? Ad quod ego volo tibi respondere per exemplum. Sicut enim, si in profundissimum aliquod precipitium essent infinitæ fossæ, per quas, qui in profundum caderet, necesse esset, ut descenderet: si aliquis autem observeret aliquam illarum fossarum, non tam profundè propter obstructionem descenderet, sicut alter, si nulla fossa esset obstructa; sic est in damnatis, (puta viventibus adhuc, sed reprobatis à Deo) quamvis enim ex iustitiâ meâ & malitiâ eorum indurata, præfinito tempore, & præscito damnandi sunt, levius tamen supplicium fieret eis, si per aliquem à malis præsentibus refranarentur, & incitarentur ad aliquod bonum. Ecce quàm misericors sum etiam in damnatos,*
quibus

60 De Conversatione Apostolica in particulari
quibus etsi misericordia diceret parcere, iustitia tamen & eorum
malitia contradicit. Secundo succurrere possunt cadentibus, &
resurgentibus, si doceant eos, quomodo resurgant, præcauant
contra casum faciunt, instruunt, quomodo proficiant, & cupi-
ditatibus suis resistant. Tertio proficere possunt iusti & perfecti,
nunquid & ipsi cadunt utique, sed ad maiorem eorum gloriam,
& Diaboli confusionem. Sicut enim Miles in bello leviter per-
cussione excitatur, & ad bellum fortius exacuitur; sic electi mei
ex tentatione Diabolica adversitatis amplius excitantur ad spi-
ritualem laborem & humilitatem, & eo ferventiùs proficiunt
ad coronam gloria acquirendam. Ergo verba mea ab Amicis
meis non occultentur, quia adiuti à gratia mea amplius ad de-
votionem meam possunt excitari.

III. Ex quibus verbis facilè colligitur, has quidem Spe-
cies Personarum præcipuas esse, cum quibus Conversatio
Apostolica instituenda sit; verùm quia hæ ipsæ Personæ va-
riis accidentibus, puta ignorantia, afflictionibus, captivita-
ti, morbis, mortisque periculis subjectæ esse possunt, ideo
illam quoque earundem magis particularem divisionem, at-
que adeò etiam actionum, quæ cum ipsis suscipiendæ sunt,
partitionem fieri posse, prout supra p. i. c. i. facta est, ubi
sex species, vel potiùs partes integrantes & functiones Con-
versationis Apostolicæ sunt assignatæ, videlicet Visitatio
amicorum, Instructio Rudium, Consolatio afflictorum, Con-
versio Peccatorum, Roboratio Captivorum, Dispositio Ægro-
rum; de quibus proinde eodem ferè ordine in hac secunda
parte paulò fufius agetur.

CAPUT I.

DE VISITATIONE AMICORVM APOSTOLICA.

I. **P**ER hanc ea præcipuè Visitatio intelligitur, quæ vel ab
ipso Operario alios invisente, vel ab aliis ipsum visi-
tantibus amicitia ac benevolentia procuranda vel confer-
vanda causa instituitur; nam, ut S. Ambrosius l. 2. de Abra-
ham c. 6. ex Philosopho quodam refert, hoc boni viri stu-
dium esse debet, ut elaboret primùm, ut omnes Amicos fa-
ciat. Secundo, ut, si non potest facere Amicos, certè nec Ini-
micos

amicos habeat. Tertiò ut, si neque hoc suppetit, ex sententia discedat.

II. Porro non esse alienam ab Operarij Apostolici munere ac Zelo hanc visitationem; tum multorum virorum sanctorum & Apostolicorum præclara & crebra in hoc genere exempla, tum multiplices fructus ex ejusmodi visitationibus hausti; tum ipsa ratio, necessitasque persuadet; nam, ut sapienter S. Chrysostomus ho. 21. ad Popul. advertit, *sicut hoc corpus quotidie corporalis indiget nutrimenti, ne multum cadens in imbecillitatem inefficax iaceat; itidem & anima Spiritualis indiget pabuli optima conversationis, ut in aliqua bonorum consuetudine posita maligni demum insidiis constituatur inexpugnabilis.* Quia tamen hæc functio, si ulla alia multis periculis, fraudibusque occultis Dæmonis est exposita, ideo, ne damna potiùs gravia, quàm commoda, utilitatésque ex ea reportentur, bene observari debent tum ipsæ Personæ, quæ sunt visitandæ; tum tempus, finis, modus, & industriæ in simili visitatione adhibendæ; tum ipsa denique pericula, quæ in ea occurrere solent, ut & cautiùs declinari queant; aut certè, dum contra illa se salubribus remediis præmunit Operarius, velut tela prævisa minus feriant. De quibus proin omnibus capitibus breviter hoc loco agendum erit.

§. I.

Quis finis præfigi debeat Visitationi Apostolicæ Amicorum.

I. Duplex huic Visitationi finis præfigi potest ab Operario Apostolico; remotus scilicet, & proximus; remotus & omnibus illius functionibus Apostolicis communis est major DEI gloria, propriæque, & alienæ salutis procuratio, de quo nihil hic specialiter monendum occurrit. Proximus est, qui secundariò & minùs principaliter, tanquam medium ad priorem velut ultimum finem obtinendum intenditur. Et hic præcipuè triplex esse potest, quorum primus est *Benevolentia aucupatio vel conservatio*; cum enim nemo facillè se, suamque salutem committat illi, cujus indolem, virtutem, & Zelum perspectum non habet, necesse est, ut per familiarem visitationem quandoque suas dotes manifestet, benevolentiam-

lentiámque conciliet Operarius. Unde in hoc casu, suo modo locum habet, quod nonnemo quondam ad Adolescentem dixit: *Loquere, ut videam te.* Alter finis est *gratitudinis demonstratio*: quo ex titulo Benefactores præcipuè visitandi sunt, ut, dum pro acceptis beneficiis gratus animus ostenditur, ad nova conferenda liberalitas Benefactoris provoceatur, nam, ut rectè Cassiodorus dixit super Psalm. *Quoniam misericordiam meliora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur amittere.* Quo quidem in genere S. Ignatius Fundator noster mirè excellabat, ut Ribadeneira in vita illius l. 5. c. 2. sequentibus verbis testatur: Ex multis virtutibus, quæ in vita illius eminebāt, jucundissima fuit acceptorum beneficiorum memoria atque remuneratio. Fuit enim non in DEUM tantum, sed etiam in Homines propter DEUM re ipsa, animoque gratissimus. Hinc eos, quos de Societate nostra præclarè meritos noverat, non solum nostrorum orationibus quàm commendatissimos esse volebat, sed etiam in vitas invisebat, & de felici rerum nostrarum successu faciebat certiores, multaque faciebat sibi alioquin insuavia, atque etiam molesta eam unam ob causam, ut illis gratificaretur. Quod ipsum proinde facere studebit prudens Operarius, captando tempora & occasiones, quibus vel Natalis diei felicem exitum gratuletur, vel anni novi auspiciatum exordium apprecetur, sicque suam erga Benefactorem observantiam, gratumque animum contestetur. Tertius denique finis esse potest *variarum gratiarum aut beneficiorum pro se, aliisque impetratio*: qua tamen in re vel vel maximè cautum ac moderatum oportet esse Operarium, ne dum alios sibi conciliare beneficiis impetratis studet, ipsorum Collatorum à se animos, benevolentiamque avertat. Unde diligenter attendendum est tum ad ipsam Personam, à qua aliquid petitur, an videlicet sit opulenta & liberalis, ita ut gratam potius habituta sit ejusmodi petitionem, quàm ingrati; item ad Personas, pro quibus petitur gratia; & tandem ad ipsum donum seu gratiam, quæ petitur, an scilicet facile & benevolo animo danda speretur; ex his enim circumstantiis si vel unica desit, præstat omittere ejusmodi visitationem quàm suscipere. Multò verò cautiorem esse oportet & parciolem in gratia aliqua pro se petenda; nam, ut sapienter

pienter S. Franciscus, Xaverius, teste Turfellino l. 6. vit. c. 12. advertit, qui alienas res accipit, aut petit, libertatem amittit suam; quippe cum beneficentia necessitatem imponat obsequendi beneficio, ereptaque beneficio libertas adeo serviat, ut, etiamsi quid audeat, ejus verba longè minus habeant ponderis, quàm haberent, si sui juris esset. Adde, quòd, si quid ab eo, qui dedit, peccatum sit, liberè increpare haudquaquam valeas; quod enim os tantum est, ut sustineat allatrare pascentem? Quod ipsum confirmans S. Philippus Neri, ut in vita illius c. 15. n. 16. refertur, dicere solebat Operariis suis, ut, si fructum facere vellent in animabus, à crumenis aliorum abstinere; nec enim simul posse aliquem lucrari animas, & res earundem. Hinc & S. Bernardus animatum Curatores l. 4. de confid. c. 4. tales vult esse, *qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur. Qui questum legationem non estimant, nec requirant datum, sed fructum.* Aliam verò, adhuc causam affert S. Basilius in reg. brev. resp. 304. dum ait: *Existimo magis consultum iri multitudinis offensionem, & adificationem fidei fore probabilius, si repudientur huiusmodi munera; siquidem ex illorum susceptione primùm illud incommodum nascitur, quòd saepenumero ob eam rem male audit Fratrum Republica.* Plures quidem adhuc fines, ob quem Amicos vel Benefactores visitari conveniat, assignari possunt, v. g. si in aliquo morbo vel gravi afflictione constituti sint, sed quia hi ad alios subsequentes titulos pertinent, non est, quòd de iis hoc loco amplius quid tractetur.

§. II.

Quæ Personæ visitandæ sit.

I. Triplicis generis Personæ hac in materia in considerationem venire possunt, scilicet Ecclesiasticæ Personæ; Principes sive Magnates, Mediocris status Personæ; nam infimi status Personas, puta Artifices, Rusticos, Mendicos amicitiae causâ visitare non convenit, cum triplex ille finis, qui in priori §. assignatus est, locum non habeat.

II. Primò ergo Ecclesiasticas Personas quod attinet, omnino suadendum videtur Operario, ut easdem non rarò visitet, maximè si Religioso Ordini sint adscriptæ, & magna Sapien-

tia ac virtute præditæ; sic S. Carolus Borromæus l. 3. Infr. 1. suavit, dum dixit: *Vitent diligentissimè, ne quemquam diligant singulari præ cateris amoris affectu, qui ut plurimum inordinatus esse solet, sed æquali omnes pro singulorum statu & ratione, charitate prosequantur, illorum tamen familiari potius & sæpius utentes consuetudine, ex quibus cumulationem percipiendi spirituales utilitates possint.* Triplex autem est utilitas, quam sperare potest ex tali conversatione. Nempe 1. *Eruditio*, cum videlicet vel in dubiis casibus salutaria responsa, vel ad imitationem in virtute atque perfectione illustria exempla accipit. 2. *Excitatio*, ad fervorem scilicet, quando aliorum Zelum & alacritatem in DEI gloria, salutemque sua ac Proximis procuranda advertit; sicut enim carbo frigidus ex conjunctione cum ignitis carbonibus accenditur; ita tepida corda ex conversatione cum Zelosis Personis incalescunt; & sicut annulus annulo magnetis vim; ita Socius bonus Socio secum conversanti virtutem affricat. 3. *Testificatio*; nam, ut S. Ambrosius l. 1. Offic. c. 45. dixit: *ad instructionem iuniorum plurimum proficit, & ad probitatis testimonium.* Ostandum enim Adolescentes (& alii, qui cum bonis conversantur) imitatores esse eorum, quibus adhaerint, & ea convalescent opinio, quod ab his vivendi acceperint similitudinem, cum quibus conversandi hauserint cupiditatem.

III. Circa Magnates verò & Principes ea regula in conversatione & Visitatione observanda est, quæ in communi Proverbio circumfertur: *Ad Principes & ignem nec propè nimis accedas, nec longè nimis recedas*; quibus verbis significatur, nec nimiam familiaritatem cum Principibus quaeri debere, ne quis ex eorum favore & gratia efferatur, & ut plerumque fieri solet, omnino insolecat; neque tamen, ubi ratio aut necessitas exigit, omnino subterfugiendam, eò quod eorum favor & benevolentia plurimum conducit ad functiones Operarii cum magno fructu peragendas, uti S. Ignatius p. 7. constit. c. 2. sequenti discursu egregiè ostendit: *Quia bonum, quod universalius, eò divinius est, illi Homines & loca, quod eum profecerint, in causa erunt, ut bonum ad multos alios, quod eorum auctoritatem sequuntur, vel per eos reguntur, per ventura debent præferri. Sic Spirituale auxilium, quod Homini bus magis & publicis, si ve saculares, ut Principes, Domini, & Angeli*

us, vel Iustitia Ministri; siue Ecclesiastici illi sint, ut Pralati, quodque Viris doctrina & auctoritate eminentioribus confertur, maioris esse momenti propter eandem rationem boni universalius existimandum est.

IV. Denique in Mediocris Fortunæ & Dignitatis Personis visitandis illud universim observandum est, quod S. Franciscus Xavetius sapienter notavit, ut in vita illius l. 6. c. 17. videre est, viros impensius plerumque excolendos, atque adeo etiam, si causa exigat, visitandos esse, quàm mulieres; eò quòd, cum natura Constantiores sint viri, & ab eis domestica pendeat disciplina, rectius apud eos, & utiliùs opera collocantur; & simul multæ offensiones, sermonesque, qui oriri solent ex Feminarum familiaritate, vitentur; quia tamen modus agendi Operariorum, accepta beneficia, & declinatio rusticitatis cujusdam non permittunt, ut hæc officium Visitationis omnino omittatur, ideo ea moderatio, cautioque ab Operatio in tali visitatione adhibenda est, quam Societas nostra Confessariis suis in 3. Instruct. n. 9. præscribit sequentibus verbis: *Hanc (moderationem) nos commodissimam hoc quidem tempore arbitrari sumus, ut habeatur ratio tum Personarum, quæ invisantur; tum Nostrarum, qui invisunt. Itaque curia concurrere debent, ut aliqua digna existimeretur, qua à nostris Officii causa invisatur. Primum ut sit Persona nobilis & primaria; neque enim omnibus devotis cuiuscunque gradus id officii par est præstare, cum satis possint in nostris Ecclesiis, & confessionibus, & piis colloquiis instrui, & iuvari. Secundo ut sit benemerita non vulgariter de Societate. Tertiò ut in domo illa, Marito, Cognatis, vel huiusmodi, id officium gratius petius, quàm odiosum esse cognoscatur. Aliam verò adhuc cautelam S. Franciscus Xaverius l. 3. præscripsit, dum P. Q. اسپارم Barzæum Vicarium sic hortatus est. Cum mulieribus cujusvis conditionis non nisi luce palàm & in publico, hoc est, in æde sacra colloqueris. Nec unquam domum ad eas ibis, nisi fortè graviore aliquo casu urgente, veluti ægræ curam suscipiam confessionem excepturus, ac tunc curandam erit sedulo, ut illius Maritus adsit, aut Cognatus aliquis, aut certè Vicinus idoneus. Si fortè Virginem aut Viduam conveniri oporteat, ad ejus domum accedes viris spectata virtutis committantibus, quorum scilicet comitatus non solum offensionem,*

nem, verum etiam suspicionem Hominum excludat. Talia verò officia conveniendarum mulierum, & rara sint, & necessaria; quippe lubricum negotium est, ubi minimum lucris maximum periculo. Quem Spiritum scilicet hic sanctus à suo Patre Ignatio hauserat, ut qui, teste Ribadeneira l. 5. vit. c. 11. dixerat, omnium mulierum familiaritatem, etiam earum, quæ Spirituales aut sunt, aut videri volunt, vitandum esse, sed earum maximè, quæ ætate, statu, conditione periculosiores sunt, quarum ex consuetudine plerumque aut fumus sequitur, aut flamma, de vestimentis enim procedit tineæ, & à Muliere iniquitas Viri. Hinc, ut Orlandinus l. 14. hist. Soc. n. 7. testatur, sedulo excubans in Filiorum suorum tum Sanctitate tuenda tot inter animarum juvandarum diversimoda munera, tum famam præmunienda, edixit tota Societate, non modo, ut Feminarum, quamvis nobilium aut decumbentium, domos incomitatus nemo adiret, sed omnino ea esset in alloquendis observatio atque provisio, tametsi exciperetur confessio, ut aures quidem Comitum, sed oculi nunquam excluderentur. Ita sanè cautissimè, exactissimèque hanc legem Balthasar Alvarez observavit, ut, qui, cum aliquam Mulierem visitabat, nunquam prius sedebat, quam etiam sociæ Sedes adferretur. Et quoniam ipse cum multis Spiritualibus Feminis agebat, cum ijs dicebat, majorem cautelam esse adhibendam, eò quòd spiritualis amor soleat transgredi limites suos, & fieri carnalis, & optimum vinum converti in fortissimum acetum, quod tamen non ita advertitur, donec mutuarum voluntates ita conjunctæ & agglutinatæ sint, ut quamvis illibenter & cum aliquo sensu doloris, potiùs à DEO, quam à se invicem discedant, & separentur, ne se contristant, judicantes, non decere, sibi in illo amore, teneroque affectu deesse, & tunc Dæmon accedit, & ignem accendens illos excæcat, & illaqueat. Qua de materia plura in Instruct. Pastorum. fol. 118. videri possunt.

§. III.

Quid circa Tempus hujus Visitationis observandum sit.

- I. **T**res potissimum conditiones Tempus circa ejusmodi Visitationes præscribit, nempe ut rarissima, brevissima,

ma, & opportunissima sit, harum enim conditionum si vel unica deficiat, non modò insipida, sed etiam parùm fructuosa efficietur Conversatio & Visitatio.

II. Et primò quidem *Rarissima* sit oportet, uti Samuel exemplo docuit, de quo S. Gregorius Papa. in 1. Reg. c. 9. sic loquitur: *Rarò Samuel videbatur in civitate, videlicet tardè veniens, citò recedens. Quo nimirum Magisterio S. Ecclesie Doctòr instruitur, ut videlicet rarò sit in publico, frequens in secreto, ut, quò tardius aspicitur, devotius veneretur; quia, quò amplius in Secreto contemplationis latuit, Verbi DEI thesauros ad eos, qui se expectant, ditiores trahit.* Præterea ad auctoritatem etiam conservandam, ut suprà dictum est, non parùm conducit rarior hæc conversatio; quia, ut prudenter pius Asceta l. 1. de imit. c. 8. advertit, quandoque accidit, ut Persona ignota ex bona fama luceat, cujus tamen præsentia oculos intuentium offuscet. Hinc juxta sapientis Romani c. 15. de tranquill. monitum, *miscenda ista & alternanda sunt, solitudo & frequentia; illa nobis faciat Hominum desiderium, hæc nostri, & erit alter alterius remedium.*

III. Deinde verò *brevissima* sit etiam necesse est, uti præclare suo exemplo S. Antonius docuit, qui, ut S. Athanasius in vita illius refert, rogatus à quodam, ut largiùs suam præsentiam indulgeret, respondit, non posse se diutiùs ibidem commorari, quòd, sicut pisces ab aqua extracti mox in arenti terra morerentur, ita & Monachi cum Sæcularibus retardantes, humanis statim consolationibus resolvantur; nam, ut verè S. Gregorius l. 1. Dial. in Procem. pronunciavit, *Animus, cum se pro condescensione multorum ad exteriora sparsit, etiam, cum interiora appetit, ad hæc procul dubio minor redit.* Id, quod S. Albertus Magnus de seipso fatebatur, dicere solitus, prodeundo foras nunquam se referre mores, quos extulerat, semperque ad eò illud Philosophi cuiusdam usurpare posse: *Quoties inter Homines fui, minor Homo redij. Laquei enim & pedicae sunt, juxta S. Antiochum hom. 102. aspirantibus ad salutem, sæcularium congressus & proluxa eorum confabulationes, mentemque prorsus avocant à DEI glorificatione & spirituali læticia.* Hinc meritò exclamavit S. Laurentius Justin. de monast. disc. c. 22. dicens: *O quot temporibus nostris fuerunt, qui tanquam lampades &*

mundi luminaria lucebant coram Hominibus, paulatim verò ex conversatione seculariù & confabulatione tepesacti, ad pristina opera secularis vite miserabiliter ceciderunt! Quare quoties Operarius ad ejusmodi visitationes exit, toties persuadete deberet, sibi in aure illa Cant. 6. verba à DEO infusurrari: Revertere, Salamitis, revertere, ut intueamur te.

IV. Denique *Opportunissimam* quoque decet esse Visitationem, juxta illud Salomonis proverbium c. 25. *Mala aurea in lectis argenteis verbum in tempore suo*, id est, sicut mala aurea supra columnas posita singularem loco, in quo consistunt, decorem, gratiamque conciliant; ita sermo quoque opportuno tempore prolatus ipsi, qui eum profert, æstimationem aliorum & benevolentiam promeretur. Ut autem opportunus sit, tria tempora maximè cavenda sunt, ne in illis talis Visitatio suscipiatur. Primò. Cùm in gravi perturbacione aut recenti luctu sunt constituti; tunc enim, ut Musica in luctu, importuna est narratio & visitatio, eò quòd dolorem & sensum suum, quem pauci comprimere possunt, aliis revelare erubescant. Secundò. Cùm festiva gaudia & ludos domus suæ cum Amicis instituere decreverunt; tunc enim, cùm hilariores esse cupiant, exosos habent, procúlque abesse cupiant ejusmodi severiores aut graviores arbitros. Tertiò. Cùm negotiis variis implicati ac gravati sunt; tum enim, cùm plerumque toti immergi sint talibus negotiis, non nisi cum magna violentia, ac indignatione à talibus curis abstrahuntur. Quo sanè in genere illustre iterum exemplum S. Ignatius reliquit, de quo Ribadeneira testatur, eum, cùm ad Principem virum aliquando adire vellet, ejusque conveniendi copia non fieret, quatuordecim horas jejunum expectasse, ut bene gerendæ rei occasionem commodam, & opportunum allocutioni tempus obtineret.

§. IV.

Quis modus in Visitatione Amicorum Apostolica observandus sit.

I. Cùm Visitatio, de qua hoc loco agitur, per mutuum colloquium potissimùm tanquam potissimum instrumentum perficiatur, meritò eandem ferè conditiones, quæ
alias

aliās in similibus colloctionibus observandæ præscribuntur, implere decet.

II. Et primò quidem *Apostolica seu sancta* sit hæc colloctio, quod fiet, si tota ad animas DEO lucrandas ordinetur, atque adeò sermones, vel de rebus spiritualibus instituantur, vel certè si adiaphoris vel indifferentibus de materijs habeantur, per bonam & sanctam intentionem ad DEI gloriam & animarum lucrum ordinentur. Nam, ut sapienter S. Carolus Borromæus l. 4. Epit. Instit. monuit, plurimùm refert ad Clericalem dignitatem conservandam, omni tempore, omniq[ue] loco de spiritualibus rebus sermonem inferre; quia, ut Beata Virgo S. Birgittæ l. 3. revel. c. 15. revelavit, *quando bonus loquitur malis, efficiuntur boni ex auditu, & propter Spiritum DEI bonum, & propter bonitatem docentis.* Cujus doctrinæ alium etiam fructum P. Petrus Faber, ut Orlandinus l. 3. hist. Soc. n. 29. testatur, assignabat, quando dicebat, ad præmuniendum castimonie thesaurum, obstruendosque aditus insidiatore nequissimo plurimùm conducere, si mox ab initio congressus pios quis de DEO & divinis rebus sermones inferat, aut certè alijs pietatis officiis Religionem suam palàm ac publicè profiteatur; sic enim, dum suæ famæ servit, cæterosque à flagitio suæ probitatis opinione coercet, unâ, eademque operâ & pudori suo consulat, & alieno. De ipso certè Fabro Raderus in vita P. Canisij l. 1. c. 2. hoc memorat P. Canisij testimonium refert: Nullum ex illius ore verbum, sive in usu, familiarique congressione, sive, dum mensæ accumbit, prodire audio, nisi quòd DEI honorem & pietatem sonet; neque tamen ob facundiam audientibus gravis & molestus est. Idem de S. Antonio testatus est S. Athanasius in vita, dum dixit: Sermo ejus Sale conditus, consolabatur mœstos, docebat inscios, concordabat iratos, omnibus suadebat, nihil amoris Christi anteponendum, proponebatque ante oculos, bonorum magnitudinem futurorum, & DEI clementiam, & beneficia reterebat. Hinc ulteriùs hujus exercitij, conversationisque fructum explicans, quis, inquit, non tristitiam apud Antonium mutavit in gaudiù? quis non iram vertit in pacem? quis orbitatis luctum non ad ejus temperavit aspectum? quis non mœrore paupertatis, quo premebatur, abjecto statim, & divitum despexit opulentiam, & in sua lætatus est paupertate?

quis post lassitudinem Monachus non ejus est adjutus hortatus
quis Adolescentis ætatis accensus ardoribus non ex ejus ad-
monitu pudicitia amator fuit? quis vexatus à Diabolo sine
medela redijt? quis inimici cogitationibus distractus, cæci
tempestate sopitâ, sereno non regressus est animo?

III. Secundò *prudens* quoque sit eadem Collocutio,
oportet; quæ prudentia in tribus maximè capitibus consistit.
Primò. Ut, quemadmodum S. Ignatium P. Maffeus l. 3. c. 11.
fecisse testatur, sermonis initia alijs concedat, extrema sibi re-
servet, caveâtque, ne de rebus etiam divinis ineptè, vel ad la-
tietatem, ac fastidium tractet; quod ipsum etiam S. Xaverius
teste Turfellino l. 6. c. 11. faciebat, ut qui salubres sermones
ne satietatem afferrent, mirâ solertiâ, varietatèque misceri
consueverat. Secundò. Ut sermonem ijs, quibuscum loqui-
tur, prudenter accommodet; sic iterum Ribadeneira l. 3. c. 16.
S. Ignatium fecisse testatur sequentibus verbis: *Ad omnia
ingenia facile aptare, sermonemque temperare novit. Cum pa-
tate deditis de rebus sacris; cum eruditis docta colloquia misceri,
cum milite de re militari: cum fabris de re fabrilis agere, ut mox
tandem de DEO sermo subiceretur.* Tertiò. Ut, quemadmo-
dum idem S. Ignatius iterum faciebat, in omni sermone
maximèque in pacificandis Hominum animis, in controver-
sis rebus definiendis, tractandisque divinis rebus eam modo-
rationem, cautionemque adhibeat, ut nihil imprudenter ce-
cidat, sed verbum quodcumque nostrum cogitet ad multo-
rum aures perventurum.

IV. Tertiò *Amabilis*, gratiâque esse debet eadem collo-
cutio; qualis erit, si primò diligenter attendat, de qua re ille
cum quo conversatur, libenter loquatur, & aliquamdiu in illa
hæreat. Secundò. Si ostendat, se magnam de ipso, & illius
rebus æstimationem fovere. Tertiò. Si dicta, factaque il-
lius, præsertim indifferentia, aut non manifestè mala in me-
liorem partem interpretetur, docendo, quomodo id bene dici
aut fieri possit sine peccato, cum tali videlicet, vel tali circum-
stantia, quam illum adhibuisse, se non dubitare ostendet. Sic
enim ille animum colloquentis summopere probabit; ac le-
cet fortè tunc temporis debitam cautionem in verbo vel ope-
re non adhibuerit, tamen jam sine ulla læsione, quomodo
rectè fieri debeat, edoctus in posterum debito modo id faciet.

Quat

Quartò. Si illi spatium loquendi & occasionem præbeat, interrogando, vel dicta per suavem jocum illi accommodando, præsertim si in spiritualibus non sit rudis, vel saltem alioquì doctus; modò non det ullum indicium, se illum ex professo instruere velle.

V. Quartò *Innoentia*, vel maximè etiam debet esse collo- cutio, id est, ut nemini vel detrahendo, vel murmurando, vel alià quavis ratione offendendo noceat; cùm enim is, qui au- dit, meritò cogitare possit, Operarium, qui de aliis coram se sic loquitur, etiam coram aliis de se audiente pariter locutu- rum, hoc ipso suspectam & exosam illius charitatem habere incipiet, atque adedò minùs benevolè sermones ipsius exci- piet. Unde si ulpiam alibi, hìc regula à S. Bonaventura in spec. discipl. p. 3. c. 3. assignata observari debet: *Erubescant dicere de absente, quod cum charitate non possent dicere coram ipso.* Imò & regula ipsius Spiritus Sancti Eccl. 19. dicentis: *Audisti verbum adversus Proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet.* Quo in genere singulariter iterum S. Ignatius excellebat, de quo sic scribit Ribadeneira l. 5. c. 6. In laudando parcus fuit, in vituperando parcissi- mus. Superlativis (ut vocant) vix utebatur nominibus. De aliis nunquam detraxit, detrahentibus aures nunquam pate- fecit. Alienorum vitia etiam publica, & quæ in ore omnium versarentur, in sermone quotidiano ipse nunquam usurpabat, & in illa, ne alij incurrerent, cavebat. Si quid tamen alijs ex- cidisset, ipse vel elevabat, vel etiam excusabat factum, aut animum certè & voluntatem. Quòd si rei atrocitas excusan- di, minuendique omnes aditus præcluderet, eò perfugiebat: Nolite ante tempus judicare. DEVS solus intuetur cor. Do- mino quisque suo stat, aut cadit. Cùm autem gravissimè ju- dicabat, id unum dicere solebat: Ego quidem hoc non fecis- sem. De erratis Domesticorum mirum silentium: neque, si quid minùs decenter ab aliquo admissum esset, cuiquam ape- riebatur, nisi fortè ut emendaret, & tunc quidem tam modestè ac mansuetè, tam existimationi illius, qui peccaverat, ami- cè, ut, si unus testis satis esset ad remedium, duos non adhibe- ret, nudamque culpam poneret ante oculos, nullà adhibitâ contentione, aut reprehensione verborum.

VI. Quintò denique *gravis* seu *seria* etiam collocutio esse

esse debet, ita ut Operarius sibi de verbis & sermonibus sibi dictum existimet, quod S. Augustinus in regula suis Religiosis de moribus scripsit dicens: *In omnibus moribus vestris (& sermonibus) nihil fiat, quod cuiusquam offendant aspectum (& auditum) sed quod vestram doceat Sanctitatem.* Unde ab omnibus jocos & facetijs risum eientibus sedulo abstinere debet, eumque in finem memorabilis sententiæ à S. Bernardo const. mor. c. 13. prolata meminit: *Inter saculares nugæ sunt; in ore Sacerdotis blasphemia. Consecrasti os tuum Evangelio; talibus iam aperire illicitum: assuescere sacrilegum est. Labia Sacerdotis, ait Malachias c. 10. custodiunt Scientiam & legem ex ore eius requirent, non nugas profectò & fabulas.* Cujus ulteriorem rationem assignant Clemens Alexandrinus I. 2. de pœd. S. Basilius, S. Bernardus, & alij SS. Patres, quos scilicet, cum verba omnia à cogitatione & moribus emanare fieri non possit, ut verba aliqua proferantur ridicula, quæ non à moribus ridiculis oriri, atque adeò Sacerdotem, qui nihil nisi sanctum & honestum in pectore continere creditur, meritò dedecere credantur. De S. Chrysostomo certò constat Metaphrastes, non modò ipsum ab ejusmodi ludicris & ridiculis sermonibus abstinuisse, sed neque alijs, ut de similibus loquerentur, permisisse. Præsertim verò hoc in genere S. Ignatius iterum excellebat, de quo Ribadeneira l. 5. c. 6. scribit: *Ejus sermo sententiarum erat gravitate plenus, non verborum copiâ, simplèxque potiùs & aperta videbatur narratio, quàm aut amplificatio, aut confirmatio rerum, & contentio.* Atque hunc in modum magnam habebat ad persuadendum vim ejus Oratio, & tamen propensionem Animi suam neutram in partem aperiebat. Illud erat in sermone prudentiæ, quòd, quæ gravia essent, & aliquid ponderis haberent, in ijs multùm hærebat, eaque levibus prætermisissis narrationibus ipsa ponderabat. Tanta ejus erat in sermone gravitas, atque efficacitas, ut non tam humana videretur, quàm divina: quæcunque enim volebat, impellebat Homines non verborum nilâ vel copiâ, vel elegantia, sed vi sententiarum ac pondere. Pervicaces ac ferreos etiam emollebat, flexibilèsq; ad omnia reddebat ac tractabiles, suòque imperio sic obedientes, ut ipsi, suamque mutationem sæpe mirarentur.

§. IV.

Quæ industriæ in hac Visitatione adhibendæ sint.

I. **U**T harum iudustriarum necessitatem tantò faciliùs apprehendat Operarius, ante omnia præclarum istud S. Gregorii hom. 17. in Evang. monitum considerare debet: *Considerandum nobis est, Fratres carissimi, ut, qui unâ, eâdemque voce exhortationis non sufficit simul cunctos admonere, studeat singulos, in quantum valet, instruere, & privatis locutionibus adificare. Debemus namque pensare, quòd à Domino sanctis Apostolis dicitur, per Apostolos nobis. Vos estis sal terra. Si igitur sal sumus, condire mentes Fideium debemus. Vos igitur, qui Pastores estis, pensate, quia animalia Dei pascitis, de quibus profectò animalibus DEO per Psalmistam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea. Et saepe videmus, quòd petra salis brutis animalibus anteponitur, ut ex eadem salis petra lambere debeant, & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis, debet esse Sacerdos in Populis. Curare namque Sacerdoti necesse est, quæ singulis dicat, qualiter unumquemque admoneat, ut, quisquis Sacerdoti iungitur, quasi è salis tactu aterna vita sapore condiamur. Sale etenim non sumus, si corda audientium non condiamus. Ex qua sententia facilè apparet, quantam diligentiam & conatum adhibere debeat Operarius, ut in privatis allocutionibus suo muneri & obligationi satisfaciat, atque ex iisdem debitum fructum reportare studeat; quem in finem sequentes industriæ ipsi non parùm servient.*

II. Prima ergo industria est, ut saluberrimum illud monitum à Rege Abimelech olim Saræ uxori Abraham datum gen. 2. sibi applicet, atque in recenti semper memoria habeat: *Quocunque perrexeris, memento te deprehensum; à DEO scilicet, Christo, & S. Angelo Custode tuo; quare, ut S. Bernardus in Ps. 90. salubriter monet, in omni angulo Angelo tuo (& ipsi DEO ac Christo in medio ipsius, & eorum, quibus cum loquitur, consistentibus, & quærentibus: quos sermones confertis ad invicem?) reverentiam habeat, neque audeat illis præsentibus, quod quovis alio Homine præsentem facere vel dicere non auderet. Certè si, teste Seneca, magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat; dubitari non de-*

bet, Operarium, si tales & tam potentes testes sibi assistentibus habeat, multò magis ab omni lapsu in peccatum præsertim iri, sicque cum veritate dicturum cum Davide Ps. 17. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à deo iris est mihi, ne commovear.*

III. Altera industria est, ut pariter memoriæ suæ bene imprimat verissimam illam, & saluberrimam Guidonis de tranquillitate animi sententiã: *Quidquid dixeris, memento morum tuorum chirographum exhibere.* Cùm ergo juxta S. Augustinum de doctr. Christ. sic Doctor bonam vitam eligere debeat, ut etiam famam bonam non negligat; & ut idem I. de viduit. bono ait, nobis necessaria fit vita nostra, alii fama nostra; eò quòd, ut S. Hieronymus in c. 4. Matt. sapienter advertit, Opera salutis sine fama boni odoris non relucant; meritò attendere summopere debet Operarius, ut nihil loquatur, per quod vel minimam instrumenti tam necessarii imminutionem pati queat, sed potius juxta D. Petri epist. 1. c. 3. monitum, Dominum Christum sanctificet in corde (& lingua) suo paratus semper ad satisfactionem omni poscenti ratione de ea, quæ in ipso est, spe, cum timore & modestia conscientiam habens bonam, ut in eo, quod detrahunt ipsi, confundantur, qui calumniantur bonam ipsius in Christo conversationem.

IV. Tertia industria est, ut certò sibi persuadeat, de sua conversatione perinde dici posse, quod S. Hieronymus in epist. ad Heliod. de conversatione Episcopi dixit: *De conversatione Episcopi & conversatio quasi in speculo posita, Magistra est publica disciplina. Quidquid fecerit (vel dixerit) id sibi omnes mirandum putant.* Hinc enim non parùm excitabitur, ut caveat, ne quemquam facto vel verbo scandalizet, & per hoc terribilem illam Christi Servatoris comminationem incurrat: *Va homini, per quem scandalum venit. Expedi ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum.* Matt. 18. aut illam S. Bernurdi in quad. serm. *Nisi tibi videtur graviolem ab eo Christus sustinere persecutionem qui suggestionem malignam, exemplo pernicioso, scandali occasione pervertit animos, quàm à Iudæo, qui sanguinem suum fudit.*

V. Quarta tandem industria est, ut cautionem à S. Francisco Xaverio, teste Turfellino l. 6, c. 12. ejusmodi Operarii præferat

prescriptam sedulo observet; Apud eos, quibuscum versaris, quosvis Amicos & Familiars ita semper te geras, ut si aliquando futuri sint inimici. Hac cogitatio lascivientem licentiã vitam facile cohibebit, ut ne quid familiaritate & amicitia proventus offendas; simulque talis cautio illos in verecundiam adducet, sine ulla causa tibi amicitiam renunciandi. Quæ doctrina ut tantò efficacior sit, proderit alteram quoque cautionem supra ex vita S. Ignatii allatam jungere, quã dicebat, eã consideratione verbum quodvis esse proferendum, ac si certò ad multorum aures esset perventurum.

§. VI.

Quæ pericula in Visitatione Apostolica declinanda sint.

I. Quàm periculosa sit hæc Visitationis Apostolicæ functio, sapienter S. Ignatius advertit, qui, ut in vita l. 5. c. 11. Ribadeneira testatur, dicere solebat, pulcherrimum quidem esse munus, & Operariorum proprium, versandi cum Hominibus familiariter, & agendi; sed illud, quò plùs habet utilitatis, si rectè fiat; eo etiam plùs periculi habere, si ineptè peragatur. Nam, ut moratus sermo, & modesti, prudentisque hominis assiduus alios ad Christum maximè allectat, & invitat; ita præcipitis atque inconsiderati usus à sancto plerumque proposito avertit, & offensio contrahitur, ex quo quærebatur utilitas. Multas proinde cautiones censebat adhibendas, ut illud munus officii utiliter exerceretur, quas quidem ipse exemplo magis tradebat, quàm verbo. Ego tamen triplicem potissimùm adhibendam existimo, in triplici scilicet periculo declinando.

II. Quorum primum est, ne in familiari ejusmodi visitatione paulatim sinistra intentio & affectus carnalis subintret, sicque illud Thomæ Kempensis l. 1. c. 15. verificetur: *Sape videtur esse charitas, & est magis carnalitas.* Et ut S. Thomas Aquinas opusc. 61. c. 31. loquitur, *nonnunquam Amicitia, que sine vitio naturaliter, vel spiritualiter inchoatur, submirante vitio carnaliter terminatur.* Sicut enim in pestilentibus locis sensim attractus aër latentem corporis morbum iniicit; sic in prava consuetudine ac conversatione, maxima

nobis mala hauriuntur, etiam si incommodum statim sentiantur. Qualia verò sint hæc damna, quæ ex tali carnali affectu, & sensuali amore nascuntur, S. Tereſia in itin. perfect. c. 4. ſequentibus verbis patheticè deſcribit: *Videtur quod dem excessus in charitate nullum inter nos damnum adferre poſſe, tantùm tamen damni & imperfectionis ſecum trahit, ut neminem id credere mihi perſuadeam, niſi qui ſuis id oculis perſpexerit. Hic namque Diabolus intricatiſſimas excitat trucas in conſcientia eorum, qui non niſi rudis quodam modo DEO placent, & ſeruire ſtudent, parùm aut vix ſentiuntur, aded ut etiam virtutem eſſe putent; at qui perfectioni comparanda intendunt, id optimè intelligunt. Hoc namque voluntati ſuum paulatim robur eripit, ne illa ſe DEO amando totam impendat, communitati verò quàm evidentiffima damna creat. Certo quantopere alienus debeat eſſe hic carnalis affectus à Vita Apoſtolico, Chriſtus ipſe ſatis oſtendit, dum ſuam Apoſtolicam humanitatem per Aſcenſionem ſubtraxit, quia ipſum non tantùm ſpiritualiter, ſed etiam carnaliter diligebant, & ſic corporalis eius præſentia ipſis nociva eſſe poterat, ut S. Thomas in p. 3. d. 22. q. 3. a. 1. ad 3. advertit. Unde rectè S. Bernardus S. 6. de Aſcenſ. concludit: *Si Apoſtoli carni Domini coherentes, qua ſola ſancta erat, Spiritu Sancto repleri nequeverunt, donec tolleretur ab eis, tu carni tuæ (aut Proximi tui) aſtrictus & conglutinator, illius meraciſſimum Spiritum te præſentia poſſe ſuſcipere, niſi carnis iſtis conſolationibus funditus renunciare tentaveris?* Porro indicia hujus carnalis amoris pulchrè indicavit S. Laurentius Juſtin. ac diſcipl. perfect. Monach. c. 22. dum ait: *Hic amor, cum in carne imprudens exortus, radices mittere, ac pullulare cœperit, corporalem querit delectationem præſentiam, cum eodem cohabitare, cum eodem loqui deſiderat. Sicut autem ex ipſius gaudet aſpectu, ita abſentiâ contriſtat; ſolus vult cum eo, quem ſensualiter diligit, loqui: ſolus cum eo conſeruari, quia in illius mente habitare iam cœpit. Livor quoque invidia accenditur, ſi quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conſeruari proſpexerit. Abſentiâ etiam ipſius magnam ſibi delectationis iacturam æſtimat; ſicut enim ſingulariter amat, ita & amari vult, atque cæco ſeductus errore, ignorat in veſano amore percuffum. Quare ſi Operarius talia in ſe indicia advertit, illa ſibi Tereſiæ verba l. c. applicet: ſi voluntati**

nostra magis in hanc, quam illam Personam propendeat, nostrum est, acriter ei resistere, & nullatenus permittere, ut hæc nobis affectio dominetur. Sed amemus virtutes, & bonum internum, & semper omni, quâ possumus, cura & studio caveamus, ne externum hoc aliquo in pretio habeamus. Non patiamur, ut voluntas nostra alicujus sit mancipium, nihil illius duntaxat, qui illam pretioso suo sanguine sibi emit.

III. Secundum periculum est, ne occasione talium Visitationum in gulæ vitium degeneret Zelus, & vanæ consolationis ex esculentis & poculentis apud eos, qui visitantur, hauriendæ quarantur; licet enim Christus, teste S. Hieronymo l. 1. in c. 9. Matt. iyerit ad convivia Peccatorum, ut occasionem haberet docendi, & Spirituales suis Invitatoribus præberet cibos; idemque alii etiam Sanctissimi viri, præcipue SS. Ignatius & Franciscus Xaverius præstiterint; de quorum priore Maffeus l. 1. c. 8. sic loquitur: Non solum venientes ad se benigno excipiebat alloquio, sed etiam invitatus interdum ab aliis ad prandium, minimè recusabat accedere, nimirum eo consilio, ut ex re & tempore, sumpta occasione, qui se in Dei gratiam terrestri pavissent cibo, eisdem ipse spiritualibus epulis, & opportuna quâdam adhortatione reficeret. Atque hunc in modum, adjuvante Domino, per multos ad arctam salutis semitam à via lata & spatiosa perduxit. De posteriore verò scilicet S. Xaverio Tursellinus l. 6. vit. c. 10. testatur, cum prandendo apud externos multas concubinas ab iisdem abstulisse; quia tamen ex una parte pauci, ut S. Vincentius tr. de vit. Spir. c. 8. ad gulæ dominium pertingunt; ex altera verò parte sæculares, teste S. Basilio in constit. Monast. c. 7. si quempiam ex Clericis vel Religiosis adverterint, qui non usquequaque inclementer corpus tractet, ac vel tantillum necessitati illius subveniat, hunc conviciis, calumniisque proscindunt, derivatâque ab uno in cunctos proterviâ, petulantiaque universos pariter lurcones, helluonesque appellant; & præterea, ut S. Hieronymus in epist. ad Nepot. ait, *facile contemnitur Clericus, qui ad prandium saepe vocatus ire non recusat*; ideo rectius ferè facit Operarius, si consilium & monitum Concilii Aquileensis can. de vit. & honest. Cleric. sic loquentis sequatur: *Convivia, & nimiam Laicorum familiaritatem, multarum offensarum, &*

scanda-

scandalorum originem Clerici in quocunque statu constituti p
gere debent, ut, quemadmodum S. Hieronymus l. c. ait, *Con
solatores nos potius Laici in mœroribus suis, quàm Conviventes
in prosperis noverint.* Si tamen aliquando ratio & utilitas evi
dens non declinari permittat ejusmodi convivia, aut compo
sitiones, saltem duas cautiones adhibere statuat, quarum
primam S. Chrysostomus tradidit, & S. Gregorius Nazianze
nus exemplo suo confirmavit, ut scilicet se non tam sponte
quàm altiori motivo tractum esse, & ejusmodi convivia pro
supplicio potius, quàm recreatione se habere ostendat, ut
enim & venerationem sibi conciliabit, & efficiet, ut veni
cunda commiseratione permoti, deinceps à frequentiori vi
sitatione abstineant. Alteram S. Franciscus Xaverius lo
quentibus verbis suggestit, ut in vitæ l. 6. c. 12. videtur.
*Si quando te in peccatorum cœno hærentes ad cœnam aut pran
dium invitent, donisve colant, videas, ne tua libertas delin
tur muneribus, quò minùs acriter peccantes admoneat.* Itaque
ad prandium invitatus, non recusabis tu quidem venire, sed in
vicem illos ad S. Confessionem invitabis. Ob quã ipsam causam
nec ludus etiã honestus, si occasione lucrì spiritualis spondeat
recusandus est; sic enim S. Ignatium fecisse, Ribadencira l. 1.
c. 10. testatur, quando cum Doctore quodã Parisiensi, quẽ mu
ltis mediis tentatis, frustra cupiebat Christo lucrifacere, tan
dem globulorum super mensam jactorum ludum eã conse
tione suscepit, ut victus per triginta dies in victoris potesta
foret; sicque obtenta mirabiliter (nam ludi illius nec arte
nec consuetudinem habebat) victoriã Doctorem ad exercitiũ
ipsãque postea etiam emendationem vitæ perduxit.

IV. Tertium periculum, nec minùs grave est, ne in illa
gua labatur, & grande sibi, aut aliis damnum creet; in
siloquio enim, teste Salomone Prov. 10. *non deerit peccatum.*
Certè si unquam aliàs, in ejusmodi Visitationibus & longis
ribus confabulationibus menti ac memoriã Operarii obve
sari debet illa S. Hieronymi sententia: *Lapis emissus sermo
prolatus; ideo diu antè, quàm proferatur, cogitandus.* Verum
enim *difficilis res est,* teste Cassidoro super illud Ps. *Dixi, et
studiam, in lubrico faucium constitutam veritatis rigida tenet
mensuram, cui si incautè frena laxentur, frequenter contra
loquitur; facilius enim culpa tacendo refugitur, quàm loquendo.*

do. Certè Theophrastus apud Laërtium, effreni potius equo, quam verbo in composito fidendum dicebat, eò quòd plùs periculi ab hoc, quam illo immineret. Etsi igitur in omnibus verbis hanc considerationem adhibere debeat Operarius, specialiter tamen in duobus cavendis sermonibus singularem industriam & cautelam usurpare debet, nimirum 1. ne, ut Ecclesiasticus c. 10. monet, in cogitatione sua (& multò magis verbo) Regi detrahat, & in secreto cubiculi sui non maledicat diviti, quia & aves portabunt vocem, &, qui habet pennas, annuntiabit sententiam. Id quod clariùs S. Gregorius Nazianz. orat. 53. n. 10. sequentibus verbis ostendit: *Convenit, nullum molestum verbum in Principes & Proceres proicere. Periculum est enim, ne id etiam, quod occultè remotis arbitris dictum fuerit, in lucem fortè veniat. Etenim Soli & Regi magno nuncii celeres & pennati omnia perferunt. Uti jam olim Juvenalis Sat. 9. agnovit, dum cecinit:*

Secretum divitis ullum

Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur,

Et canis, & postes, & marmora.

Omnis enim Sermo ad forensam famam à domesticis manat Auditoribus, ut Cicero in epist. de petit. Consul. ait. 2. Ut secretum nullum revelet, sed semper saluberrimi moniti à Salomone Prov. 24. dati sit memor: *Secretum extraneo ne reveles, ne fortè insultet tibi, cum audierit, & exprobare non tesser.* Certè hìc vel maximè ante oculos haberi debet commune axioma: *Nulli committe secretum, quod prodi non cupis.* Id quod pius Author damno suo se expertum fatetur l. 3. de invit. c. 45. & utinam ad cautelam maiorem, ait, & non ad insipientiam mihi (& multorum aliorum) *Cautus esto (ait quidam) cautus esto, serva apud te, quod dico. Et dum ego sileo, & absconditum credo, nec ille silere potest, quod silendum petijt, sed statim prodit & me, & se, & abit. O quàm bonum ergo, & pacificum de aliis silere, nec indifferenter omnia credere, neque de facili ulterius effari, paucis seipsum revelare.*

CAPUT II.

DE INSTRUCTIONE APOSTOLICA.

Hæc Instructio eò potissimùm tendit, ut Homines in doctrinis ad Christianam fidem pertinentibus rectè, solidè, que

que instituantur. Quia verò duplicis generis Personæ reperiuntur, quæ ejusmodi Instructione indigent, nempe Infideles, id est, ij, quibus lumen veræ Fidei necdum illuxit; & Fideles, qui veram & Orthodoxam quidem fidem profitentur, sed in iis, quæ ad vocationem suam ritè adimplendam pertinent, adhuc cæcutiunt, ideo ut utrique huic Personarum generi opportunè succurrere possit Operarius, salutaria ipsi habeant capite præcepta, monitaque suggerentur, ita ut prius, quæ circa Hæreticos (cum his enim hoc tempore potissimum est Operariis negotium) postea, quid circa Catholicos variis statibus instruendos, & perficiendos sit observandum, explicetur; nam, ut S. Maria Magdalena de Pazzis dicere solebat, non satis est desiderare salutem & virtutem animæ alius, sed etiam curandum est, ut habeant merita multa, & ut fiant a DEUS per participationem.

§. I.

Quid circa Hæreticorum Instructionem sit observandum.

I. **N**on est hic animus ostendere, quâ ratione pertinaces Zelosi, aut Frigidi Hæretici sive per disputationes, concionésque publicas; sive per privatas colloquutiones errore suo abducendi, atque ad veram Catholicam fidem revocandi sint; hoc enim ad Controversistas ex instituto spectat; sed illud hoc loco unicè propositum est, ut discat Operarius, quâ ratione vel nutantes in sua Hæresi Hæreticos pervare, vel, ubi manus dederint, atque Catholicam fidem amplecti decreverint, instruere debeat.

II. Primò itaque, si quem nactus est in sua hæresi vacillantem, sequentes circa eum industrias observet à Zelosis illi Germaniæ Apostolo P. Petro Fabro, ut in 1. p. hist. Sec. l. 4. n. 92. videre est, aliisq; Operariis præscriptas, utiliternéque usurpatas. 1. Ante omnia sinceram ad illos charitatem ostendat, depulsis ex animo universis cogitationibus, quæ quomodolibet illorū apud ipsum existimationē minueri possunt. 2. Eorum vicissim benevolentiam sic conciliare studeat, ut vicissim ipsum ament, benèque de ipso sentiant. Quod obtinebit, si comiter eos alloquatur: si in familiaribus sermonibus de iis duntaxat rebus agat, de quibus inter utroque

convenit, omni altercatione sublata : si abstineat ab omni
convitio & verbo contumelioso, neque illum facile vocet
Hæreticum, sed Augustanæ Confessionis, aut putatum Evan-
gelicum : si aliquibus misericordiæ & charitatis operibus,
maximè quibus juncta sit humilitas, subveniat : si pro ratio-
ne status debito eum honore prosequatur : si de ipso, & illius
affectis, quantum ratio permittit, honorificè loquatur.
3. Omni studio conetur, ut eum à vitiis avocet ; sic enim
sponte sua ipsos etiam errores tandem deponet, uti sat crebrâ
experientiâ compertum est ; cum verè in ejusmodi Homini-
bus prius plerumque rectè agendi pietas, quàm recta fides
extinguatur. 4. Cum ejusmodi Personæ plerumque in uno
vel altero scopulo adhuc hæreant, diligenter indagandū est, in
quo fidei nostræ articulo credendo adhuc difficultatem vel
repugnantiam sentiant, & quibus rationibus ad talem articu-
lum negandum persuadeantur, & tunc omni studio laboran-
dum erit, ut talis persuasio ipsis eripiat, quod duplici mo-
do fieri potest, nempe vel in genere ostendendo, quàm multi
sanctissimi ac sapientissimi, doctissimi que viri talem articu-
lum non modò firmissimè crediderint, docuerintque, sed
etiam proprio sanguine per gravissima tormenta effuso con-
firmarint, imò & ipse DEUS non rarò manifestis miraculis
approbarit. Quàm multi item, qui olim eidem errori perti-
nacissimè adhererant, nunc cælitus illustrati, eundem cum
magno suo solatio detestati, & Catholicam Religionem sint
amplexi, & etiamnum constantissimè profiteantur. Vel in
particulari demonstrando, quàm vanæ, futilésque sint tales
rationes, quibus in talem errorem à suis Doctoribus fuerunt
inducti, ut ex unius talis erroris cogniti absurditate collige-
re meritò debeant, quid circa alios ipsorum errores sit sen-
tiendum. 5. Non parùm etiam proderit ad eosdem ab er-
rore suo, hæresique abducendos, si interdum unum vel alte-
rum (nec enim multis argumentis eosdem onerari aut obrui
cum tædio expedit) motivum credibilitatis à Doctoribus
pro nostræ Fidei confirmatione afferri solitis proponat, qua-
lia exempli gratia esse possunt conformitas, sanctitas, & uni-
versalitas Catholicæ doctrinæ, ac maximè, quòd illa etiam-
num miraculis velut proprio DEI sigillo confirmetur. Unde
is, qui instruendus est, paulò capacioris sit ingenii, pote-
runt

runt illi hæc motiva hoc vel simili syllogismo proponi: Illi fides merito præferenda est, quæ ad ultimum finem certius rectius ducit (nam ideo nobis datur hoc lumen, ut per illam viam ad DEVM, qui est suprema nostra felicitas ac beatitudo cognoscendum & amandum cognoscamus) & quæ efficaciora habet media ad sui dilatationem (nam DEVS juxta S. Pauli 1. Tim. 2. testimonium, vult omnes homines salvos fieri ad agnitionem veritatis venire) & conservationem (nam enim vult accendi duntaxat, sed etiam conservari hoc lumen DEVS in sua Ecclesia) habet; atqui hæc tria in nostra fide unicè reperiuntur; utpote quæ sola suggerit tot media ad DEVM non tantum simpliciter, sed perfectissimè etiam cognoscendum & amandum (uti in tot Religiosis, aliisque perfectionem amoris singulari studio connitentibus Perfectiora videre est) quæque sola adhuc miraculis tanquam efficaciora, semperque à Christo, Apostolis, aliisque Doctoribus prima fidei prædicatione usitato medio floret; & sola pro conservatione Romanum Pontificem S. Petri Successorem, ob promissam Spiritus Sancti assistentiam, infallibilem controversiarum exorientium Judicem habet. 6. Nonnunquam etiam poterunt directè ea proponi, quæ hæresin illam, quæ cum quo agitur, proficitur, vel absurdam, vel rationi pariter consentaneam esse ostendunt; qualia sunt v. g. quòd Auctores illius plerumque Homines flagitiosissimi fuerint, atque adeò credibile non sit, DEVM illis tanquam instrumento propagandam fidem tam sanctam uti voluisse: quòd per eandem hæresin bona opera velut inutilia contemnantur, sicque stimulus ad vitam sanctè, atque honestè traducendam tollitur, è contrario verò janua ad omnem morum licentiam turpitudinèque referretur: quòd in eadem secta nullum verum Sacrificium admittatur, cum tamen constet, quantopere DEVS tam in lege Naturæ, quàm scripta sollicitus fuerit, ut per Sacrificia debito modo coleretur; quis ergo credat, esse in sola lege gratiæ longè perfectiore per Sacrificia, quæ sunt potissimum Religionis exercitium, coli non voluisse? Interdum si doctior, magisque in sua hæresi radicans videtur, ab ipso exigì potest, ut per aliquam elegantiam illationis probet suam hæresin, quæ illatione non eodem modo uti queant illi ipsi, quos ipse ob falsam fidem damnatos rejicit; ut

si probet v.g. se habere veram fidem, eò quòd habeat verbum DEI, eidem demonstrari debet, hoc ipso argumento etiam alios ab ipso rejectos & damnatos suam hæresin probare. 8.

Quia ex una parte, ut dictum est, non expedit eos una vice multis argumentis aut doctrinis obrui; ex altera verò parte etiam non statim omnia capiantur, consultum videtur, ut, si quidem legere sciat is, cum quo agitur, libellus ei quidam breviter & solidè nostras doctrinas proponens & probans offeratur, qualis esse potest Clypeus Fidei, Catholica Colloquia P. Christophori Pflaumeri, Examen Lutheranorum P. Jodoci Kedd, aliique ipsius tractatus, aliquot opuscula P. Laurentij Foreri, & ex parvis libellis germanicis *der Weegweiser / Morgenstern / Auszug auß der N. Schrift* (qui libellus valde succinctè & nervosè plerasque controversias proponit, ideòque valde utilis est pro ejusmodi Personis) *Wo stehts geschrieben?* & similes. 9. Assiduè per Orationem DEO commendetur; sic enim fortè perinde victas manus dabit, sicut olim Amalecitarum orante Moysè dederunt. 10. Etiam ipse ad Orationem frequentandam stimuletur; cum enim Fides sit donum DEI desursum descendens à Patre luminum, meritò à DEO per Orationem suppliciter peti, & impetrari debet.

III. Quòd si verò quis jam persuasus ad Catholicam fidem amplectendam veniat ad Operarium, ab eòque instrui peccat, cum eodem sequentes doctrinæ observandæ erunt. 1. Ostendat, se magnopere gaudere, & ex animo gratulari, quòd hæc ei gratia à DEO concessa sit, ut & veram Catholicam fidem, sine qua salvari nemo potest, amplecti, & in gremium sanctissimæ Matris Ecclesiæ recipi possit. 2. Cum jucundum plerumque cuivis sit, sua beneficia, favorèsque concessos narrare, quærat amicè ex eodem, quomodo ei hæc gratia obtigerit, & qua de causa fidem suam deserere, nostramque amplecti decreverit. 3. Si aliquod naturale motivum v. g. paupertatem, aut suorum persecutionem latere suspicetur, scdulo caveat, ne suam operam ipsi offerat, vel ad largam elemosinam impetrandam, vel ad munus aliquod aut occasionem se sustentandi obtinendum; constat quippe, quàm plurimas hac ratione fraudes non sine risu & sarcasmo Adversariorum contigisse. Potius ergo illi apertè dicat, se quidem

omnem ipsi operam polliceri in ijs, quæ ad instructionem
 Catholica Fide pertinent; de reliquo verò alimenta ipsi ad
 media deinceps se sustentandi suppeditare non posse; quamvis
 sperare ipsum jubeat, DEVM, qui Regnum DEI & justitiam
 quærentibus omnia necessaria se adjecturum promisit, & spe-
 rantes in se non deserit, etiam ipsum, si amplectendo Catho-
 licam fidem inter veros ipsius servos & amicos numerari me-
 ruerit, suo auxilio non defuturum. 3. Ubi, non obstant
 hâc denunciatione, firmiter in suo proposito persistit, in-
 struique petierit, ante omnia eum hortetur, ut negotium hoc
 in quo cardo salutis vertitur, crebrò ac sedulò per Oratio-
 nem DEO commendet, gratiamque ac lumen ad doctrinam
 Catholicæ nostræ Fidei rectè apprehendendas impetrare co-
 netur. 4. Quando inchoare vult ipsam instructionem, ante
 omnia illi Catechismum parvum P. Petri Canisij, vel alium
 similem libellum doctrinas Catholicas succinctè contine-
 tem (si quidem legere scit) offerat, atque ut Orationem Do-
 minicam, & Salutationem Angelicam cum Symbolo Apo-
 stolorum discere studeat, hortetur. Sed & sacram Ceram
 quam de collo suspendat, & Rosarium eidem donet, simulque
 usum & fructum utriusque breviter ostendat. 5. Eundem
 Catechismum per partes eidem explicare studeat, ita tamen
 ut nunquam multas simul doctrinas eidem proponat, ne mul-
 tudine præceptorum obrutus tædium instructionis concipiat.
 In ipsis autem doctrinis explicandis hunc servet Ordinem, ut
 prius ei ostendat ea, quæ necessitate medijs credenda sunt
 in quibus plerumque Catholicis cum Hæreticis conveniunt
 qualia v. g. sunt, quòd DEVS existat, & sit unus in natura
 trinus in Personis: quòd sit Judex & Remunerator bonorum
 & malorum: quòd Christus pro nobis natus, passus, & mor-
 tuus sit &c. Postea ad ea, quæ nos Catholicis necessitate pro-
 cepti credere tenemur, & ab Adversariis plerumque negan-
 tur, progrediatur, qualia ferè sunt numerus Sacramentorum
 cultus Sanctorum, & imaginum, necessitas & fructus bono-
 rum operum, Purgatorij veritas, Sacramentalium, aliarumque
 rerum benedictarum utilitas &c. quem in finem etiam
 illi offerri potest imago aliqua, vel aliud quoddam
 donum benedictum. 6. Ut tantò meliùs apprehendat do-
 ctrinas explicatas, firmiùsque retineat, hortetur eundem

absque omni timore ac respectu, aut quærat, quod satis non percepit; aut proponat, quod ipsi contra propositam doctrinam obijciendum, & fortè necdum satis solutum videtur.

7. Ubi paulatim satis instructus videbitur, eundem de confessione & professione fidei faciendis admoneat. Ad ipsam quidem confessionem quod attinet, quia plerumque eam summo opere horrent, ejusdem difficultatem, quantum potest, extenuet, simulque modum facilem se per præcepta Decalogi & Ecclesiæ examinandi ostendat; imò seipsum varias quæstiones proponendo fidelem operam præstiturum promittat. Pro fidei verò Professione ipsi, si legere scit, Professionis formulam à Concilio Tridentino præscriptam prælegendam & considerandam offerat, horteturque, ut, si quid adhuc creditu difficile in ea invenerit, intrepidè proponat. Quòd si autem ipse legere nesciret, eandem ab Operario eidem prælegi expedit, ne sub ipsa Professione ob doctrinarum & articulorum ibi contentorum multitudinem, & varietatem turbetur.

8. Postquam lectà Professione, se ad illam faciendam paratum ostenderit, tempus eidem congruum & opportunum pro confessione ipsa facienda constituat, quæratque, an malit publicè in Ecclesia coram præsentibus, an verò privatim in aliquo Sacello coram aliquot testibus dictam Professionem facere; etsi enim tum ad publicam ædificationem, tum ad ipsius etiam instructi confirmationem majorem magis conducere videatur, ut eam publicè faciat, si tamen hoc illi difficile accidat, malitque eam in Secreto absque arbitris coram solo suo Instructore facere, omnino id ei concedendum videtur; & tum quidem, si legere novit, ipse coram aliquo Altari vel imagine eandem legere jubeatur; si verò legere nescit, Instructor ipse eam tardè & distinctè legere, & ubi ad verba juramenti pervenerit, eidem, ut binos digitos dextræ manus super verba Evangelij ponat, & verba illa: *Ego idem spondeo &c.* ipse quoque proferat, hortari debet. Quòd si verò publicè sub Sacro professionem facere vellet, tum instruendus erit, ut ante Communionem post recitatam à Ministro Confessionem, Celebrante ad latus Evangelij pariter genuflexo professionem suam recitet, vel ab alio recitatam audiat, & post illam Sacrosanctum Christi Corpus accipiat. Ubi tamen diligenter attendere debet Instructor, ut, si paulò

majori cum solemnitate ejusmodi Professionem instituerit, id magna cum consideratione faciat, & non nisi cum aliorum consilio, & bene explorata constantiâ profitentis; alioqui, si is cum fraude resiliat, tantò major oriatur Adversariorum risus & júbilus, quantò majori cum apparatu facta ipsa peracta est. 9. Facta professione, gratuletur illi beneficium à DEO acceptum, atque ad constantiam horreant eúmque in finem illi quotidianam Symboli Apostolici recitationem suadeat, aliâque media suggerat, & si videatur, etiam pium aliquod munusculum, maximè libellum prelatorum si quem habet, donet, aut, si pauper est, modicam eleemosynam largiatur. Quòd si etiam convivio ipsum excipere possit, aut certè, ut ab alio id fiat, efficere, non modicè ipsum benevolentia charitate devinciet; quoad hoc tamen ratio Personarum, & aliorum circumstantiarum habenda est, ne cuiquam scandalum offensio, aut gravamen oriatur. 10. Denique & ipse DEUS privatim pro hac Ovicula inventa gratias devotè persolvat, & etiam deinceps, ut DEVS gratiam perseverantiæ illi concedere dignetur, sedulò precetur.

§. II.

Quid circa Instructionem Catholicorum, & inprimis totius Communitatis, sit observandum.

I. **P**ER Communitatem hoc loco nihil aliud intelligitur quàm tota Incolarum in urbe aliqua vel Pago habitantium collectio; in qua proinde instruenda tantò majorem ceptum adhibere debet Operarius, quantò majorem fructum & solatium, imò & præmium à DEO sperare potest, si talem Communitatem bene constitutam, suòque muneri & vocationi satisficientem intueri liceat. Ut autem hanc Instructionem ritè peragere valeat, ante omnia illam S. Pauli ad Romanos c. 12. sententiam ob oculos habere debet: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra.* quod ipsum iterum in 1. Epist. ad Corinth. c. 12. confirmat dicens: *Etenim in uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus.* Ex hac enim similitudine facit

facile intelliget, quid potissimum circa Instructionem Communitatis observare debeat.

II. Et primò quidem, sicut ante omnia cavetur in corpore, ne illud maligni humores, & periculosi morbi occupent, & corrumpant; ita & in Communitate vel maximè cavendum est, ne gravia vitia, & noxiæ consuetudines in ea vigeant; hinc sedulò vigilandum est Operario Apostolico, ut, si quæ gliscant hæreticæ pravitates, blasphemandi, defraudandi, luxuriandi, helluandi &c. consuetudines, non solum efficaciter tollantur, sed etiam capita obstruantur, v. g. concubina respectu Luxuriosorum, usuræ respectu avarorum &c. tollantur.

III. Deinde sicut non minore cura satagitur, ut corpus per debita alimenta, aliâque ad sustentationem necessaria media in suo vigore & robore conservetur, & augeatur; ita Operarius quoque curare debet, ut ea exercitia pietatis & Religionis in Communitate vigeant, sine quibus non potest facile salva consistere, & à quibus omnis quodammodo illius benedictio, incolumitasque promanare debet, qualia sunt timor DEI cum filiali fiducia, orandi fervor ac studium, Juventutis recta institutio, & præcipuè Sacramentorum creber usus ac frequentatio; cum enim, ut sapienter S. Carolus Borromeus advertit, animus noster rerum sensibus subjectarum aspectu primùm moveatur; ex his autem ad eorum, quæ sensus effugiunt, supernaturaliâque dicuntur, considerationem, & amorem excitetur, ac traducatur, facile apparet, quanto opere curari debeat, ut commemoratus Sacramentorum usus in Republica Christiana vigeat.

IV. Sicut præterea in Corpore nihil ferè magis cavetur, quàm membrorum inter se unitorum dissociatio, eò quòd vel minima etiam luxatio sine gravissimo dolore accidere non soleat; ita in Communitate quoque vel maximè laborandum est, ut concordia & pax inter Cives vel Incolas vigeat, cum verè juxta commune proverbium concordia res parvæ crescant, discordia maximæ dilabantur.

V. Sicut in Corpore præ reliquis membris caput semper custoditur ac defenditur, utpote à quo tota reliquorum membrorum incolumitas dependet; ita & Operarius curare debet, ut sua semper Magistratui Authoritas, reverentia, & Civium

subjectio constet. Sed & ipse eundem reveretur pro viribus, ejusque sibi benevolentiam & amorem conciliare studeat. hoc enim benevolo omnia poterit efficere; habebit, qui eum defendat; pauciores erunt, qui oppugnent, vel impedian, vigorque ab hoc tanquam à Capite in cætera membra derivabitur.

VI. Sicut ita Caput curandum ac protegendum est, ut tamen cætera etiam membra non negligantur; ita Operarius quoque sic Magistratus auctoritatem tueatur, ut reliquorum quoque membrorum Communitatis non exiguam curam se habere ostendat. Hinc sedulo allaboret, ut mutua inter Magistratum & Cives consensio ac amor vigeat; ut Magistratus subditos humaniter tractet, non nimis premat exactioibus aut oneribus gravet. Sed & ipse Operarius cum eisdem humaniter agat, amicè salutet, & subinde visitet, maximè si in aliqua gravi tribulatione constituti sunt.

§. III.

Quid circa Instructionem Senatorum & Judicum observandum sit.

I. Cùm ad incolumitatem Communitatis conservandam nihil æquè conducatur, ac Justitiæ studium ac vigor (nam, teste Salomone Prov. 14. *Justitia elevat Gentes, & Justitiâ firmatur solium*; & ut S. Augustinus l. 2. de civit. ait. *solâ Justitiâ Respublica sustentatur*) ideo omnem operam dare debet Operarius, ut Senatores & Judices velut Justitiæ Ministri officio suo probè satisfaciant; quem in finem pro Exemplari ipsis viginti quatuor Seniores, quos S. Joannes Apocalypsis c. 4. vidisse se scribit, ob oculos ponendi erunt; ut qui meritò ob apparatus ibi conspectum omnes ad verum Senatorem & Judicem requisitas dotes clarissimè repræsentare judicantur.

II. Primò itaque, sicut illi *Senes*, id est, moribus graves & multâ rerum experienciâ præditi erant, ut tantò facilius ex præteritis de præsentibus judicare possent; ita ut id ipsum in Senatoribus & Judicibus eligendis observetur, sindeat; notandum cum Roboam Juniorum consilia præferuntur, exitium Reipublicæ perinde ut ipsius regno accersatur. Verè enim

Plurarchus dixit, Reipublicæ salutem esse, cum senum consilia, & Juvenum arma obtinent.

III. Secundò sicut senes illi Apocalyptici vestimentis albis amicti erant; ita & senatores & Judices bonam conscientiam habere, & DEUM timere oportet; sic enim jam olim Josaphat 2. Paralip. 19. suos Senatores & Judices hortatus est dicens: *Videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini; & quodcunque iudicaveritis, in vos edundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Certè nihil est in S. Scriptura, quod tam gravibus verbis corripiat, quàm iudicii corruptionem, sic enim loquitur Sap. 6. *Audite Reges, & intelligite, discite Judices sinuum terra. Præbetis aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis Ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem DEI ambulastis. Horrendè & cito apparebit vobis Deus, quoniam iudicium durissimum his, qui præsumunt, fiet; exiguo enim misericordia conceditur, potentes autem potenter tormenta patientur.*

IV. Sicut Senes illi coronas aureas in capite habebant; ita Senatoribus quoque Judicibusque omni conatu evitandum est, ut libertatem auream, cujus symbolum corona est Regiam potestatem & independentiam significans, inviolatam retineant, atque adeò nec pollicitationibus & muneribus se à recto Justitiæ tramite abduci, atque terri patientur; uti jam pridem DEUS Exod. 23. prohibuit dicens: *Non accipies munera, quæ excæcant prudentes, & subvertunt verba Iustorum.* Certè Cassiodorus in epist. quadam ait, acceptationem munerum esse tineam regiminis, imò S. Gregorius in moral. Judæ Christum vendenti similes dicere ausus est; sic enim loquitur: *Quis non erubescat dicere, quid mihi dabis, ut tibi iustitiam vendam? nonne simile est, ac si dicatur: quid mihi vultis dare, ut abnegem Christum, officium perdam, & DEVM vendam?*

V. Sicut illi Seniores habebant ante se sedentem in throno, qui in dextra gerebat librum intus & foris scriptum, & septem signaculis signatum; ita Senatores quoque & Judices

causas & lites ad se delatas à subditis celeriter expedire, fideliterque annotare, & sic librum scriptum ante se habere debent; ex altera tamen parte, quæ secretum postulant, arcana secreta firma retinere, & sic clausum quoque & sigillis septem, nempe titulo Justitiæ, Fidelitatis, Prudentiæ, Religionis, Temperantiæ (quâ curiositatem & appetitum revelandi suppressant) Fortitudinis (quâ metum impellentem ad arcana revelanda superent) & charitatis (quâ commoda & incolumitatem Reipublicæ promovere tenentur) munitum; Certè Valerius Maximus optimum & tutissimum rerum administrandarum vinculum taciturnitatem putat esse. Hinc Curtius l. 4. de Peris ait: *Arcana Regum mira celant fide, non metus, non sive elicit vocem, quâ prodantur occulta. Vetus disciplina Regum vita periculo silentium sanxerat. Nec rem magnam sustinere posse credunt ab eo, cui tacere grave sit.*

VI. Denique sicut Seniores illi in genua prociderunt, & coronas ad pedes DEI in throno sedentis posuerunt, ita Senatores quoque, tum pro consiliis capiendis ad DEUM recurrere exemplo Salomonis, cap. 3. dicentis: *DEVS Patrum meorum, & Dominus misericordie, da mihi sedium tuarum assidricem sapientiam. Mittere lam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tue, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te; tum in iisdem consiliis dandis non ad proprium commodum, sed ad honorè Dei respicere debent; hic enim est Scopus ultimus ad quem omnia referenda sunt, uti pius Author in Personâ DEI sapienter indicavit, dum l. 3. c. 9. sic loquitur: *Fili, ego debeo esse finis tuus supremus & ultimus, si verè desideras esse beatus; ex hac intentione purificabitur affectus tuus sapiens seipsum, & ad creaturas malè incurvatus.**

§. IV.

Quid circa Instructionem Illustrum & Nobilium Personarum observandum sit.

I. **E**T si cum ejusmodi Personis familiarius conversantur, rarior se offerat Operario occasio, quia tamen & haec præ cæteris sæpe Instructione indigent, quâ statu ac fortunam suâ moderatè uti doceantur, ideo pro his quoque breviter aliquot doctrinas eidem suggerere placet.

II. Primò ergo ante omnia illos hortetur, ut ob Nobilitatem & Prosapiam suam non se meliores æstiment non nobilibus, ac propterea eosdem despiciant, & sua conversatione aut alloquio indignos putent; sed potiùs memorabilem illam S. Hieronymi epist. 14. sententiam sibi applicent: *Nulli te unquam de generis nobilitate praeponas, nec obscuras quasque & humiliori loco natas (Personas) te inferiores putes. Nescit Religio nostra Personas accipere, nec conditiones Hominum, sed animos respicit singulorum, servum & nobilem de moribus pronunciat. Summa apud DEVM libertas est, non servire peccatis: summa apud DEVM nobilitas, clarum esse virtutibus.* Et paulò post: *Nihil video in nobilitate appetendum, nisi quòd nobiles quòdam necessitate adstringantur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Non enim datur Nobili Patri palma, sed cursui: & plerumque nobilitas carnis ignobilitatem parit mentis.* Certè juxta eundem sanctum, *ille apud DEVM est potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas saeculi, sed quem devotio fidei, & vita sancta commendat. Quid enim prodest ei (inquit S. Chrysostomus in Matt.) quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet ei generatio vilis, quem mores adornant?*

III. Secundò eis inculcet, non modò nihil prodesse illis generis nobilitatem sine virtutibus, sed potiùs nocere, uti sapienter S. Chrysostomus ho. 20. in Matt. sequentibus verbis indicavit: *Licet longam Progenitorum seriem, & quidem clarissimam numeremus, in his gloriandum non est, nisi eorum Virtutes superare contendamus, scientes aliorum Opera nihil nobis in iudicio profutura, verùm graviter nos condemnatura, cum optimorum Parentum Filii, & domesticis exemplis eruditi nihil profecerimus.* Certè Diogenes, teste Laërtio dicere ausus est, nobilitatem, aliàque fortunæ bona nihil aliud esse, quàm velamina malitiæ; cum enim Nobiles nihilo sint aliis meliores, tamen aliis licentiùs peccant; unde Socrates ibidem cit. omne malum ex nobilitate oriri dicebat.

IV. Tertiò eosdem hortetur, ut, sicut genere & dignitate alios antecédunt, ita & virtutibus superare & præcellere contentur, cum verè cecinerit Juvenalis Sat. 8.

Tota licet veteres exorment undique ceræ
Atria, Nobilitas sola est, atque unica virtus.

Et si autem omnibus virtutibus præcellere deberent, tres tamen præcipuè illis suadendas S. Franciscus Salesius cap. 1. Reg. p. 2. censuit, eas videlicet, quas S. Paulus in epist. ad Titum c. 2. indicavit dicens: *Apparuit gratia DEI Salvatoris nostri omnibus Hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè vivamus in hoc saculo.* Quibus verbis tres præcipuè virtutes commendat, scilicet 1. Temperantiam, seu mundanarum Cupiditatum refrænationem, ut qui utuntur hoc mundo, sint quasi non utantur; quæ virtus Nobilibus præcipuè convenit, cum, teste S. Salesio l. c. nihil in hoc mundo invenire sit, quod nobili sanguinis generosi animo magis de honestamento sit, quam à corporis sui cupiditatibus velut vile mancipium sædè constructum, subjugatumque teneri, quæ aliò non collineant, nisi ut omnes generosæ indolis fibras elidant, funditusque perfundant, uti experientia quotidiana, & tot familiarum nobilissimarum interitus & pernicies satis comprobant. 2. Justitiam commendat idem Apostolus, quæ tantò magis à Nobilibus amanda & servanda est, quantò ampliorem ad quilibet vis agendum licentiam sunt naçti. Ad hanc autem Justitiam juxta S. Salesium l. c. pertinet, suum cuique relinquere, & retribuere; neminem sive Domesticum, sive necessarium, sive subditum, sive extraneum injustè gravare, & onere in debitum opprimere: nihil à subditis exigere, quod æquissimum non sit, injusta tributa non imponere: manus ab Ecclesiasticis bonis abstinere, quin potiùs Ecclesias, & Ecclesiasticos omnino cultu & veneratione prosequi; sed & erga alios ita se in agendo benevolù, in loquendo affabilem, in conversatione sua reverentem exhibere, uti par est facere eum, in quem omnes omnium oculi sunt conjecti, quique domum suam ac familiam totam magnam cum prudentia, sinceritate, suavitateque gubernet, pacem, amicitiamque cum omnibus colat, ac tam præclaro ordine universa dirigat, ut faciem omnibus exemplo suo præferat. 3. Tandem præ aliis pietatem exigit, quâ se DEI timentem virtutisque debitum demonstrat; sed & DEI cultui, honorique & obsequio promovendo magno cum Zelo studeat. Quem quidem Zelum S. Salesius sequentibus verbis summopere commendat: *In hoc præcipuam sollicitudinem, in hoc finem, in hoc perfectam status sui felicitatem collocatam existimet, in*

omnem conatum, consilia, & labores destinet. Huic ut tanto faciliusque peringat, principium tum diei, tum negotiorum omnium per Orationem à DEO auspicietur. In auscultando Sacro Missæ Sacrificio, in decurrendo sanctissimæ Virginis Rosario, ejusque Officio, nec non cæteris precibus ab Ecclesia ordinatis, Psalmisque evoluendis assiduus sit. Sanctissimæ communionis Sacramento minimum se quot mensibus reficiat, pios, salutarésque libros lectitet, concionibus crebet adsit, frequentet devotarum Congregationum cætus, eorumque in album nomen suum referri faciat, ut tanto sanctius, distinctos divino cultui dies exigat. Nunquam patiatur se præsentem à quoquam divinam Majestatem dehonoriari & offendi. Utque diei felicissimè coronidem imponat, DEO, Cælitibusque acceptissimam, ad vesperum concessurus cubitum, prius semper in rationes conscientie indaget. His sanctis exercitiis, brevi ad eximiam integritatem, perfectionemque evadet: his obsequiis gratum, acceptumque se Deo præstabit, his amor, venerationique aliis erit, eosque exemplo & conversatione tam sancta ad optima quæque provocabit.

§. V.

Quid circa Instructionem Divitum observandum sit.

I. In hac Instructione Magnus Gentium Doctor Paulus faciem præferet Operario, doctrinâsque suggeret, quas jam olim per Timotheum in 1. epist. c. 6. Divitibus inculcari voluerat dicens: *Divitibus huius sæculi præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo (qui præstat omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Quibus quidem verbis succinctè comprehenditur, quidquid à Divitibus specialiter observari oportet.

II. Primò ergo hortetur, ne efferantur, aliòsque despiciant ob divitias, cum nullam ob hunc titulum superbiendæ causam habeant; quis enim Oeconomus aut Quæstor ex capite, quòd plures pecunias distribuendas à Principe accepit, & difficiliòres rationes reddendas habeat, meliorem se aliis,

aliis, feliciorémque putat? atqui tales Quæstores & Oeconomi sunt Divites, quibus, sicut multùm datum est, ita multùm quoque repetetur ab illis. Aut quis feliciorém se putat aliis, si plures peccandi occasiones habeat, pluribusque curis & sollicitudinibus oneratus sit? atqui qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, qua mergunt homines in interitum, & perditionem, ut S. Paulus 1. Tim. 6. ait. Et, ut Siracides Eccl. 11. confirmat, si dives fueris, non eris innocens. Aut quis propterea efferatur, quòd difficiliorem ad Cælos viam sit effectus? atqui, ipso Christo teste Matt. 19. difficile dives intrabit in regnum cælorum; imò faciliùs est Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.

III. Secundò hortetur eisdem, ne in incerto divitarum sperent, sed potiùs consilium Salomonis Prov. 23. sequantur: *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquila, & volabunt in cælum.* Aut certè consilium Christi dicentis Matt. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi fures effodiunt, & furantur, ubi arugo & tinea demolitur.* Certè veniet tempus, cum rificabitur illud Job. 27. *Dives, cum dormierit, nil secum referet: aperiet oculos, & nihil inveniet. Apprehendet eum quasi si aqua inopia, & nocte eum opprimet egestas.* Hinc meritò exclamat Baruch Propheta. c. 3. *Vbi sunt, qui thesaurizaverunt argentum & aurum, in quo confidunt homines? ad inferos descendunt, & alii loco eorum surrexerunt.*

IV. Tertiò suadeat, ut divites in bonis operibus fieri studeant; nam, ut S. Bernardus sapienter advertit, veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat, ad has enim ipse etiam Christus hortatus est Matt. 6. dicens: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque arugo, neque tinea demolitur, &, ubi Fures non effodiunt, nec furantur.* Hinc meritò S. Hieronymus S. 12. de verb. Dom. quid prodest, inquit, *arca plena pecuniis, si inanis sit conscientia? bona vis habere, & tu bonus esse non vis? et tibi bescere debes de bonis tuis, si domus plena bonis te malum habet Dominum. Quid prodest diviti, quod habet, si DEVM, quod omnia dedit, non habet?*

V. Quæ

V. Quartò hortetur, ut, si quidem fructum ex suis divitiis referre velint, eas liberaliter pauperibus distribuât; nam, ut S. Augustinus S. 25. de verb. Dom. verè dixit, *Fecundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum*; illum scilicet, de quo S. Paulus 2. Cor. 9. dixit: *Qui parè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

VI. Quintò admoneat, ut iis divitiis, quibus ad suas necessitates utantur, cor non apponant; sed sic utantur, quasi non utâtur, uti Apostolus suasit; verè enim *ad subsidium vitæ duntaxat, non ad malorum incitamentum opes data sunt; pecunia anima redemptio est, non exitii occasio*, uti S. Basilius dixit. & ut S. Bernardus S. 4. loquitur, *aurum & argentum, & cætera huiusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona, nec mala sunt; usus tamen horum bonus, abusus mala, sollicitudo peior, quæstus turpior.* Hunc ergo usum bonum ante omnia procurare studeant, ut hâc ratione sibi fundamentum bonum in futurum thesaurizent, juxta Apostoli suprâ cit. monitum.

VII. Sextò denique, cum divitiæ perinde, ut res aliæ terrenæ, variis casibus, amissionis putâ, & corruptionis subjectæ sint, ideo proderit monere etiam Divites, ut adversus hos casus animum maturè præparent, ut, ubi aliquis acciderit, inconcussio, atque in DEI voluntatem resignato animo cum excipiant, imò ad primorum Christianorum exemplum rapinam bonorum suorum cum gaudio sustineant, scientes se meliorem in cælis habere repositam substantiam.

§. VI.

Quid circa Instructionem Patrum familias observandum sit.

I. **H**is ante omnia suadeat, ut, cum à bona educatione Liberos tota salus & incolumitas Reipublicæ, imò & domus suæ pendeat, hanc præcipuè cordi habeant, ideòque Liberos suos à teneris annis ad DEI cultum condocerant, eaque principia instillent, quæ huic fini attingendo opportuna videntur; sed & idoneis modis ad hoc suaviter pelliciant, atque cum iis agant, sicut boni Angeli suis cum Clientibus, sine coactione res salutare eorum animis objiciendo, quæ cum

iisdem

iisdem excrefcant, & optatos DEO, ipsiſque Parentibus fru-
ctus producant. Deinde verò ubi capaces effecti fuerint, ma-
turè artibus Liberalibus inſtrui careant, neque ullis ad hunc
finem impenſis aut ſumptibus parcant, quandoquidem Paren-
tum honor & gloria ſunt Liberi, præſertim in pietate & lit-
ris bene inſtructi; ſi ergo in aliis rebus, quæ ad honorem
proprium augendum vel conſervandum conducunt, nullis
ſumptibus parcur, quantò magis in Liberos velut præci-
pua Parentum gloriam ejusmodi impenſæ libenter & libe-
raliter ſunt faciendæ.

II. Præterea verò hortandi & inſtruendi ſunt ejusmodi
Patresfamilias, ut totius etiam Familiæ benè inſtituendæ ac-
curatam ſollicitudinem ſuſcipiant, & ideo 1. curam habeant
inſtitutionis Chriſtianæ, Liberos ſuos & reliquam etiam fa-
miliam mittant ad Catechiſmum, reduces examinent, & eos
qui meriti ſunt, remunerentur aliquo præmiolo, ut alii quo-
que excitentur. 2. Ut ſuos ſervos, ancillas, Liberos diligen-
ter diebus feſtis ad ſacrum & Concionem mittant, & ex re-
cedentibus quærant, quid notaverint; puniant ſubtracto uno ſer-
culo vel potu, aliòve modo negligentiores. 3. Ut otium
domo eliminent, ſuòſque bene occupent, ita tamen, ut tem-
pus pro ſacro, precibùſque fundendis concedant; neque ex-
ſtiment per tale otium quidquam decrementi rem domeſti-
cam paſſuram, quin potius certò ſibi perſuadeant, multum
ipſam hoc medio augendam; nam luxum, quod propter vir-
tutes, religionis maximè, deſpicitur, per virtutes melius re-
cuperatur. Certè ſi pietas, teſte D. Paulo 1. Tim. 4. ad omnia
utilis eſt, quidni etiam ad rem domeſticam augendam & con-
ſervandam? 4. Emendent & tollant ludos inhoneſtos, ebrie-
tatem, laſciviam, colloquia prava, Juramenta, blaſphèmi-
as, imprecationes & contentiones, & ſimilia peccata, decreta cer-
tà poenâ pecuniariâ, vel abſtinentiâ modicâ iis, qui ſæpius
horum peccatorum aliquod amiſſiſſe deprehenſi ſunt. 5. U-
curæ habeant lectionem libellorum piorum; recitationem
Litaniarum B. V. à collecta familia ante ſomnum; pauperum
amorem; cultum Sanctorum, & B. V. maximè; proſtent ſub-
motis inhoneſtis Imagines piæ Chriſti paſſi Crucifixi, B. Vir-
ginis, Sanctorum, &c. Hæ lecticis etiam ſint affixæ, ut oc-
caſio ſit ante cubitum eas venerandi. Curent, ut non deſi-

aqua benediſta, eaque reverenter ac piè tum ipſi utantur, tum etiam ad eundem uſum Domèſticos hortentur. Dent operam etiam, ut ſinguli è familia agnis cereis de collo pendulis, roſariis, libellis precatoriis ſint inſtructi.

III. Suadeat inſuper Patribus familias, ut non ipſi modò uni, alteri ve Congregationi (pluribus enim dare non expedit, quia ob domèſtica negotia ſatisfacere tot legibus non poſſunt) dent nomina, ſed Authores etiam ſint domèſticis ad idem faciendum, ſuisque temporibus eos ad conventus mittant : ad Confessionem & Communionem, cum leges exigunt, peragendam hortentur, atque ut tantò majorem ipſis animum ad hæc SS. Myſteria frequentanda concilient, liberaliùs non nihil in menſa eos illo die tractent: tandem verò etiam mane, noctùque illis tempus ad preces ex præſcripto Congregationis peragendas concedant, ſuòque exemplo eos ad hoc Religionis opus excitare ſtudeant.

IV. Summopere illis concordiam mutuam non modò cum Uxoribus ſervandam, ſed inter ipſos etiam Domèſticos procurandam commendet, atque ob id frequenter illis in memoriam revocet tum illam Sancti Spiritùs ſententiam, Prov. 17. *Melior eſt Buccella ſicca cum gaudio (& pace) quàm Domus plena vitimis cum iurgio* ; tum tritum illud Proverbium : Concordià res parvæ creſcunt, diſcordià etiam maxima dilabuntur. Eundem in ſinem proderit etiam narràſſe ſapientiſſimum illud Sciluri Scytharum Regis factum, qui è vita diſceſſurus ſeptuaginta, quos habebat, filios convocavit, ſinguliſque fasciculum 70. ſagittarum colligatarum obtulit, frangeréque juſſit, quod cum nequirent, ſingulos ſingulas ſagittas accipere & confringere juſſit, quod cum ſine labore præſtitiffent, ſubjecit: Ita & veſtra potentia, ſi conjuncti per concordiam manſeritis, à nemine frangeretur, aut ſuperabitur; ſecus, ſi per diſcordiam à vobis ipſis diviſi fueritis. Media quoque ad concordiam hanc tantopere illis neceſſariam conſervandam accommodata ſuppeditet; maximè verò radices diſcordiarum prudenter indaget, modùmque eadem evellendi cum charitate

oſtendat.

* * *

§. VII.

Quid circa Instructionem mulierum conjugatarum observandum sit.

I. **H**Æc conversatio duas continet partes : Prior est, ut virtutes statui ipsarum convenientes eas hortetur, posterior est, ut contra tentationes ipsis proprias apta quædam remedia præscribat. Virtutes ergo Uxorum quod attinet.

1. Vehementer ipsis commendabit puram intentionem, ut videlicet finem illum, quem conjugata quæque mulier præagere sibi deberet, obtinere laborent; Is autem finis est, ut Marito sint adiumento in filiis generandis, nutriendis, & educandis, & per hoc debitum amorem & obsequium DEO exhibentes salvæ fiant. Hunc finem indicavit Sapiens Proverbia c. 32. dum dixit de muliere illa provida. *Quasi sit lanam & linum, &c.* per lanam enim externa bona & corruptibilia per linum verò interna, & incorruptibilia seu æterna indicantur. 2. Hortetur illas ad insignem vitæ integritatem & verecundiam; hæ enim virtutes sunt vestis illa, quam sapiens mulier l. c. sibi fecit, uti Salomon indicavit, dum dixit: *Byssus & purpura indumentum eius*, ubi per Byssum propter candorem intelligunt Interpretes Innocentiam vitæ, per purpuram verò verecundiam propter colorem rubrum. Certè si quærant regnum DEI & justitiam, omnia reliqua, quæ se ac familiam sustentandam sunt necessaria, copiose adiciuntur. 3. Moneat, ut etiam atque etiam imitati studeant jam sæpius commemoratam mulierem sapientem, quæ consideravit femitas domûs suæ, & panem otiosa non comedit. Ad hujus ergò exemplum otium diligentissimè fugiant, eumque in finem sæpius considerent, quæ tum interiori suæ domui, animæ scilicet; tum exteriori, videlicet familiæ deficiat, eaque omnia sollicitè, & optimo. quo possunt, modo, procurare studeant. 4. In memoriam illis revocet illam S. Pauli sententiam ad Eph. c. 5. *Sicut Ecclesia subdita est Christo, ita mulieres viris suis in omnibus.* Horretur itaque illas, ut, sicut Ecclesia triplici potissimum obsequio suum erga Christum amorem probat, scilicet reverentiâ, obedientiâ, patientiâ, ita his ipsis tribus officiis ipsæ quoque suos sibi Marit os digne

zere studeant. 5. Singulariter illis commendat Domesticorum, & Liberorum maximè curam, horteturque, ut ad exemplum mulieris sapientis omnes suos domesticos duplicibus vestiant, id est, ut tam in virtutis, quàm in aliarum artium aut munerum, quibus alere quondam sese debebunt, studio eos perficiant. 6. Non minùs illis commendat Imitationem illius virtutis, quam in muliere sapiente Salomon laudavit, dum dixit: *Os suum aperuit sapientia, & lex clementia in lingua eius*, Prov. ult. Hortetur itaque illas, ut singulari studio taciturnitati studeant, & domesticos mansuetudine potius, quàm imperijs duris atque verberibus ad officium perducere studeant; nam mitibus promisit Christus, quòd terram, id est, homines suæ curæ commissos possessuri sint. 7. Suadeat, ut cum sapiente muliere accingant fortitudine lumbos suos, & robovent brachium suum, ad plurima incommoda, quæ matrimonij jugum secum ex omni parte affert, toleranda; alioqui enim & in hoc, & futuro seculo miserimas futuras. 8. Denique misericordiam erga pauperes specialiter etiam commendat, ut videlicet & ipsæ cum muliere sapiente manum suam aperiant inopi, & palmas suas extendant ad pauperem; sic enim copiosam domui benedictionem obventuram, juxta illud servatoris promissum: *Dabitur vobis: Mensuram bonam, & confertam, & coactam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum* Luc. 6. Has profectò virtutes si comparare studuerint uxores, verificabitur de illis, quod Salomon de muliere sapiente narrat: *Surrexerunt filij eius, & beatissimam predicaverunt; vir eius & laudavit eam: date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius* Proverb. ult.

11. Tentationes Uxorum ad tria ferè genera revocantur. Primum & gravissimum ferè est, quòd ex Maritum vel severitate, vel violentia, vel negligentia, aliisque vitiis nascitur. Contra hanc tentationem sic eas muniat, & 1. suadeat, ut pro Maritis suis assiduò DEVM, in cujus manu sunt corda hominum, precentur, imitata prudentem Abigail, quæ Marito suo iratum David placavit. 2. Suadeat, ut non in quotidianis duntaxat obsequiis valde diligentes sint, sed extraordinaria charitatis officia erga illos ostendant, v. g. cibos valde bonos præparent, dicantque, se ex speciali affectu erga

Maritum illos præparasse, omnia verò mandata promptè exequantur &c. sic enim amor Maritorum erga ipsas crescet, & suo tempore occasio dabitur, id, quod volent, impetrandi, uti in Estheris exemplo patet. 3. Suadeat, ut, dum Maritus ebrius aut iratus est, taceant; imò etiam postero die ab ipso veniam precentur, non aliter, ac si ipsæ illum offendissent; talis enim dissimulatio & patientia mirè illis mentem Mariti devinciet. Certè in plerisque conjugiiis causa potissima discordiarum est Uxorum garrulitas atque impatientia, uti ingeniosè indicavit Medicus ille, qui Uxori, quam Maritus quotidie verberabat, medium petenti, vasculum naturali aqua plenum obtulit, jubens, ut Marito irato os hæc aquâ impleret, & tamdiu retineret, donec Marito ira deferveret, sic enim futurum, ut nunquam vapularet, quod & factum est. Idem indicavit prudenter Chirurgus ille, qui dum ad Uxorem vulneribus plenam vocatus esset, primo loco empletum ori, nullum alioqui vulnus habenti, applicare voluit, causamque rogatus, respondit, frustra se reliqua vulnera curaturum, nisi hoc foramen priùs obstruxisset, & sanasset. 4. Suadeat, ut, dum Mariti signa quædam amoris erga ipsas ostendunt, occasionem captent, & suavibus verbis rogent, ut deinceps ab hoc vel illo scelere abstineant, ut patienter ferant suos (Uxorum) errores, se quoque, si hoc impetraverint, peratissimas ad omnem ipsorum nutum & obsequia fore. Caveant autem, ne unquam Maritos aut increpent, aut cum ipsas litigent, aut omnino manibus certent; nam sic magis consuetudine eos roborabunt, atque ad odium & rancorem majorem excitabunt. 5. Si hæc nihil proficiant, suadeat illis, ut Parochum vel Virum religiosum adeant, eumque rogent, ut cum Marito suo agere, aptisque mediis prudenter applicatis ad frugem reducere studeant; Ipsæ, verò interea negotium hoc DEO commendent, proque felici ejus successu Communiones aliquot, vel Eleemosynas, aliâque opera offerant. 6. Si neque hoc remedium efficax fuerit, ad patientiam hortetur, suadeatque, ut ex malo tanto fructum bonorum meritorum in cælo ingentium extrahere studeant, ne alioparum & illis obijci possit, quod S. Job suæ uxori objecit, & dixit: Quasi una de stultis mulieribus egisti. Si bona de manu DEI suscepisti, mala quare non suscipias? Profecto enim stultus

agunt Uxores, quæ impatienter ferunt tales miseras, quia sic & gravius ferunt Crucem, & in altera vita nil nisi gravissimas pœnas expectare ex ea possunt, cum tamen per patientiam potuissent Crucem hanc leviolem reddere, & simul ingens in cœlis præmium mereri.

III. Secundum genus tentationis provenit ex Liberorum & aliorum domesticorum corruptis moribus. Contra has tentationes sic eas muniat. 1. Doceat illas, non nimis graviter apprehendere errores Subditorum & Liberorum, sed potius considerare eos ut cœcos, ut ægros, quibus minimè irasci, sed cum charitate & condolentia media applicare solemus. 2. Suadeat, ut non quosvis errores mox puniant, sed minores dissimulent, exemplo piscatorum, qui piscis minoris jacturam contemnunt, ut majorem lucrentur. Revocet illis in memoriam DEI misericordiam, quam erga ipsas ostendit, & dicat illis: Ecce, an non vos quoque estis filia DEI? & tamen quàm parùm impletis mandata illius? si quoties peccatis, mox pœnam injungeret, quoties jam in Purgatorio, aut inferno essetis? si ergo vos, quæ ratione polletis, à vobis ipsis impetrare non potestis, ut efficiamini tales, quales esse deberetis, quantò minùs à Liberis vestris ratione destitutis, hoc exigeretis? 3. Hortetur illas, ut cum mansuetudine potius, quàm severitate eos corrigant, nam, ut S. Prosper l. 1. de vita Contempl. ait: *Leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti; asperitate autem nimia increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem.* Et ut S. Gregor. in Pastor. c. 35. ait: *plerumque, quos cruciamenta non corrigunt, ab iniuriis assibus lenia condimenta compefcunt.* Jubeat ergo eas in correctione cœlum imitari, quòd primò faciem serenam exporrigit; tum nubilosum efficitur, subinde tonat, mox fulgurat, & tandem fulminat; sic itaque & ipsæ primò faciem hilarem & serenam exhibentes blandis verbis ad emendationem alliciant; ubi hoc medium nihil profecerit, obnubilent faciem, & displicentiam circa errorem ostendant; si neque hoc sufficiat, tonare incipiant, verbisque increpent delinquentes; quando etiam hoc non proficit, fulgura minarum emittant, & terreant; & tandem, ubi neque hoc medium efficax fuisse senserint, fulmine virgarum vel alterius instrumenti percuciant. 4. Ostendat ijs errorem & stultitiam, quam

committunt, dum errantes Liberos aut Subditos ignominiosis verbis compellunt, aut durissima quæque mala imprecantur. Nam 1. contra charitatis ordinem faciunt, quia, dum emendare volunt parvum errorem, in majorem præcipitant, quatenus videlicet exemplo suo malo blasphemare & imprecari docent; atq; adeò similes sunt illi homini, qui, ut unam fenestræ rotulam reficeret, viginti alias frangeret; aut Parenti, qui, ut parvum filij vulnus curaret, lethale ipsi infligeret. Etiam stultè faciunt, perinde scilicet, ut parens ille, qui, ut filium curaret, medio uteretur, ob quod omnibus bonis spoliari & morti adjudicari ipse parens mereretur, aut qui se ipsum occideret præ indignatione, quod filium leviter se ipsum vulnerasse videret. Meminerint sententiæ illius Christi Matth. c. 16. prolata: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* 5. Admoneat illas, ut, si post frequentem correptionem videant, se nihil proficere, rem totam DEO commendant, & hanc filiorum inobedientiam & pertinaciam, tanquam tribulationem à DEO missam cum patientia & æquanimitate recipiant, & portent, non cessantes interea salutem & animam Liberorum aut Subditorum DEO commendare.

IV. Tertium genus tentationis oritur ex sollicitudine, quam de filiis tum alendis, tum necessaria dote instruendis habent. Contra hanc sic illas muniat. 1. Hortetur illas, ut filios in timore domini educant, & exemplo S. Tobie ab infantia faciant timere DEVM; hanc enim solam esse optimam hæreditatem, quam nemo Liberis invitis auferre possit, & cum qua nullum necessarium ad vitam mediocrem defectum sint passuri; eâ enim si Liberos instruxerint, audeat cum S. Tobia ad illos dicere ipsas posse. *Dilecta proles, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus DEVM, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Tob. 4. Ut enim DEVS ipse per Psalmistam dixit; *non est inopia timentibus eum.* Isa. 33. 2. Jubeat illas considerare, quàm liberaliter DEVS aves in aère, pisces in aqua, feras in sylvis nutriat; quantò magis ergo hominibus pretioso ipsius sanguine redemptis necessarium victum negabit? 3. Jubeat item meminisse, quòd non tam ipsorum, quàm etiam DEI filij sint Liberi earum; imò magis DEI

ut qui corpus & animam dederit; si ergo ipsæ tantopere sollicitæ sunt pro Liberis, neque illos unquam fame perire sine-
rent, quantò major de talibus Liberis cura ab ipso DEO ex-
spectanda erit? 4. Ostendat illis, quantum periculum &
damnum Liberis & sibiipsis creent, si amplam nimis hæredi-
tatem parent; sibi quidem, dum interea salutem suam negli-
gunt, & cælestes divitias comparare omittunt, pro quo ta-
men ipso labore exiguas à Liberis gratias referent, sed potiùs
efficient, ut & in vita mortem ipsarum illi assiduò desiderent,
quò citiùs parata hæreditate fruantur; post mortem verò con-
viviam instituunt, & turpem per concoctionem hæreditatis no-
tam parentibus mortuis inurant. Unde patet, quantum in
periculum ipsi etiam Liberi per tales hæreditates conijcian-
tur, dum scilicet laqueus illis, quo animam suam æternùm
perituram suffocent, offertur, atque materia ad ignem vitio-
rum, & qui ex hoc oritur, etiam infernalem accendendum
subministratur.

§. VIII.

Quid circa Viduarum Instructionem
observandum sit.

I. Viduas ipse DEUS honorat, atque ut honorentur per S.
Paulum præcepit dicentem 1. Tim. 5. Viduas honora,
quæ verè Viduæ sunt; sed & alibi se iisdem benedicturum,
defensurum; ac Judicem futurum promisit. Quare omnem
operam dare debent, ut ita comparatæ sint, ut pro verè Vi-
duis haberi, commemoratisque DEI promissionibus dignæ
videri queant. Quem in finem quatuor præcipuè virtutes
iisdem commendat Operarius, scilicet 1. Insignem vitæ ho-
nestatem & integritatem; cum enim jam Christum pro Spon-
so habeant, meritò quærere debent illa ornamenta, per quæ
ipsi magis placeant, ejusque amorem faciliùs sibi concilient.
2. Insigne studium orationis; decet enim, ut Sponso suo fa-
miliares sint, & ab eo frequenter necessaria petant. 3. Pa-
tientiam, quâ miseras, quibus Viduarum status refertus est,
æquo animo ferant; & hoc velut aptissimo medio miseras
suas leviores sibi faciant. 4. Prudentem charitatem erga Li-
beros & Domesticos, quâ tum necessaria illis provideant; tum
in pietate ac timore Domini educare studeant.

II. Cæterum etiam hæc suis tentationibus non caret contra quas proinde armari eas oportet. Prima tentatio oritur ex Mariti morte, contra quam sic eas munit Opus. 1. Ostendat, merito sperari posse, Maritum in Electos annumeratum esse; proinde si verè illum dilexerit gaudere magis ipsas debere, quod ille ex carcere corporis liberatus, & ab exilio revocatus in patriam omni deliciarum genere affluentem fuerit. 2. Declaret etiam illis, melius sic provisum iri à Marito; si enī, cū in terris viveret, tantā curā Uxori & Liberis necessaria providebat, quantō magis in cælis hoc facturum, ubi & charitas innumeris partibus aucta est, & major ad quævis impetranda facultas adest? 3. Revocet in memoriam, quoties viventem adhuc Maritum in longinquis regiones negotiorum causâ abeuntem sine dolore dimiserint; quidni ergo etiam jam ipsius absentiam per diem unicum (nam mille anni coram DEO & cum æternitate comparati sunt sicut dies hesternæ, quæ præterijt) æquā animo ferant, ut suo tempore tanto cum majoti gaudio in cælis iterum videant; maximè cū sperare possint, in eum locum abiisse Maritum, in quo negotia sua & Liberorū comoda optimè procuraturus credatur? 4. Ostendat illis, quod loco Mariti defuncti infinites ditiorem, pulchriorem, nobiliorem, sanctiorem, & præterea etiam Immortalem, summèque Sponsæ suæ amantem Sponsum, ipsum videlicet Christum habere possint; ei proinde se despondeant, sicut tum audacter cum S. Davide Ps. 22. dicturas. *Dominus regem me, & nihil mihi deerit.*

III. Altera tentatio ex ipso viduitatis statu & solitudine ne plerisque Viduis perquam sanè molesta oritur, contra quam sic illas munit. 1. Declaret, quantam curam se de Viduis habiturum promiserit DEVS, nam Exodi 22. c. dicit: *Vidua & pupilla non nocebitis; si laeseritis eas, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem earum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio.* Jerem. 22. præcipit: *Viduam nolite contristare.* Matth. 23. c. *Vae vobis Scribæ & Pharisei, qui domos Viduarum comeditis.* Psalmista Ps. 145. de eo dicit: *Pupillum & Viduam suscipiet.* Ps. 67. *Pater Orphanorum, & Iudex Viduarum* vocatur, ut innuat, se speciali ratione Viduas defensurum. 2. Illis ostendat, quàm fideliter DEVS

DEVS promissis steterit, & quantam jam olim curam de illis habuerit; in eumque finem ob oculos illis ponat Viduam Sa-reptanam 3. Reg. 17. ab Elia adjutam. Alteram item, cui Elisæus 4. Reg. 4. per olei multiplicationem subvenit. No-hemi Viduam singulari benedictione impertitam. Ruth. c. 1. Viduam, cujus filium Dominus à morte suscitavit Luc. 7. An-nam filiam Phanelis, quam prophetico Spiritu donavit, & quam tantopere à S. Luca c. 2. laudari voluit. Viduam, quæ duos obolos in Gazophylacium misit, præ aliis omnibus lau-datam. Marc. 22. c. 3. Proponat in exemplum Viduas illas, quæ, cum possent, nubere noluerunt; quales sunt Paula Roma-na, Blesilla ejus filia; Melania, quæ Marito nondum sepulto viduitatem suam Domino consecravit; Euphrasia, quæ licet ætate florida, & divitijs affluens, & ab ipso etiam Imperatore rogata, ut secundas iniret nuptias, constanter abnuit, & in Thebaidem se contulit; Elisabetha Regis Ungariæ filia, quæ totam se post Mariti mortem pauperibus infirmis curandis impendit; Olympia Constantinopolitana Vidua, quæ, cum per annum & dimidium duntaxat virum habuisset, & ab Im-peratore Theodosio moneretur, alium accipere, respondit: si Dominus voluisset, me viro nuptam esse, non tam citò me illo orbâisset; quia ergo agnovit, non amplius expedire mihi con-jugium, conjugem abstulit. 4. Revocet in memoriam illis incommoda matrimonij, & durum vinculum, ob quod abla-tum gaudere debent potiùs, quàm tritari; meminisse quoque jubeat illius dilemmatis, quo Vidua quædam Romana usa est, dum dixit: Aut futurus mihi Maritus bonus, vel malus est; si bonus, vexabit me semper timor mortis illius; si verò ma-lus, expedit mihi magis, malum hoc non experiri.

IV. Tertia tentatio provenit ex sollicitudine de victu sibi & filijs procurando; contra hanc, muniat eas, partim ijs medijs, quæ supra pro simili tentatione conjugatarum attuli; partim verò etiam ijs, quæ infra contra pauperum tentatio-nes afferentur; specialiter verò hîc proderit in memoriam revocasse illam historiam de Vidua, quæ duas filias, quas ale-re jam non poterat, ad aram B. V. duxit, eique omne in illas jus maternum transcripsit. Quo facto vix egressæ templo sunt, cum obvius illis juvenis factus plenum pecuniâ marsu-pium offert, séque patri eorum mortuo has pecunias debere asserit.

asserit. Accipit pecuniam læta mater, & ex ea vestem filiarum honestam confici curat; cum autem vicini ita vestitas viderent, & talem pecuniam ex questu impudico comparatam suspicarentur, mater de infamia filiarum sollicita ad templum properat, & B. V. hanc necessitatem commendat, & sanè earum auditæ sunt preces. Nam die quodam festo, dum filie ante domum sedent, adest de cœlo Angelus, & in conspectum multorum rosas virginibus tradit, dicens, eas ab ipsarum celesti matre in testimonium illarum virginitatis missas fuisse. Id ubi Princeps illius terræ intellexit, geminum monasterium ædificavit, & utrique has virgines præesse voluit. V. Special. Exem. d. 9. ex 117. fol. 638.

§. IX.

Quid circa Instructionem Monialium sit observandum.

I. **H**is ante omnia conetur persuadere Operarius, ut illarum S. Bernardi sententiam: *Ad quid venisti; ob oculos semper habeant; ideoque generosè mundo valedicentes, solum Christum pro sponso eligant, certoque sibi persuadeant, quidquid sponsa in sponso suo vel exoptare posset, id omnino illas in Christo infinities perfectius reperire; ideoque monuisse eas jubeat sententiæ illius à S. Paulo 1. ad Corinth. c. 13. prolata: *Quæ nupta est, cogitat, quæ mundi sunt, quomodo placeat viro, & mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Dominum sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* Audiant ergo & impleant. Studeant consilium in simili negotio Viduis à S. Augustino de bono viduitatis datum, dum ait: *Currite ad illum, placeat illi ex illo, vivite cum illo, in illo, de illo.* Præcipuè verò illarum hortetur ad magnam corporis, animique integritatem, & Orationis studium, ad obedientiam, modestiam & patientiam; hæ enim virtutes maximè sponsam Christi decent.*

II. Porro tentationes ipsarum ad quatuor ferè species revocari possunt. Prima oritur ex solitudinis religiosæ studio; contra hanc sic illas muniat. 1. Proponat illis exemplum avicularum incluserum, quæ ab initio quidem solitudinis impatientes exitum ubique sollicitè quærunt, sed post solitudini assuetæ, adeò delectantur illâ, ut neque aper-

etiam ostio exeant; idem ergo ipsas sperare tantò certius jubeat, quantò fortior est gratia divina, quàm consuetudo. 2. Revocet illis in memoriam, quomodo pleræque Vxores in saculo solitaria domi resideant, & interea mille crucibus & curis onerata gemant, & felices Virgines DEO consecratas & inclusas prædicent; gaudeant ergo illæ, sibi obtigisse felicitatem, quam aliæ tantopere expetunt, neque tamen obtinere possunt. 3. Ostendat illis peculiaris favoris indicium hoc esse, quòd DEVS ita illas incluserit; ut enim Venatores Accipitri oculos obvelant, ne viliorem prædam insectatus nobiliorem dimittat; Ita DEVS obvelat oculos mentis & corporis Monialibus, ne videant & desiderent vanitatem mundi, & sic DEVM concupiscere & amare omittant. Sicut item Imagines elegantes & altaria velis obteguntur, ne sordibus infectæ splendorem suum & pulchritudinem amittant; Ita DEVS Moniales vult obvelatas esse, ut tantò pulchrior ipsarum Anima, puriorque remaneat, aptaque fiat ad Sacrificium Holocausti in ea offerendum. 4. Meminisse jubeat, quid Sponsus ipsarum per Oseam c. 2. dixerit: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Si ergo in solitudine JESVS est, & esse cum JESV Paradisus est; cur solitudinem horreat Christi Sponsa? Audiant ergo Thomam de Kempis l. 1. c. 20. sic loquentem; si cuncta videres præsentia, quid essent nisi visio vana? Eleva oculos tuos ad DEVM in excelsis; & ora pro peccatis tuis & negligentis. Dimitte vana vanis, tu autem intende illis, quæ tibi præcepit DEVS. Claude super te ostium tuum, & voca ad te JESVM dilectum tuum, mane cum eo in cella, quia non invenies alibi tantam pacem.

III. Secunda tentatio oritur ex defectu temporis ad Orationem; quandoque verò ex consolationum, quas sub precibus sentire cupiunt, carentia. Contra hanc sic illas muniat, & inprimis ostendat illis meliorem esse & gratiorem DEO obedientiam, quàm victimas Orationis & sacrificia laudis. Certè quemadmodum servus in vinea laborare jussus, si Domino suo domi suaviter canere, vel cytharâ ludere vellet, minime gratum obsequium ipsi præstaret; ita nec hominis grata DEO Oratio esse potest eo tempore, quo DEVS aliud ab ipso obsequium petit. Doceat præterea, ipsum opus obedientiæ Orationem esse; sic enim S. Augustinus super Ps. 150. Cùm

quæsiisset, quomodo res ratione carentes à S. David ad laudandum DEVM invitatae laudare ipsum possint? respondit ei, quòd ipsi obedientes sint, & suos effectus ad nutum ipsius producant: unde subiicit S. Doctor. *Vis semper laudare Deum bene fac omnia, & laudasti DEVM.* Insuper firmiter illis persuadeat, ipsas consolationes, quæ in Oratione sentiuntur, propter obedientiam relinquuntur, per obedientiam melius recuperari, si enim gaudium est in hoc mundo, hoc utique possidet patri cordis homo; quis autem cor purius & meliorem conscientiam habet, quam is, qui in omnibus DEI voluntatem se implevisse advertit? Nimirum talibus contingit quod illi Moniali, quæ cum Christum, qui ipsam visitare ad portam vocata dimississet; rediens adhuc invenit, dicentem tamen, se abiturum fuisse, nisi ipsa, quòd obedientia vocata erat, abiisset. Suadeat ergo illis, ut in mensura Orationis S. Tobiaë consilium sequantur, ad filium suum, in alia licet materia, dicentis: *Si multum tibi fuerit, abutantur tibi; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Tob. 4. Quod ipsum etiam Christus S. Catharinæ Senensis indicavit dicens: *Sanctum desiderium animæ (seu bona voluntas) continua Oratio est, quia habet virtutem Orationis.* Et quidquid homo in DEI, proximique charitate facit, potest vocari Oratio, cum charitatis affectus pro Oratione reputetur. Blofius in Monil. spir. c. 3. Secundò illis, quæ desolationes in Oratione patiuntur, firmiter persuadere conetur, in his sensibilibus consolationibus non consistere profectum & perfectionem hominis, sed potiùs in integra resignatione sui in manus DEI; multòque gratiores DEO, charioresque esse animas, quæ desolationes patiuntur & ariditates, quam quæ consolationibus avidè inhiant. Quod pulchrè aliquando DEVM Personæ cuidam desideranti scire, quænam animæ DEO charissimæ essent, declaravit sequenti viso, ut in specul. exempl. V. Tribulatio ex. 6. videre est. Viderat illa Persona Christum ad Altare stantem, & infra tres Moniales stectentes. Ad harum primam accedens Christus, suaviter eam allocutus est & postea SS. Corpus suum tradidit. Subinde ad alteram progressus, duris verbis, & torvo aspectu eam castigavit, similesque etiam SS. Corpus suum porrexit. Tandem ad tertiam pergens, non verbis tantùm, sed etiam verberibus eam plerumque

mis afflixit, & tum demum SS. Corpus suum præbuit. Cum autem Persona illa hujus visi explicationem peteret, respondit Christus; Primam quidem Monialem sibi charam esse, sed quia non nisi consolationes appetit, non esse eam tam charam sibi, ac secundam, ut quæ etiam durius ab ipso tractata ab ejus servitijs non desinat; veruntamen, quia, si graviores essent tentationes, animo & proposito deficeret, ideo tertiam sibi charissimam esse, ut quæ nullis adversis rebus sese ab ejus amore, & servitio permittat absterri. Idem etiam alteri Religioso indicavit DEVS, uti ex fide digna relatione habetur; dum ostendit ei duos Religiosos orantes, quorum alter coronam proximè capiti imminentem habebat, ab alterius verò vertice similis corona plurimum adhuc distabat. Cum ergo Religiosus ille utrumque ad se vocasset & interrogasset, quinam illis oratio successisset? respondit prior, pessimè eam sibi successisse, & se aridissimū fuisse; posterior verò dixit, nunquam se copiosiores consolationes sensisse. Quo audito intellexit Religiosus, qui hæc viderat, priorem multò plus suâ oratione aridâ meruisse, quàm posteriorem. Poterit etiam ad hanc rem meliùs declarandam uti similitudine canum venaticorum, qui utique gratiores sunt suis dominis, quàm Melitæi catelli, licet his cibos longè meliores offerant, & manibus palpent. Ita se res habet cum ijs, qui abundant, & qui careant consolationibus. Hinc aliquando Dominus ad S. Gertrudem dixit: Blosio teste in Mon. Spir. c. 3. Vellem electis meis persuasum esse, quòd eorum bona Exercitia & opera omnino mihi placeant, quando ipsi serviunt expensis suis. Illi autem expensis suis mihi servitium præstant, qui, licet saporem devotionis minimè sentiant, fideliter tamen, ut possunt, orationes, & alia exercitia pia peragunt, confidentes de pietate mea, quòd ego illa libenter & gratè suscipiam. Plerique sunt, quibus si sapor & consolatio interna concederetur, non eis prodesset ad salutem, & meritum ipsorum valde minueretur. Aliàs docuit DEVS eandem Virginem, ut in insinuatione ejus legitur, quòd, cum quispiam orando vel meditando dirigat mentem ad DEVM, tunc ante thronum gloriæ præsentet DEO quasi Speculum miri splendoris, in quo Dominus bonorum omnium immissor imaginem suam præcundissimè speculatur; & quando homo propter impedimenta

menta, cordisque instabilitatem majori difficultate hodie
 quantò gravius & patientius laborat, tantò speculum illud
 venerandæ Trinitatis, omniumque Sanctorum venustius
 que ornatius apparet. Denique ad hunc finem non modico
 proderit Historia illa, quam cit. Ludovicus Blofius in Monumento
 Spirituali narrat sequentibus verbis: DEVS cuidam amico
 suo mira per internam illuminationem revelabat; sed is orabat
 Dominum, ut, si ei placeret, auferret ab ipso hujusmodi
 gratiam. Itaque Dominus subtractâ illâ gratiâ per quinque
 quennium dereliquit eum absque consolatione in magnis
 tentationibus, angustijs atque calamitatibus. Et cum ab
 quando vehementer fletet, & duo Angeli eum consolari vel-
 lent, dixit ille, se nullam consolationem petere, sed abunde
 sibi sufficere, si gratissima DEI voluntas in se perficeretur, &
 ipse coram DEO purus intrinsecus esse, eique placere possit.

IV. Tertia tentatio oritur ex eo, quòd à Superioribus
 non videantur amari, ideòque non applicentur ad honorifica
 officia, sed perpetuis increpationibus vexentur. Contra hanc
 tentationem sic eas muniat. 1. Proponat exemplum Christi,
 qui usque ad 30. annum obscuram vitam vivens, subditus
 erat parentibus suis. 2. Jubeat meminisse, ad quem fines
 venerint in Religionem: nonne ut eligerent abjectæ esse in
 domo DEI sui magis, quàm habitare in tabernaculis pecca-
 torum? gaudeant ergo sibi occasionem offerri finis sui ob-
 nendi, & eâ sedulò utantur. 3. Demonstrat illis, omnia ob-
 scura sua dignitatem & excellentiam desumere à volunta-
 te DEI, illumque à DEO copiosius honorandum, qui offi-
 cium ab eo impositum perfectius impleverit, perinde ac si
 comœdia non attenditur, quam personam egerit Actor, sed
 quàm bene. 4. Ostendat illis commoda; quæ afferunt hu-
 milia officia præ altioribus. Nam minùs periculi in illis re-
 peritur vanæ gloriæ & præmij per eam perdendi: purior
 est intentio, & hoc ipso major à DEO benedictio: minores
 bus talentis ad ea opus est: curas minores requirunt: con-
 solationes divinæ in ijs sunt frequentiores: Proximus magis
 inde ædificatur: Charitas fraterna mirè per ea augetur, &
 conservatur; omnes enim diligunt eos, qui se ipsis subijciunt
 & onera pro ipsis portant: Superiores valde recreantur, &
 multis curis sublevantur, quas alioqui suscipere deberent.

dum timent, ne imponendo vilia officia subditos offendant: Securius possidentur, quia pauci sunt, qui ambiant illa. 5. Demonstrat illis, nullam familiaritatem esse magnificendam & appetendam, quam cum DEO; ad hanc verò semper illis januam esse apertam. Hortetur ergo illas, ut in hac tentatione constitutæ imitentur Rachelem Monialem, quæ, cum à Judaismo ad veram fidem conversa, nunquam in monasterio visitaretur, ut cæteræ Moniales, reliquis ad portam garrigentibus, ad altare cubiculi sui accessit, & B. Virginem aut Christum rogavit, ut & ipsi eam ad colloquium admitterent; magisque consolata discessit, quam si ad portam cum alijs fuisset locuta, uti in Spec. Exempl. V. MARIA ex. 10. videre est. 6. Hortetur eas ad imitandum exemplum S. Catharinæ Senensis, quæ, ut leviùs ferret vexationes Parentum & Domesticorum, Christum in parente, B. Virginem in matre, in reliqua familia Apostolos sibi imaginabatur.

V. Quarta tentatio oritur ex vitijs & peccatis quotidianis, in quæ solent incidere, & ob quæ non modicè anguntur quandoque Moniales. Contra hanc ergo tentationem sic eas muniat. 1. Jubeat illas meminisse conditionis humanæ, atque in memoriam illis revocet dictum B. Aloysij, quo dicere solebat, nimium de levibus & quotidianis erratis affligi, indicium hominis esse semet ignorantis; qui enim se nōrit, non posse esse nescium, hortum suum tribulorum ac spinarum suapte naturâ feracem esse. Hinc ille adversus errata quotidiana hac oratione utebatur: En mi Domine, quam fragilis sum, & miserabilis! quam proclivis ad lapsum! Ignosce mihi Domine, & gratiam concede, ne idem peccatum iterum peccem, & tum quiescebat. 2. Persuadeat illis, quòd, quemadmodum infirmus tendens in certum locum, etiam si sæpius ex infirmitate caderet, certò tamen veniret ad locum, si post casum mox resurgeret, ita & animam, quæ tendit ad cælum, certò eò perventuram, licet quandoque per peccata venialia labatur, modò resurgere citò conetur. 3. Pari modo persuadeat illis, quemadmodum pater infanti suo ob morbum cadenti potiùs condolet, quam indignatur; ita DEVM quoque animæ ex infirmitate cadenti non modò graviter non indignaturum, sed potiùs condoliturum, mediâque ad infirmitatem curandam suppeditaturum. Imò DEVS singularem hono-

honorem accipit ex talibus erratis, uti ipsemet quondam Gertrudi dixit; cum enim hæc propter minutum errorem multum angeretur, rogarétque Christum, ut ab eo ipsam liberaret, respondit blandè Christus: Et quare velles, ut & ego magno honore privarer, & tu ingenti præmio careres? magno grande nimis præminim lucraris, quotiescunque illum similem defectum recognoscens proponis de cætero evitare, & quodocunque quis studet pro amore meo defectus suos vincere, tantum mihi honoris & fidelitatis exhibet, quantum miles exhiberet domino suo, si strenuè seipsum in bello inimicis opponeret, eosque viriliter expugnaret, atque prosterneret. Blof. c. 4. Mon. Spir.

§. X.

Quid circa Instructionem illorum, qui Statum Matrimonialem suscipere volunt, sit observandum.

I. **Q**uanti faciendus sit Status Matrimonialis, S. Franciscus Salesius p. 2. Regul. c. 4. sequentibus verbis demonstrat: *Honorabilis res prorsus Matrimonium est, idque quoad partes omnes, quas in se complectitur, sive species electionem, sive principium, sive modum contrahendi, sive Personam, ad spectantes consideres; sive etiam expendas ingentia, quæ ex eo proveniunt emolumenta; per illud enim orbis replatur misericordis, & cælum restauratur Electis.* Quare meritò magna adhibenda est diligentia, ut non modò cum debita confidentione & maturitate talis Status suscipiatur; verum etiam cum magna integritate & cautela continetur; & ubi sic Deo visum fuerit, pari cum laude ac commendatione finiatur. Quæ omnia, quâ ratione docere debeat Operarius, hoc ostendetur.

II. Et 1. quidem ipsam hujus Status electionem quæ attinet, ante omnia curandum est, ut non nisi in & cum Christo eligatur; ideo enim Christus Nuptijs in Cana Galilææ interesse voluit, ut significaret, infaustum fore Matrimonium nisi ipso per gratiam suam & benedictionem præsentem suscipiatur. Porro ut tali modo eligatur, sequentia tria bene inculcare Sponsis futuris debet Operarius. Primum est

bene considerent, an ad istum Statum vocati sint, ideoque, ut S. Saleius l. c. §. 2. monet, providentissimum, benignissimumque DEVM ante omnia pro divini Spiritus assistente gratia humillimis precibus sollicitent, sed & animæ suæ Directorem Confessarium sincerè consulant, & cum pluribus etiam alijs expertis Personis rem tanti momenti communicent. Dicant proinde assiduò, & præcipuè tempore Communionis cum S. Paulo: *Domine, quid me vis facere.* Alterum est, ut, ubi se ad hunc Statum vocatos adverterint, ipsam etiam electionem Consortis cum Christo faciant, ideoque pari modo ad Orationem iterum confugiant, & cum servo Abrahami Gen. 24. dicant: *Domine DEVS, occurre, obsecro, mihi hodie* (alij legunt; *fac, mihi occurrat*) *& fac misericordiam cum Domino meo* (servo vel ancilla tua.) Vel cum Apostolis Act. 1. *Tu, Domine, qui corda nesci omnium, ostende, quem elegeris*; nam teste Salomone Prov. 19. *Domus & divitia à Parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens*; hinc & commune proverbium dicit: *Quod DEVS coniunxit, homo non separet.* Matt. 19. Unde sicut ij, qui equum emere volunt, ante omnia attendunt, an non habeat unum ex vitijs quatuor capitalibus; ita & qui consortem in Matrimonio eligere cupit, indagare debet, an non careat unâ ex præcipuis dotibus ad bonum Conjugem requisitis, scilicet Pietate, Mansuetudine, Sobrietate, Sedulitate, ac Prudentia, seu quod idem est, an non sit Impius, Furiosus, Ebriosus, Prodigus, ac Insipiens; his enim defectibus, si alteruter Conjux sit præditus, satius est non eligere illum, quam per electionem illius in mille se fastidia, pericula, ac damna præcipitare. Tertium est, ut bono fine & intentione suscipiant Matrimonium, ut dicere possint cum Tobia juniore c. 8. *Tu, Domine, scis, quia non luxuria causa accipio sororem meam Conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula.* Sic enim merito sperare poterunt, Christum has nuptias benedicturum, & aquam tribulationum carnis, quas, teste Apostolo 1. Cor. 2. secum affert hic Status, in vinum gaudij conversurum.

III. Jam verò ipsam Matrimonij actualem continuationem quod attinet, ut hæc quoque cum Christo peragatur, aliqua præcepta utriusque Conjugi communia, & aliqua Marito vel Uxori propria suggerere debet Operarius. Et utriusque

Instruct. III.

H

quidem

quidem communia hæc ferè suppeditat S. Franciscus Salefus Reg. p. 2. c. 5. 1. Ut mutua se dilectione complectantur, naturali duntaxat, quâ turtures consuecunt; nec humanitantum, quâ Gentiles se mutuò diligunt, sed cœlesti illa divina, quam Apostolus ad Eph. c. 5. commendat dicens *Viri, diligite Uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam.* Et visum sicut *Ecclesia subiecta est Christo* (diligens illum sanctissimo & sincerissimo affectu) ita & mulieres viris suis in omni bus. 2. Ut non tantum corpore, sed animo etiam & voluntate unum esse studeant, atque adeò omnem discordiam & divisionem cane pejus & angue detestentur. 3. Ut solidae partati se uterque addicat; nam, ut sapienter S. Salefus l. c. advertit, Uxor devotione destituta imbecillis & inconstans est & ad omnem casum inclinata; Maritus verò absque devotione durus, agrestis, efferus, & intractabilis est. Felices profectò sunt Coniuges illi, qui vera devotione præditi se mutuò in timore DEI sanctificant, nam & jugum Matrimonii leuius efficient, & liberalissimam è cælo depluentem benedictionem experientur.


IV. Propria verò ipsi Marito præcepta ex illis DEI verbis Gen. 2. *Faciamus ei Adiutorium simile sibi*: desumet operarius; per illa enim indicare voluit DEVS Marito, quod Uxorem non ut ancillam, sed ut sociam per omnia similes tractare, & diligere debeat, præcipue tamen in tribus, nempe 1. Ut similem patiatur esse in victu, vestitu, habitatione thoro &c. cum enim Uxorem juxta monitum Apostoli Eph. ut carnem propriam diligere debeat, meritò etiam victu, vestitu, & lecto simili dignari debet. 2. Ut similem quoque in honore faciat, quemadmodum S. Petrus 1. Petr. 13. monuit dicens: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem tanquam coheredibus gratia.* Hinc etiam ex latere creavit, ut Maritus. 3. Ut similem quoque in defensione efficiat, que adeò, sicut seipsum & honorem suum totis viribus propugnat, ita eodem Zelo ac fervore Uxoris suæ famam & honorem tueatur; multò minùs verò apud seipsum Zeloque nullam, aut violati thori suspensionem admittat, sed potius memorabilem illam S. Hieronymi sententiam l. 1. contra Iovinianum

cordi habeat: *Quid tibi profuerit Zelus, & nimia diligentia in servanda uxore tua? si enim inhonesta fuerit, vix illam servare poteris (elabitur enim è manibus tuis ut lubricus anguis) sicut casta & honesta, custodiâ opus non habet.*

V. Uxoribus verò propria monita ex eadem sententia, & verbo *Adiutorium* maximè desumet; ex hoc enim verbo Uxoribus suum officium explicare poterit, diceréque, quòd totum illarum munus consistat in triplici adiutorio, nempe quòd 1. debeant Maritis esse adiutorium in generando, juxta illud Gen. 2. *Crescite, & multiplicamini.* Hinc S. Paulus 1. Cor. 7. dixit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* 2. In Liberis educandis: hoc enim proprium est uxorum, ut, sicut lac corporale præbent Liberis, ita & spirituale porrigant; unde & Salomon Prov. 29. dixit: *Puer, qui dimittitur voluntati suæ, confundit Matrem suam,* eò quòd huic potissimùm adscribatur mala educatio. 3. In re domestica procuranda: eum quippe in finem etiam assumitur Uxor, ut, dum Maritus foris laborat, & alimenta procurat, ipsa interea domestica curet negotia. Hinc olim novis Sponsis duo boves offerebantur, ut per eos indicaretur, ipsos non tantùm debere esse matrimoniali vinculo invicem alligatos, sed etiam communi laboris jugo domesticarum & externarum rerum onus trahere. Qua in re pulchrum exemplum à Salomone Prov. 8. affertur, ubi Mulierem fortem, id est, perfectam describens inter alia præconia etiam hoc posuit: *Confidit in ea cor viri sui.* Sed quare? *quia quasi vit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Consideravit semitas domus suæ, & panem ociosam non comedit.* Propter quam dotem velut illi propriam, *Surrexerunt Filii eius, & beatissimam prædicaverunt, vir eius, & laudavit eam dicentes: Multa Filia congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Hinc meritò subditur: *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera illius.*

VI. Denique efficere quoque debet Operarius sua instructione, ut Matrimonium cum Christo etiam ritè concludant Conjuges, quod facient, si sequentes tres doctrinas observaverint. Et 1. quidem in morbo & aliis calamitatibus ad mortem disponentibus se non deserant, sed tunc maximè amorem suum declarent, ut dici de illis queat, quod S. Joannes c. 13.

de Christo scripsit : *Cum dilexisset suos, in finem dilexit* eo.
 Hoc enim annulus rotundus, & finem non habens, quem duo
 mutuò offerunt, indicat, quòd scilicet amor illorum nullatenus
 finiri nunquam debeat, sed qui vis de altero Conforte dicitur.
Quis me separabit à charitate tua? Et cum Ruth. c. 1. *Populus
 tuus Populus meus, & DEVS tuus DEVS meus. Quia te vivum
 morientem exceperit, in ea moriar, ibique accipiam locum sepul-
 turae. Hac mihi faciat Dominus, & hac addat, si non
 mors me & te sepeverit.* 2. In ipsa quoque morte sic se
 bonam mortem juvent, ut in cœlo iterum convenire, Deum
 que simul laudare possint. Hinc maturè vocandi Confessarii
 & Parochi, qui Sacramenta ministrent, & moriturum ad-
 ment. Cavendum autem, ne fletibus & evilatibus turbetur
 moribundum, & illud Regis Agac : *Siccine separat amorem
 mors?* dicere cogant, sed potius ad exemplum S. Francisci
 Borgiae precibus vacent, rogentque, ut, si quidem ad gloriam
 DEI, & utriusque Conjugis salutem expedire videbitur, ne
 linquat Confortem DEVS; sin minus, pro beneplacito assen-
 rat. 3. Ne post mortem inordinatè tristentur; vel eorum
 Consortis defunctus est in cœlo, & sic congratulandum potius
 & congaudendum est, quàm condolendum; vel est in inferno
 & sic tristitia nec illi, nec ipsi tristanti quidquam prodest. Vel
 est in medio statu, id est, purgatorio, & tunc precibus potius
 Sacrificiis, Communionibus mensuris, & operibus aliis potius
 ipso oblatis, quàm lacrymis & eiulatibus juvandus est, ut
 ut olim in simili P. Laynes Generalis noster scripsit, impet-
 etam Conjugis charitatem fuisse queratur, ut qui Confortem
 in ea necessitate, in qua se ipsum juvare nequiens, vel maxime
 mè ipsius auxilio indigebat, reliquisset. De reliquo verò Mo-
 laniam Marcelli Consulis Filiam imitentur, quæ, cum Mar-
 to nondum humato, binos etiam Filios amisisset, ab omni
 immoderato dolore sibi temperans in hæc verba erupit: *Juste
 magis expedite tibi servitura sum, Domine, quia
 tanto me onere liberasti.*



§. VIII.

Quid circa Instructionem eorum, qui Ecclesiasticum, vel Religiosum Statum amplecti cupiunt, sit observandum.

I. **H**Æc Instructio duas præcipuè partes complectitur, scilicet, ut Operarius juvet ad Statum hunc ritè eligendum, & maturè amplectendum; quæ quidem duo officia tantò accuratiùs erunt ab Operario præstanda, quantò pluribus ex una parte hæc res est obnoxia periculis; & quantò plura ex altera parte, majoraque bona sperari possunt, si geminus iste Status & ritè eligatur, & animo bene disposito arripiatur.

II. Ipsam ergo electionem quod attinet, sequentes ab ipso Operario velut Directore industriæ sunt adhibendæ. 1. Negotium istud, à quo totius vitæ bene vel malè agendæ ratio, ipsaque adeò animæ salus dependet, DEO velut Fonti gratiarum & Patri luminum sedulo commendet, atque ut id ipsum etiam is, qui electionem facere desiderat, ferventer faciat, & præter varia opera misericordiæ & pœnitentiæ eundem in finem oblata, etiam B. Virginis, S. Angeli Custodis, aliorumque SS. Patronorum suffragia crebrò imploret, seriò allaboret. 2. Fundamenta quædam bene apprehendat, quibus velut regulis certissimis tota electio inniti debet. Tales autem sunt. 1. Electionem rei tantæ non debere ulli inductioni humanæ, sed soli DEI voluntati inniti, ut dicere possit eligens: *Dominus salus Dux meus fuit.* 2. DEVM, sicut non omnes ad eundem Statum vocat, ita nec eodem modo vocare; dives enim est in consiliis super Filios Hominum, & sive pro providentiæ suæ ratione, sive pro diversis Hominum ingeniis, animorumque varietatibus aliter aliis illabitur. Quosdam potenter rapit, quosdam leniter ducit. Quosdam peculiaribus motionibus instigat, atque impellit, quosdam suâ sponte magis ferri, & seipso agere permittit. Sunt, quos à teneris annis ad certum vitæ genus quasi manu ducit, non aliter, quàm Paterfamilias nonnunquam à Pueris Liberos suos, alios ad alia destinat, eosque jam tum de mente sua facit certiores, ut eodem ipsi sua studia dirigant, & in ijs cogitationi-

tionibus adoleſcant. Sunt, quibus primis annis nullam, que huc faciat, cogitationem iniicit. Alios ad unum ita dirigit, ut dubitare multum non ſinat; alios pluſculum agitari permittit, & in ancipiti hære. Cæterum uti ſunt duæ animi partes, Intellectus & Voluntas, ita duplex eſt vocationis ratio: altera, ubi voluntatis: altera, ubi intellectus præcipue ſunt partes. Voluntas ad certum vitæ genus ſic interdum movetur, ut eodem intellectum rapiat, ut ejus approbationem quaſi extorqueat. Aliquando lenius quidem impellitur, impellitur tamen, & in alio præ aliis inſtituto ſibi complacere magis tamen ex tacito quodam inſtinctu & affectu, quam rationum eò trahentium momenta. Aliàs niſi ratio lumen præferat, alterumque præ altero amplectendum ſuadeat, electio eſt ſuſpenſa, ut ex ſe nuſquam magnopere feratur. 3. Regula eſt, tres diverſos motus in electione Religioſi Status lere intervenire, nempe in primis generale deſiderium Status Religioſum amplectendi. Deinde ſpeciale deſiderium, unum potius, quam alteram Religionem intrandi, Mendicantium ſcilicet, vel non Mendicantium. Et tandem ſingulare deſiderium exequendi ſuam Vocationem in hoc potius, quam in alio loco; hoc, & non alio tempore. 4. Regula eſt, electio ſit opus morale, non eſſe expetendas revelationes miracula, quibus voluntas DEI ſignificetur: neque tunc affectus in voluntate, (cùm vocatio per intellectum ſit purumque tutior, efficacior, firmior, & majoris meriti) nec metaphyſicam certitudinem, & quaſi convictionem intellectus ſed ſufficere, ſi id in hoc genere fiat, quod fert communis ſententia ac mos DEI cum hominibus agendi. 5. Regula eſt, in Religionis electione non eſſe ſpectandam Ordinis antiquitatem, aut claritatem ob res geſtas, ſed potius, quæ recta ratione videbitur ad naturam deliberantis aptior, ad perfectionem certior, & ad gloriam DEI uberior; unde indagandum potius, in quo Ordine vota perfectius ſerventur, quæ Superiorum in ſuos poteſtas, quæ membrorum inter ſe conjunctione; ubi procul ſint ſcandala, ambitio, diſſidia; ubi magis vigeat humilitas, regularum ac diſciplinæ obſervationes, moderatæ tamen, ne per eas Spiritus obruatur. His regulis obſervatis non erit difficile Operatio, deliberantem

electione adjuvare. 3. Itaque ubi cum ipso eligente agere coeperit, inquirat inprimis, quo fine & motivo Statum Ecclesiasticum aut Religiosum amplecti cupiat; si enim hic oculus intentionis tenebrosus fuerit, totum electionis corpus obtenebrari, & irritari necesse est. Deinde pariter indaget, an vires corporis & animi sufficientes habeat ad amplectendum talem Statum, ejusque onera, quæ ad hunc finem ipsi proponenda erunt, perferenda. An insuper in talis Status consideratione ante oculos Domini, non item alterius conquescat, virisque sibi ad constantiam polliceatur, rationibus verò exemplis, aut impugnationibus Amicorum aliò ferentibus non moveatur. An denique imminente mortis articulo supremo speret, se facilius DEO rationem redditurum, si in tali Statu vitam claudat. Quæ omnia si concurrant, securum reddere potest de electione ritè facta, atque adeò ad executionem disponere, & animare.

III. Pro qua quidem executione sequentes doctrinas observare debet Operarius. 1. Ante omnia hortetur eligentem, ut magni æstimet vocationis acceptæ beneficium, & humillimas pro eodem gratias persolvat, simulque impensè roget, ut, sicut velle misericorditer concessit, ita perficiendi quoque gratiam ac facultatem benignè largiatur. 2. Quoniam nulla magis DEO accepta est gratiarum actio, quàm festina executio vocationis, sedulò excitet eligentem, ut ad hanc totis viribus se applicet, ideòque inprimis spiritualia vocationis suæ impedimenta sedulò indaget, forsitèque removeat. Deinde animum, corpusque paulatim ad exercitia illius Religionis, quam elegit, præparet, abijciendo consuetudines malas, & vanitates, quas olim deferere debet; è contrario orationi, aliisque spiritualibus exercitiis quondam assumentis impensius vacando. 3. Quoniam Siracides c. 2. sapienter monuit: *Fili, accedens ad servitutem DEI, sit in timore, & præpara animam tuam ad tentationem*: hoc consilium diligenter sequatur, atque adeò non tantùm tentationes & fraudes, quibus ejusmodi Tirones circumvenire & oppugnare solet fraudulentus Veterator, fideliter aperiat, sed etiam modum & rationem, quæ eidem occurrere debeat, luculentè ostendat, ut tantò minùs ejusmodi tela feriant, quantò clariùs fuerint prævisa. 4. Non parùm etiam ad stabilitatem vo-

cationis, & perfectiorem illius executionem proderit, si regulas quasdam & axiomata illi suggererit, juxta quæ in ipsa vita Religiosa decursu sese dirigere & stabilire possit. Quæ illa v. g. esse possunt: Si quis non renunciat omnibus, quos possidet, non potest meus esse Discipulus. Tantum proficies quantum tibi vim intuleris. Tantum ad virtutem adijcies quantum ex voluptate detraxeris. Prima virtus Monachorum est, Hominum judicia contemnere. Sicut abundant Passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno DEI. 5. Eundem ob finem poterit eundem etiam libellus aliquis spiritualis de bono Religionis vel Status Ecclesiastici tractans ad legendum offerri, maxime Hieronymus Platus, aut Lucas Pinellus de perfectione Religionis. Plura pro hac Instructione reperiri possunt in libello, quod Methodus practica certi vitæ Status deligendi inscribitur, ubi omnia, quæ ad hanc materiam pertinent, clarè, methodicè, & solidè pertractantur.

§. IX.

Quid circa Instructionem devotarum Personarum observandum sit.

I. **P**ER has Personas illæ præcipuè intelliguntur, quæ in quocunque statu constitutæ, non contentæ sunt, DEI & Ecclesiæ præcepta servare, sed insuper etiam ad perfectionem Christianam suo statui convenientem aspirant, & ideo quia DEI se servitio impensius devovent, devotæ merito nuncupantur. In quibus sanè dirigendis major, quàm in aliis, prudentia, dexteritasque requiritur; quæ quidem in sequentibus ferè præceptis & industriis consistere videtur.

II. Inprimis ante omnia efficere conetur, ut bene intelligant, in quo vera devotio consistat, nam, ut bene S. Franciscus Salesius p. 1. introd. advertit, permulti actionibus & operibus quibusdam externis ad sanctam devotionem spectantibus se induunt, & palliant, & credunt Homines illi devotos & Spirituales esse, cum à parte rei revera non nisi simulacra quædam & inania phantasmata devotionis sint, sic ut milites Saulis Davidem in lecto se deprehensuros spectabant; sed illius loco statuant duntaxat vestibus Davidis

vestitam repererunt. Vera itaque vivaque devotio nihil aliud est, quam amor, non quidem qualiscunque, sed fervens & accensus; nam in quantum amor divinus animam nostram cohonestat, & ornat, gratia dicitur, divinæque majestati acceptos nos reddit; in quantum verò vires ad benefaciendum nobis confert, vocatur charitas: verum cum jam ad eum perfectionis gradum pertingit, ut nos non solum bene facere, sed etiam sollicitè, diligenter, frequenter, promptèque Operari faciat, tum demum devotionis appellatur nomine. Quod ipsum S. Salesius apta similitudine declarat, dum ait, eandem ferè diversitatem inter Homines reperiri, quæ inter aves cernitur; sicut enim inter aves aliqua nunquam subvolant, ut Struthiones: alia non nisi graviter, & demissè, & rarissimè, ut gallinæ, & anseres; alia denique saepe, celeriter, & sublimè evolant, ut Aquilæ, Columbæ, Hirundines; ita & inter Homines aliqui reperiuntur, qui nunquam ad DEVM subvolant, sed omnis eorum libratio & studium in terra, circa terram, & propter terram suscipitur, ut Peccatores faciunt; alij per opera sua quidem interdum ad DEVM subvolant, sed graviter, & tardè, & tales sunt probi homines, qui nondum ad veram devotionem pervenerunt: Alij denique frequenter & expeditè ad DEVM evolant, quales sunt ij, qui veræ devotionis donum à DEO sunt consecuti. Ex quibus omnibus colligitur, devotionem nihil aliud esse, quam agilitatem quandam & vivacitatem spiritualem, cujus adminiculo charitas suas in nobis actiones, aut potius nos per illam, prompte, affectuosèque exequitur, & operatur. Unde meritò hæc devotio à Patribus Spiritualibus sacrarum spirituale vocatur; ut enim saccharum immaturos fructus dulcorat, maturorum verò cruditatem & malignitatem corrigit; sic devotio à mortificationibus amaritiam, & à consolationibus damna aufert; in hyeme ignis vicem supplet, in æstate rosis; novit abundare, & penuriam pati; facit, ut æquè profit honor & contemptus; voluptatem simul ac dolorem pari vultu accipit, & mirabili nos suavitate & gaudio replet.

III. Hæc devotionis naturâ in genere cognita allaboret, ut etiam, quid in specie ad eandem requiratur, cognoscat, &

re, & implere studeant. Qua in re facem iterum S. Franciscus Salesius præferet, qui in p. 3. Reg. c. 4. §. 5. duos assignat gradus hujus devotionis, quorum prior in eo consistit, ut præcepta DEI & Ecclesiæ, quæ cuivis Christiano communia sunt eum omni sollicitudine observentur; sine his enim nulla devotio speranda est. Posterior gradus est, ut præter præcepta illa omnibus communia, particulares etiam status, vocationisque suæ obligationes accuratè ac promptè quisque impleat; quod si facere omittat, etsi mortuos in vitam resuscitet (inquit rectè S. Salesius) expertus devotionis est, imò & gratiæ DEI, & in Statu, periculòque certæ damnationis, sic eum mori contingat.

I V. Ut hos gradus tantò perfectiùs assequantur, hortetur illos, ut devotionem velut Scalam à Jacobo Patriarcha olim inspectam, per quam Angeli ascendebant ad DEVM in apice Scalæ subsistentem, & ab eodem iterum in terram descendebant, sibi imaginetur, indeque discat, sibi quoque actiones suas ita distribuendas esse, ut per easdem modò ad DEVM ascendat (certa videlicet Orationis, Missæ audiendæ, Confessionis excutiendæ, Lectioni spirituali &c. tempora constituendo) modò iterum ad terram descendat, nempe vel propriæ necessitati corporali per refectioem, relaxationem, somnum serviendo, vel Proximo per varia opera charitatis juxta vocationem suam inserviendo. Atque in hac distributione, operarumque quotidianorum accurata, & hilari transactio tantam suam perfectionem sitam esse existimet, nam ut sapienter illuminatissimus quidam Asceta dixit: *Summa Religio (imò & cujusvis Christiani) perfectio est, communia quæque Religionis (aut alterius Status) opera perfectè obire.*

V. Præterea illos hortetur, ut, si veram devotionem conservare velint, omne id studiosè, fortitèrque eliminent, quod eidem obstaculo esse potest, qualia præcipuè sunt animi levitas & inconstantia, quæ non rarò in causa est, ut, quæ bene prudentèrque proposita sunt, executioni non mandentur, mutantur, & alia atque alia eo prætextu, quasi meliora appareant, suscipiantur; vel tam multa, tamque diversa simul arripiantur, quæ simul consistere non possunt; ex quo fit, ut pleni duntaxat bonorum desideriorum semper existant, tandem, dum omnes ad perfectionem tendendi vias aut

riose rimantur, aut temerè ingredi parant, multis prægravati desiderijs & propositis tum difficilibus, tum permolestis, vel succumbant penitus, vel plurimum retardentur; illa enim animus nostrum perplexum admodum, inquietumque efficiunt, ut bene cceptum opus aut propter occurrentes difficultates, aut propter multitudinem curarum imperfectum, aut penitus infectum relinquatur.

VI. Denique & illud ejusmodi devotæ Personæ admonendæ sunt, ut rectè iterum S. Franciscus Salesius insinuat p. 3. reg. c. 7. §. 4. ut sancta cum libertate in suis exercitiis devotionis procedant, ita ut neque ad sensibilia solatiola, neque ad similia pietatis opera adeò affixi sint, ut, si vel infirmitate, vel casu improvise, vel honestis, legitimisque de causis, vel Proximo indulgendi, serviendique studio ab ijs avocentur, & impediuntur, mox inquietudine, animique morositate, & impatientiâ conturbentur, sed in continua mentis tranquillitate perseverent, consuetamque illis charitatem, suavitatemque exhibeant, qui ab exercitiis omissis impediuntur; nam neque sensibiles nimium in suis actionibus, nec molles nimis in propositis eos esse convenit, eò quòd hæc vitia inquietudinem & anxietates conscientie inducant, superstitionisque periculo exponant. Satis ergo illis sit, arborem devotionis & bonæ voluntatis, actis profundè radicibus firmiter consistere, nec curandum magnopere, si à ventis aut folia, aut fructus, aut rami etiam agitentur, altè radicato & inconcusso, & firmiter consistente arboris trunco. Unde rectè pius Asceta l. 3. c. 16. *devotus homo, inquit, ubique secum fert Consolatorem suum IESVM, & dicit ad eum: Adesto mihi, Domine IESV, in omni loco & tempore. Hac mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & iusta probatio pro summo solatio; non enim in perpetuum irasceris, neque in aeternum comminaberis.*

§. X.

Quid circa Instructionem Juventutis & Pueritiæ observandum sit.

I. **H**æc instructio, si ulla alia, cordi vel maximè debet esse Operatio Apostolica, eum experientiâ quotidianâ con-

con-

constet, primam institutionem, quam velut liquorem optimum recentes quodammodo testæ imbiberunt, & servari diutius, & si quidem constanter in eadem perseveretur, rectissimo tramite, sine magnis ambagibus, periculorèmq; anfractibus, inoffenso pede ad cælestem Paradisum perducere. Unde meritò S. Franciscus Salesius p. 2. Reg. c. 8. concludit magna industria, labore, & sollicitudine opus esse ad tenentem Pueritiæ & Juventutis animos efformandos, nihilque omitendum, quod ad illius profectum promovendum conducere queat. Quem in finem sequentes ab Operario industriæ adhiberi possunt.

II. Primò itaque ante omnia de operam, ut elementum sermonum DEI, id est, prima Fidei Christianæ mysteria doceantur, nòsse scilicet DEVM Conditorum, Remuneratorum & Servatorem; nòsse mandata DEI & Ecclesiæ; nòsse peccatorum & bonorum operum diversitatem, & alia, quæ in Catechismorum compendijs continentur; ad quem finem implemet, imprimis ejusmodi Pueros & Puellas, ubi ubi potest, sive in Ecclesia, sive in domo propria instruat, sive in patris aedibus, dum Parentes quocunque ex titulo visita verit, examinatis & simplicissima instructione tales doctrinas Catecheticas instillare conetur. Quod ne difficile aut dignitati suæ minus decorum videatur, saluberrimam S. Augustini l. de catech. rudibus doctrinam altè menti suæ insculpat: *Aeternus Pater* inquit, *ut Verbum suum captui nostro aptaret, & visibus Humanum addiceret, ad eum demisit, ut carne & corpore vestiret, conpigeret Doctorem & Magistrum verba & conceptus mentis suæ deprimere, & abiectis, vulgaribusque vocibus subiicere, ut Auditorum rudium captum non superent?* Certè Elias & Elisæus ut Spiritum communicarent Pueris, non veriti sunt instar Pueri membra contrahere, & os super os, manus super manus, pedes super pedes coarctando se apponere; quidni ergo & Operarius Apostolicus, ut Spiritum gratiæ Juventuti & Pueritiæ infundat, omni modo se ad eorum captum se demittat?

III. Jacto hoc fidei & instructionis Catholicæ fundamento, Tobia senioris exemplum imitetur, & ab infantia eos timere DEVM, & abstinere à peccato doceat, gravitatem illius & turpitudinem ex pœnis maximè & suppliciiis tum in hac, tum in altera vita infligendis (hoc enim motivo præ-

riose rimantur, aut temerè ingredi parant, multis prægravati desiderijs & propositis tum difficilibus, tum permolestis, vel succumbant penitus, vel plurimum retardentur; illa enim animus nostrum perplexum admodum, inquietumque efficiunt, ut bene cceptum opus aut propter occurrentes difficultates, aut propter multitudinem curarum imperfectum, aut penitus infectum relinquatur.

VI. Denique & illud ejusmodi devotæ Personæ admonendæ sunt, ut rectè iterum S. Franciscus Salesius insinuat p. 3. reg. c. 7. §. 4. ut sancta cum libertate in suis exercitiis devotionis procedant, ita ut neque ad sensibilia solatiola, neque ad similia pietatis opera adeò affixi sint, ut, si vel infirmitate, vel casu improvise, vel honestis, legitimisque de causis, vel Proximo indulgendi, serviendique studio ab ijs avocentur, & impediuntur, mox inquietudine, animique morositate, & impatientiâ conturbentur, sed in continua mentis tranquillitate perseverent, consuetamque illis charitatem, suavitatemque exhibeant, qui ab exercitiis omissis impediuntur; nam neque sensibiles nimium in suis actionibus, nec molles nimis in propositis eos esse convenit, eò quòd hæc vitia inquietudinem & anxietates conscientie inducant, superstitionisque periculo exponant. Satis ergo illis sit, arborem devotionis & bonæ voluntatis, actis profundè radicibus firmiter consistere, nec curandum magnopere, si à ventis aut folia, aut fructus, aut rami etiam agitentur, altè radicato & inconcusso, & firmiter consistente arboris trunco. Unde rectè pius Asceta l. 3. c. 16. *devotus homo, inquit, ubique secum fert Consolatorem suum IESVM, & dicit ad eum: Adesto mihi, Domine IESV, in omni loco & tempore. Hac mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & iusta probatio pro summo solatio; non enim in perpetuum irasceris, neque in aeternum comminaberis.*

§. X.

Quid circa Instructionem Juventutis & Pueritiæ observandum sit.

I. **H**æc instructio, si ulla alia, cordi vel maximè debet esse Operatio Apostolica, eum experientiâ quotidianâ con-

con-

constet, primam institutionem, quam velut liquorem optimum recentes quodammodo testæ imbiberunt, & servari diutius, & si quidem constanter in eadem perseveretur, rectissimo tramite, sine magnis ambagibus, periculorèmq; anfractibus, inoffenso pede ad cælestem Paradisum perducere. Unde meritò S. Franciscus Salesius p. 2. Reg. c. 8. concludit magna industria, labore, & sollicitudine opus esse ad tenentem Pueritiæ & Juventutis animos efformandos, nihilque omitendum, quod ad illius profectum promovendum conducere queat. Quem in finem sequentes ab Operario industriæ adhiberi possunt.

II. Primò itaque ante omnia de operam, ut elementum sermonum DEI, id est, prima Fidei Christianæ mysteria doceantur, nòsse scilicet DEVM Conditorum, Remuneratorum & Servatorem; nòsse mandata DEI & Ecclesiæ; nòsse peccatorum & bonorum operum diversitatem, & alia, quæ in Catechismorum compendijs continentur; ad quem finem implemet, imprimis ejusmodi Pueros & Puellas, ubi ubi potest, sive in Ecclesia, sive in domo propria instruat, sive in patris aedibus, dum Parentes quocunque ex titulo visita verit, examinatis & simplicissima instructione tales doctrinas Catecheticas instillare conetur. Quod ne difficile aut dignitati suæ minus decorum videatur, saluberrimam S. Augustini l. de catech. rudibus doctrinam altè menti suæ inculpat: *Aeternus Pater inquit, ut Verbum suum captui nostro aptaret, & visibus Humanum addiceret, ad eum demisit, ut carne & corpore vestiret, conpigeat Doctorem & Magistrum verba & conceptus mentis suæ deprimere, & abiectis, vulgaribusque vocibus subiicere, ut Auditorum rudium captum non superent?* Certè Elias & Elisæus ut Spiritum communicarent Puero, non veriti sunt instar Pueri membra contrahere, & os super os, manus super manus, pedes super pedes coarctando se apponere; quidni ergo & Operarius Apostolicus, ut Spiritum gratiæ Juventuti & Pueritiæ infundat, omni modo se ad eorum captum se demittat?

III. Jacto hoc fidei & instructionis Catholicæ fundamento, Tobia senioris exemplum imitetur, & ab infantia eos timere DEVM, & abstinere à peccato doceat, gravitatem illius & turpitudinem ex pœnis maximè & suppliciiis tum in hac, tum in altera vita infligendis (hoc enim motivo præ-

pue absterrentur) dilucidè, appositèque ad captum explicando. Præcipue autem fugam eorum peccatorum, quæ Iuventutem specialiter dedecent, eique magis periculosa censentur (qualia sunt mendacium, furtum, inobedientia, discordia, verba obscœna & similia) frequenter & seriò commendat, ac inculcet.

IV. Ut verò efficacius tam grande peccati malum ab illis removeat, non ipsorum duntaxat peccatorum, sed occasionum etiam ad peccata allicientium fugam seriò illis persuadere conetur, quales præcipue sunt familiaritates tum inanes & vanæ, tum periculosæ & perniciosæ, quæ inter diversi sexus Adolescentes, Virginisque contrahuntur, & plerumque in carnales amores desinuat. Item Saltus, Spectacula, Ludi, similiaque inania oblectamenta, & boni temporis dilapidationes. Nunquam enim, ut rectè advertit S. Franciscus Salesius l. c. illa sine detrimento animæ adeuntur, peccatique discrimine, sive altercando, sive invidendo, sive contemnendo, sive procaciori salacis amoris levitati indulgendo. Prò quantum innocentis sanguinis (pergit S. Salesius) in ætate teneriori ab his incitamentis vitiatum, depravatùmque est, atque in millena pericula præcipitatum, dum nimium formæ, opibus, affabilitatque tribuentes, audaciores sunt facti, & plus æquo sibi confisi, animæ & innocentie fragilem cimbam ad libidinis scopulos non sine honoris naufragio turpiter alliserunt, & exterioris pompæ, cultusque corporis nimis studiosi, interioris animæ suæ nitoris obliti sunt. Unde merito S. Ambrosij l. 3. de Virg. saluberrima doctrina ob oculos habenda: *Debet bona conscientia mentis esse latitia, non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphonis; ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema saltatio quid enim verecundia ibi potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur?* Hinc, teste S. Ephrem. tr. de ludicris Christi fug. ubi Citharæ ac Chori, ac plausus manuum audiuntur, ibi Virorum tenebræ, Mulierum perditio, Angelorum tristitia, & Diaboli festum reperitur.

V. Posthæc paulatim ad Virtutum, & devotionis exercitia eosdem inducat, ita tamen, ut caveat, ne aut eorum multitudine, aut diuturniori continuatione fastidium illis acceriat. Satis ergò erit, si ab initio matutinas, vespertinasque preces,

tes, exacta cum devotione persolvere; easdemque eibi sumptioni præmittere, & subungere, Sacrum Missæ Sacrificium piè auscultare, Corollam & Litanias Matri Virgini de votis recitare, libellos pios studiosè & cum fructu evolere, conscientiam utiliter examinare, & SS. Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta crebrò & reverenter frequentare doceantur.

V I. Quia verò omnem malitiam docet otiositas, teste Siracide c. 33. & ideo juxta Salomonem Prov. 10. *Qui congregat in messe, Filius sapiens est: qui autem stertit in aestate, filius confusionis*: propterea omni studio ac conatu procurat, ut Liberi à Parentibus otiosi non sinantur, sed maturè ijs laboribus, & artibus addiscendis applicentur, quas per totam reliquam vitam velut præcipuum vitæ suæ tum corporalis, tum spiritualis conservandæ instrumentum usurpaturi sunt. Certe de Juventute non minùs verè, quàm de Republica dici potest, quod olim, teste Seneca l. 7. Sapient. dict. 1. Appius Claudius pronunciavit, nimirum negotium illi melius, quàm otium committi, eò quòd animadversum esset, nimia quiete imperia in desidiâ resolvì; & negotium, nomine quidem honorandum, Civitatis mores in statu suo continuisse, blandæ appellationis quietem verò plurimis vitijs respersisse. Sic enim cognata sunt vitia mentire & furari, ita & proxima sunt nihil & malè agere: tempus perdere, & castitatem non retinere: otiosi & luxuriari, inquit rectè Drexelius in Nicet. c. 3.

V II. Denique cum ipse ad hæc omnia efficienda non sufficiat, Parentum, Ludimagistrorum, aliorumque, quorum curæ commissa, aut Societati adjuncta est Juventus, excitet industriam, ut in ijs, quæ ante dicta sunt, Juventuti instillantur, sedulò quæ pœnis, quæ præmijs propositis collaborent. Immo & libellos parvos similia capita breviter & ad captum explicantes interdum distribuat, ut, quæ ex ipsa vocali instructione non satis perceperunt, ex ipsis libellis repetere, melius que ab aliis discere queant.

CAPUT III.

DE CONSOLATIONE APOSTOLICA.

E Tiam hanc suæctionem propriam esse Operarij Apostolici, vel ex eo satis colligitur, quòd ipsius officium sit in animarum salute cooperari Deo, qui, teste S. Paulo 2. Cor. 1. c. 4. Part.

Pater totius consolationis, & Deus patientiæ & solatij, ut idem ad Rom. 15. ait. quique per Isaiam Prophetam c. 66. promissus: *Ad ubera mea portabimini, & super genua blandientur vobis: quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in ierusalem consolabimini.* Unde meritò S. Bernardus S. 10. in Cant. negat eos, qui sunt, ut ipse loquitur, de patrimonio Christi (id est, imitatores illius) dici posse Matres, nisi ubera duo ostendant, quæ Sponsus laudavit in Sponfa, dixitque meliora esse vino, & fragrantia unguentis optimis; neque enim cessare eos debere, exprimere de ubere quidem congratulationis lac exhortationis, de ubere verò compassionis lac consolationis, ut qui juxta monitum D. Pauli nōrint flere cum fletibus, & cum gaudentibus gaudere, ita ut veritate illud Jerem. 31. usurpare queant: *Convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & latificabo à dolore suo.* Qua ratione autem hoc officium Consolatoris fructuosè obire possit Operarius, hoc capite fufius ostendetur.

§. I.

Quid circa Consolationem in genere observandum sit.

I. **Q**uinq̄ue potissimum conditiones habere debet Consolatio, ut Apostolica dici queat; quarum prima est, ut *spiritualis* sit, id est, ad animæ spirituales utilitates ordinata, ut scilicet is, qui consolationem accipit, mœrore vel tribulatione oppressus in peccatum impatientiæ aut desperationis non cadat, sed potius afflictiones suas cum magna æquanimitate, patientia, & constantia sustinentes, pœnæ relaxationem in altera vita, aut præmij certè augmentum mereantur. Et per hoc consolatio isthæc à Consolationibus sæcularium distinguitur, utpote quæ aut inutiles plerumque sunt, & præposteræ, aut certè è malo fonte, vanarum videlicet delectationum petita; quam ob causam S. Job meritò ejusmodi Consolatoribus c. 16. dixit: *Audiui frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis.*

II. Altera conditio Consolationis Apostolicæ est, ut *ordinata* sit; quam quidem conditionem S. Gregorius in moral. indicavit, dum dixit: *Cum volumus afflictum quempiam à mœrore*

mœrore suspendere, ordo consolationis est, ut studeamus prius mœrendo eius luctui concordare. Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori: quia eo ipso, quod à mœrentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, cui mentis qualitate separatur. Hinc Apostolus Rom. 12. monet: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus: id ipsum invicem sentientes.*

III. Tertia conditio est, ut *mitis & suavis* sit: ita S. Ambrosius in l. de Joseph. monet: *Consolatio mitis debet esse, non aspera, quæ magis dolorem leniat, favorem mitiget, quam commotionem excitet.* Hinc Sponsus Osæ c. 2. dicit: *Eccce ego laetabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad eam.* Sed & Siracides Eccl. 4. monet: *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacifice mansuetudine; nihil enim teste S. Chrysostomo hom. de mansuetudine conciliat Domino Familiæ, quàm si videant, illum tunc quillum se offerre, & mansuetudine iucundum.*

IV. Quarta conditio est, ut sit *opportuna*, id est, tempore commodo oblata; sicut enim Medici vetant admoveri pharimaca, cum morbus in accessu est, & sævit; ita ad primos iræ & doloris motus non est adhibenda consolatio, sed ubi post tempus cœperint esse leviores, ut sapienter Seneca apud Jos. Lang. V. Consol. advertit. E contrario verò sicut pluvia siccitati maximè tempore gratissima est, ita consolatio tunc præcipue suavis & iucunda est, cum animus in luctu diuturniore constitutus solatium desiderat.

V. Quinta denique conditio est, ut *prudens & discretus* sit consolatio; quæ quidem prudentia in duobus capitibus consistit, scilicet ut & ad aculeum mœstitiæ eripiendum consolatio accommodata, (id quod ex SS. Patrum, aliorumque Auctoritatis Scriptis, maximè ex arte semper gaudendi P. Sarassa, Pædagogii Christiani p. 2. P. Philippi Doutreman, Consolatione Pædillanimum, Ludovici Blossij, & Lib. de remedijs Fortunæ Francisci Petrarca scripto discendum est) & non perpetua, sed cum debita moderatione & interruptione applicetur, nam ut anima saturata etiam ipsum favum calcet; ita & consolatio fastiditur, si immodicè, & ad fatietatem usque obtrudatur. Quæ omnia tamen magis suo tempore, per ipsam experientiam, quàm per multa præcepta addiscet Operarius.

§. II.

Quomodo tribulati in genere sint
consolandi.

ANte omnia Operarius laboret, ut his sequentia tria capita bene inculcet. Primum est. Nihil sine DEI voluntate fieri juxta illud Eccl. c. 17. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à DEO sunt: Et, non est malum in Civitate, quod non fecit Dominus.* Amos. c. 3. Hinc etiam Christus dixit: *Non haberes potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Joh. 19. Secundum est, quòd non modò omnia proveniant à DEO tanquam potentissimo Rege, sed etiam tanquam à benignissimo Patre, atque ad commodum, utilitatemque nostram ordinentur. Hinc DEUS Ps. 28. vocatur *dilectus, quemadmodum filius unicornium*, quia, ut unicornis, quæ habet cornu infra oculos, videt, quò tendat per cornu immittæ afflictionis, non autem, sicut taurus habens cornua supra oculos cæco modo percutit. Atque hæc causa est, cur omnes tribulationes considerandæ & accipiendæ sint, ut Pædagogus, ut virga, ut ignis respectu auri, ut medicina, ut instrumentum chirurgi, &c. Tertium est, quòd DEUS etiam robur & vires tribuat ad ferendas tribulationes, nam, ut S. Paulus ait 1. ad Corinth. 10. *Fidelis DEVS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Et per Psalmistam ipse dicit: *Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum,* Ps. 90. Idem expertum esse S. Paulus 2. ad Corinth. 12. testatur, dicens: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo; cum enim infirmor, tunc potens sum.* Imò etiam solatur peculiari modo, uti iterum expertus est S. Paulus, qui de seipso 2. ad Corinth. c. 11. ait: *Repletus sum consolatione super abundo gaudio in omnibus tribulatione nostra.* Et S. David Ps. 93. *Secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes tua letificaverunt animam meam.* Experti etiam tres Pueri in fornace Babylonica, qui senserunt ventum quasi roris flantem. Nimirum ad medicorum morem post amaram medicinam mox, ut minus amarities sentiatur, saccarum porrigit consolationum. Hinc quædam Virgo cuidam percontanti, quomodo ad perfectionem pervenisset, respondit: *Omniem ad veritatem æquamini-*
struēt. 111.

I

ter de

ter de manu DEI suscepi, & quisquis me aliquã injuriã, molestiãve affecit, huic ego speciale beneficium rependere curavi, quod minimè fecissem, nisi ab eo læsa fuisset. Nulli enim DEO gravamina mea quæsta sum; unde è vestigio consolationem, corroborationemque ab eo accepi.

II. Revocet tribulatio in memoriam, quod Dominus quondam ad S. Catharinam Senensem dixit: ut Blofius c. Monil. Spir. refert. *Volo te nõsse, quòd omnes pœna, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate consistunt; quia si voluntas esset ordinata & concors cum voluntate mea, careret quodammodo pœnã. Quamvis enim is, qui hac sancta ordinata voluntate præditus est, sentiat laborem ac dolorem, quidquid tamen amore mei patitur, quasi sine pœna portat, libentissime enim illud sustinet, considerans & sciens esse meam voluntatem ac permissionem, ut patiatur.* In confirmationem hujus doctrinæ narrare poterit notam illã historiam ex Taulero de memorabili, qui Theologo bonum diem & fortunatum precanti alloquitur, se bonos semper fortunatosque dies habuisse, atque in tantis etiam miserijs lætissimum vixisse, eò quòd nihil aliud quàm quòd DEUS ordinavit, voluerit; hoc autem optimum sibi esse certò persuaserit.

III. Ostendat, tribulationes esse signum filiorum DEI & prædestinationis. Id colligitur 1. ex S. Paulo ad Hebræos c. 12. dicente: *Fili mi, noli negligere disciplinam patris, neque fastigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* 2. Ex testimonio S. Raphaëlis Tob. 12. *Quia acceptus fueras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* 3. Ex praxi amantium, qui comprimunt fortiter manus. Sic DEUS Apoc. 3. ait: *Ego quos amo, arguo & castigo.* 4. Ex revelatione DEI, quã quondam revelavit S. Gertrudi, quòd, quando Dominus nihil inveniens in homine, propter quod placita dignatione ipsum adesse deceat, tribulationes vel molestias tam corporales, quam spirituales eidem immittat, ut inde habeat opportunitatem manendi cum illo, quia S. Scriptura dicit: *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Alio tempore eadem Virgo intulit, Blofio teste in consolat. Puffill. quòd, quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita adversitas humiliorum propter DEUM tolerata, sit verissimum signum divinæ electionis.

tionis, & quasi desponsatio Animæ cum DEO in tantum, ut gravatus quisque confidenter dicere possit: Annulo suo subarrahavit me Dominus meus JESUS CHRISTUS. Quod si inter ipsa adversa potest dono DEI etiam laudare DEVM, & ei ex animo gratias agere, jam tanquam Sponsa amabilis coronam obtinet à Domino; quia gratitudo animi in adversis est ornatisissima atque pretiosissima corona animæ. 5. Ex testimonio DEI, quo S. Francisco dixit, infirmitatem, quam tum patiebatur, esse arrham thesauri cælestis, qui ipsi olim offerendus esset; uti in Spec. Exempl. V. cæl. gloria ex. 8. refertur. 6. Ex Omnium SS. Exemplo, de quibus S. Ecclesia canit: Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam Martyrij. Certè quò sanctiores fuère, tantò magis tribulationibus vexati sunt. 7. Ex figuris variis; nam Electi DEI sunt lapides, qui superædificandi suo tempore super lapidem angularem Christum crescent in templum DEI, ergo in hac vita poliri malleo tribulationis debent. Illi sunt triticum suo tempore in horreum Domini congregandum, ergo prius flagellari & excuti debent. Illi sunt uvæ ex Christo tanquam vera vite prognatæ, ergo oportet torculari eos subicere, ut gratissimum virtutis succum porrigant. Illi sunt holocaustum & victima DEO gratissima, ergo per ignem tribulationis immolari debent. Item tribulatio est aureæ virgæ Assueri similis, quæ signum clementiæ & gratiæ apud Regem obtentæ erat. Item est similis funiculo rubro, quem milites Josue Rahab meretrici dederant, ut eum appendens ante fenestram ab interitu servaretur. Josue c. 2. Tandem est similis signo Tau, per quod olim. Ezech. c. 9. notati ab exitio servabantur.

IV. Præcipuè hortetur afflictum, ut Christi Exemplum & SS. Passionem ob oculos ponat sibi; hinc enim mirum robur & solatium oriri, colligitur 1. Ex ipsa Christi revelatione; cum enim quædam persona vehementer afflictæ esset, hanc audivit vocem; surge, & cogita vulnera mea. Fecit & mox se consolatam invenit, uti in Fasciculo Myrrhæ P. Caff. refertur. Alius, qui à Religione ad sæculum reverti volebat, à Christo his vocibus in proposito confirmatus est: Omne asperum intinge in latus meum, & erit tibi dulce. ibid. Unde S. Catharina Senensis dicebat, tribulationem esse duro

pani similem, qui, ut facile per patientiam concoqui possit SS. Christi Sanguinem intingendus sit. 2. Colligitur ex testimonio S. Pauli ad Hebr. c. 12. dum ait: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Anticrem fidei & Consummatorem IESVM. Recogitate eum, qui pro nobis sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* 3. Colligitur ex testimonio SS. PP. nam S. Gregorius in Epist. ait: *nihil est adeò grave, quod non aquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam revocetur.* S. Augustinus l. 32. ad FF. in eadem. ait: *In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficacax remedium, quàm vulnera Christi; in illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis, nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur.* S. Bernardus ait: *Voluit Christus oculos in sua sustelli vulnera, ut exemplo suo reddat ad tolerandum fortiores. Non enim sensit sua vulnera miles, qui sui Ducis vulnera intuetur.* 4. Colligitur et figuris; nam sicut Exod. 15. lignum in aquas missum eas dulces fecit. Et sicut 4. Reg. 4. farina in ollam missa amaritiam sustulit, ita Crux & Passio Christi aquas tribulationum dulces facit. Et sicut serpentis aspectus ænei in deserto sanavit ictus serpentum; ita Christi passio consideratio vulnera animarum sanat. Num. 21. c. 5. Colligitur ex uatura Societatis, si enim Societas hominis leviores facit miseras, quantò magis afflictionum solatium erit DEVM habere in Passione socium? 6. Ex aequitate: non enim est major servus domino, neque discipulus supra magistrum, neque membrum pedis melius est capite, si ergo Christum oportuit pati, & intrare in gloriam suam, quantò magis membra, discipuli & servi ejus per hanc viam ad cælum tendere debebunt? Urias admonitus à Davide, ut in domum propriam iret, & quiesceret, respondit: *Arca DEI & Israël & Iuda habitant in Taphilionibus, & Dominus meus Iacob & servi Domini mei super faciem terra manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam, & per salutem anima tua non faciam rem hanc.* 2. Reg. 11. An non multò magis Christus, si simili modo se alloquatur? Dominus meus in toto corpore passus est talia ac tanta; & ego hanc parvam tribulationem non suscipiam? Et ego quidem justè, ipse verò quidè

cit? Ille totum Calicem in sanitatem meam exhaustit, & ego in ejus honorem vel gustare illum recusabo? 7. Ex experientia colligitur hujus medij efficacia. S. Elzearius Comes, cum uxor illius patientiam miraretur, respondit illi: Novem me interdum sentire aliquam in animo adversus infestantes me indignationem, sed illicò me converto ad cogitandas injurias Christo illatas, dicòque mihi ipsi eum imitari cupiens: Etiam si famuli tui barbam tuam convellerent, & colaphos tibi impingerent, nihil totum hoc esset præ illis, quæ Dominus tuus & plura & majora perpeffus est, certòque habeas conjux mea, me nunquam cessare à commemorandis injuriis Salvatoris mei, donec animus planè sit tranquillus. Surtius 27. Sept. 8. Colligitur ex simili: sicut enim amara pilula, dum hostiâ involvuntur, faciliùs sumuntur; ita & tribulationes, si eas memoriâ Passionis Christi velut hostiâ involvamus. Sicut etiam Erinaceus in foraminibus petrae refugium quærit; ita anima Christiani in SS. vulneribus quærere deberet.

V. Hortetur, ut sæpe ad præmia tribulationibus promissa animum afflicto convertat, revocetque in memoriam illud S. Pauli ad Rom. c. 8. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Si ergo urinatores in aquas se promptè conjiciunt, & gladiatores verbera contempnunt, & milites pericula alacri animo subeunt, bajuli onera læti portant, ut vilem mercedem & præmium consequantur; si Jacobo Patriarchæ videbantur dies pauci præ amoris multitudine erga Rachelem; quidni multò magis Christianus omnes adversitates libenter sustineat amore & spe tanti præmij, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit? sic Christus proposito sibi gaudio sustinuit Crucem; sic S. Stephanus intendens in cælum, vidit cælos apertos: sic Christus Apostolos excitavit: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Math. 5. Sic S. Franciscum in gravi dolore oculorum manavit, dum dixit: Francisce, si tota terra esset aurum, & mare ac flumina & fontes essent balsamum, & omnes montes, collesque ac lapides essent gemmæ, & tibi alius thesaurus longè his pretiosior daretur pro infirmitate, an non gauderes? Ecce hic thesaurus est vitæ æternæ, quem tibi reposui: & ex nunc

cognitionem sui & inferni præmiferat. Præmittat & hos duos prodromos afflictus ad omnes tribulationes, & omnes perquam leves efficiet.

VIII. Demonstret frustraneum esse mœrorem ad malum leniendum. nam ut eleganter S. Chrysoſtomus ait homil. ad populum: *Tristitia ob id nobis data est, non ut in morte aut alia re doleamus, sed ut doleamus peccatum quasi morbi illius remedium; sicut ergo remedium lippitudinis illam tollit, non alios morbos; sic tristitia peccatum tollit, non alias agritudines; v. g. pecuniã quis multatus est, doluit, non emendavit; filium amisit, doluit, non resuscitavit mortuũ; contumeliis affectus est, doluit, nõ revocavit contumeliam; infirmatur, dolet, morbũ non aufert, sed auget; sed peccat quis, tristatus est, peccata deleuit; ergo tristitia tantum facta est propter peccatum, à quo nata est, ideo ut tinea ipsum corrodit, & absomit.* Imò non tantum frustraneum esse mœrorem ad malum pellendum, sed etiam illud gravius efficere, clarissimè docet S. Augustinus l. de pact. c. 2. dum ait: *Impatientes, dum mala pati nolunt, non efficiunt, ut à malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. Patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quam non ferendo committere, & leviora faciunt, qua per patientiam patiuntur, & peiora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur.* Porro ut tristitiam hanc tantò facilius fuget, jubeat afflictum sic discurrere: vel malum est futurum, vel præteritum, vel præsens: si futurum, cur miser es ante tempus? si præteritum, cur doles, quod infectum facere non potes? si præsens, ergo id solùm curandum est, ut media, quæ leviozem faciant mali tolerantiam, procures; inter hæc autem potissimum est, si propter DEVM patienter id feras; sic enim 1. DEVS citiùs auferet malum, sicut Pater citiùs cessat à verberibus, si Filium sese subicere & agnoscere culpam advertat. 2. Spes præmij, & honor inde resultans roborabit. 3. Societas Christi animos addet &c.

IX. Suadeat, ut consilium illud S. Bernardi sequatur: *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca MARIAM; In periculis, in angustiis, in rebus dubiis MARIAM invoca, MARIAM cogita, non recedat ab ore, non discedat à corde.* Hom. 2. in Missus est.

X. Ex quibus omnibus hæcenus allatis motivis unicuique & præ cæteris efficax erueri potest, ut scilicet hortetur tribulatum, ut omnia adversa, quæ ipsi evenire possunt, sibi imaginetur imaginibus illis similia, quæ ob varias plicas dupliciter Personam repræsentant, & si quidem à dextris aspiciantur, Christi imaginem exhibent, & ad affectum amoris ac reverentiæ excitant, animûmque gaudio spirituali replent: si verò à sinistris cernantur, Demonis turpissimam formam objiciunt, atque ad odium, & indignationem movent, amaritudinèque complent; sic enim revera etiam adversitates, si à sinistra parte, id est, secundum id duntaxat, quod cruciat, & affligit, considerentur, impatientiæ & pusillanimitatis affectum concitant; secus verò si à dextris, id est, secundum utilitatem variam, quam afferunt, spectentur, sic enim desiderium, amorem, gaudium ingenerant. Id quod Concionator quidam approposito discursu confirmabat, dum in die Parasceves sic suos Auditores alloquebatur: Scitis, Auditores, in atrio quodam varias hodie cruces ligneas, graviore & leviores, majores & minores, diversis scilicet Personis accommodatas expositas esse. Quid si ego nunc vos omnes invitarem, ut mecum ad atrium illud iretis, & crucem aliquam mecum tolleretis, & per urbem ad certum templum portaretis, quàm paucos putatis futuros, qui me secuturi essent, & quàm exigua alacritate? Quod si autem mox subjungerem: Verumtamen sciendum est vobis, unam ex istis crucibus intus totaliter excavatam, & aureis nummis refertam esse, quam qui primus ex vobis deprehenderit, atque humeris suis in domum suam portaverit, is omne illud aurum in ea inclusum pro præmio accipiet; non hoc audito omnes è templo excurrerent, & magna cum aviditate in atrio illo unam crucem post alteram librarent, & gravissimam eligerent, lætisque in humeros susciperent, & si quidem illa gravaret, vos ipsos his vel similibus verbis solarentur: Animæquior esto, tolera modicum & brevem dolorem, brevi in domo eris, & ibi fructus longævus ex auro obtento referendus omnem hanc molestiam abunde compensabit. Cur, quæso, nunc tam hilares gravissimam crucem eligeretis, quam tamen prius aut omnino non, aut cum tristitia portavissetis? nimirum quia prius solam crucis gravitatem, postea verò aurum & lucrum intus inclusum considerassetis.

Ac ergo in vestris etiam tribulationibus non id, quod brevi tempore cruciat, sed quod æternum deiecit, spectate, & cum S. Paulo dicetis: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. II.

§. III.

Quomodo pauperes sint consolandi.

HI gemina præcipue consolatione indigent, quia duplici plerumque afflictione & tristitia cruciantur, quarum prima oritur ex ipsa Status sui vilitate & abiectione; pro qua lenienda sic eos consoletur Operarius. & 1. proponat illis exemplum Christi, qui, ut S. Paulus 2. ad Corinth. c. 8. ait: *Propter vos egenus factus est, cum esset dives*; si ergo solatium est miseris socios habere, quantum erit solatium pauperi, paupertatis socium habere ipsum DEUM? 2. Revocet illis in memoriam, quot millia sapientissimorum virorum & sanctissimorum sponte amplexi sint paupertatem, ut essent similiore filio DEI; quidni ergo & ipsi gaudeant, ultro à DEO oblatam hanc gratiam, quam alij per magnas difficultates & certamina quæsierunt? 3. Jubeat meminisse, vitam nostram similem esse Comædiæ; ut ergo Actor libenter per diem personam mendici vel rustici gerit, si speret, se Regi aulicisque per eam magis placiturum, & majus præmium obtenturum; ita & ipsi libenter vilem suam personam per unicum vitæ diem sustineant, ut DEO, Cœlitibusque magis placeant, & merita sua multiplicent. 4. Ostendat talem & tantum esse quemlibet hominum, qualis & quantus est apud DEUM, atque adeò illum esse in hac vita digniorem, qui sanctior est; hanc ergo dignitatem obtinere cum in ipsorum sit potestate, cur doleant, se falsa gloria, honoribusque carere? 5. Demonstret, quòd DEUS divitias illis non dederit, specialis favoris loco habendum; indicium enim est, DEUM hinc velle curam eorum habere, atque eos in altera vita ditare regno illo, quod pauperibus promisit; etiam ipsos in hac vita à curis, quas divitiæ afferunt, liberos esse, & annos suos in vera pace transigere. Ad quem finem proderit narrare historiam de Fabro illo ferrario, quem cum Vicinus dives toto die cantantem audisset, quondam marsupium pecuniâ plenum in officinam

conjecit; quo ille invento mox curis obrutus de pecunia festivanda & augenda, à cantu abstinuit, neque eum resumpsit, donec vicinus detecto consilio suam pecuniam repetijt. 5. Revocet illis in memoriam Christi promissionem, quam Matt. 5. dixit: *Beati pauperes Spiritu* (id est, qui libenter paupertatem tolerant amore DEI) *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* & hoc jubeat felicitatem ac dignitatem suam æstimare. Verum enim, ut S. Augustinus S. 15. de verb. Apost. loquitur, *magna felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate posita est, & quibus datum est, ut paupertatem facerent pretium regni cælorum.* Non ergo tibi, ait idem Sanctus S. 28. *displiecat paupertas tua, nihil eam potes ditius invenire, quam nōsse, quā locuples sit? cælum emit; quibus thesaurus conferri possit, quod pauperibus videmus indultum? ut ad regnum cælorum veniret dives, possessione sua obtinere non potuit; nunc obinet, ut contemptu perveniat.*

II. Altera tentatio, eaque gravior oritur ex timore de victu & vestitu quotidiano parando; contra quam sic munitur eos: 1. Declaret illis, quantam DEUS semper curam se habiturum pauperum promiserit, & actu habuerit, ut merito S. Psalmista Ps. 10. dixerit, quod oculi ejus in pauperem respiciant, diligenter scilicet considerantes, ne aliquid ei desit, nam *illi derelictus est pauper.* eodem teste ps. 9. unde jam olim etiam apud Ethnicos, teste Menandro Epist. 28. pauperes æstimabantur Deorum esse. Quam verò fideliter steterit DEUS promissis, id unum indicio satis esse potest, quod S. David dicat Ps. 36. *Junior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omnia bona.* 2. Declaret illis, quantopere DEO placeat fiducia in illum, nam Bloſius scribit in monili c. 11. quod Christus quondam S. Gertrudi dixerit: *Fiducia illa, quam homo in me solo collocat, credendo, posse, scire & velle me ipsum fiducialiter iuvare in omnibus, cor mihi transfigit, tantamque pietati meæ violentiam facit, ut non possim non ei gratificari, & manus porrigere ob gratum, quem ex eo, quod totus à me pendeat, capio.* S. Mechtilde verò quondam dixit; *Impossibile est, ut, quod quis sancti de me credidit, & consequi speravit, non obtineat, cum ipsum hoc ergo promiserim. Mihi igitur fidat, qui grandia à me expectat.* Quis ergo

ergo ad eum non fugiat, si tantoperè hæc fiducia ei placet? Si Princeps promulgari juberet, nihil ei magis placiturum, quàm si cives, quotiescunque re aliquâ indigerent, ad eum confugerent; eamque audacter peterent, quis civium foret, qui non sapiissimè, imò assiduò ad ipsum confugeret? & tamen hic Princeps tum propter fragilitatem, tum propter limitatas divitias fallere posset; cum ergò DEUS summè verax & potens simile decretum promulgari jusserit, imò ipse promulgaverit, dum dixit; *Petite & accipietis*, &c. Joan. 16. an non maximâ eum fiducia ad eum confugiendum erit? 3. Demonstret illis, quot titulos habeat qui vis homo justus ad omnia necessaria à DEO speranda. Primus est, quòd *homo fir*; si enim DEUS lilia agri & volucres cœli tam sollicitè nutrit; an ipsius hominis, propter quem omnia illa condidit, non majorem rationem habebit? Secundus titulus est, quòd *redemptus* sit; quis enim ovem aut equum, aliudve animal, quod magno pretio emit, fame perire sinit? quantò minùs ergò DEUS hominem pretioso sanguine suo emptum & redemptum necessarijs ad vitam subsidijs destituet? Tertius est, quòd sit *Christianus*; quis ignorat, quantam curam DEUS Israelitarum habuerit? quâ charitate & sollicitudine illis manna de cœlo tot annis, coturnices, aquam de petra providerit? & Christianis, qui veteri Israelitæ sunt, quorum illi figura erant, victum quotidianum negabit? aut certè populo se sequenti per tantum miraculum panem datum credemus, & Christianis non corpore, sed animo: non pede, sed affectu; non gressu, sed virtutis studio ipsum sequentibus ac imitantibus necessaria alimenta negaturum existimabimus? Quartus titulus est, quòd *servus* sit; quis nescit, quantâ curâ victum subministremus etiam brutis fervientibus nobis? si verò servum nacti sumus fidelem & utilem, quàm ægrè dimittimus? an igitur minorem charitatem à DEO sperabimus? an nescimus, quantâ curâ fidelem servum suum David protexerit, & conservârit? quàm sollicitè Eliam per corvum aluerit? quàm liberaliter Jobo, cui similis in terra tum temporis servus repertus non erat, duplicia restituerit? Quintus titulus est, quòd sit *Amicus* DEI; quis Amicum sibi gratum deserit? quis nescit, Amicorum omnia esse communia? si ergò DEUS hanc consuetudinem adeò servare decrevit, ut etiam seipsum Amicis suis dare statuerit, an in

quotidianis alimentis suppeditandis eam transgressurus creditur? Certè ad fiduciam orationis adhortaturus, Amici penem iteratò petentis exemplo usus est, ut indicaret, hunc esse specialem titulum, ob quem non facillè quid negari possit petenti. Sextus titulus est, quod sit *filius*; Si enim ipsa etiam bruta tam sollicitè pullos suos alunt; an DEO hanc providentiam adimemus? An infans, si ratione præditus esset, prædentè dubitare possit, num mater eum lactatura esset, & educatura? & quisquam dubitabit, num DEUS filios gratiæ sustentaturus sit, quibus per Isaiam dixit: *Nunquid oblivisci postquam mulier infantem suum? quod si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui*, Isaiæ cap. 49. Septimus titulus est, quod sit *Sponsa* DEI; quis unquam audivit, Sponsam regiam à Sponso desertam esse, si illa bene se gessit? Certè Assverus Estheri dimidium regni obtulit; quantò magis daturus fuisset, si victum tantum petiisset? An Rex cælestis à terreno se vinci patietur? Hos ergò titulos bene perpendere pauperes jubeat Operarius, certòque promittat, iis non modicè fiduciam auctum iri; si enim, qui litteras septem sigillis munitas à Rege accepissent, quibus ei victum promitteret, minimè dubitaret, quin Rex promissis staturus esset, quantò minùs de DEO, qui septem hos titulos tam benignè largitus est, dubitare fas erit? Id unum ergò singulari cura curent pauperes, ut mandata DEI servens orationem frequentent, patientiam in adversis non deserant, de cætero omnem sollicitudinem in DEUM conjiciant, & tam ipsi in ore ac mente assiduò habeant, quàm etiam filios suos doceant versiculum illum, quem S. Franciscus discipulis suis pro viatico obtulit: *Lacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*. Meminerint quoque illius dicti, quod Christus S. Catharinæ Senensi dixit: *Cogita tu de me, & ego cogitabo de te*.

§. VI.

Quomodo consolandi sint, qui bonorum temporalium jacturam sunt passi.

I. **A**Nte omnia talibus Personis persuadendum est, eos non Dominos esse, sed Administratores duntaxat, atque ad eò, sicut hi, cum Dominus de bonis, quæ illorum administrationi commisit, ipsemet disponit, eaque eripit illis, non

murmurant, nec queruntur, quia, cum Dominus sit, plenam de
 bonis suis pro libitu suo disponendi facultatem ac liberta-
 tem habet; ita nec ipsos ablationem talium bonorum ægrè
 ferre debere, cum DEUS velut supremus & plenissimus Domi-
 nus illa abstulerit. Quem in finem proderit bina illis exem-
 pla ob oculos ponere, alterum ex veteri, ex novo Testamento
 alterum. Quorum primum S. Job reliquit, qui, licet una vice
 septem millia ovium, tria millia camelorum, quingenta ju-
 ga bouum, quingentas asinas, & præterea septem Filios, & tres
 Filias ruinâ domus oppressos amisisset, non ullum tamen tri-
 stitiæ aut impatientiæ signum dedit, sed tonsa capite in terrâ
 corruens Deum adoravit, & dixit c. 1. *Nudus egressus sum de
 utero Matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, Do-
 minus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen
 Domini benedictum.* In omnibus his non peccavit Job labiis
 suis, neque stultum quid contra DEUM locutus est. Alterum
 exemplum celeberrimus Angliæ Cancellarius Thomas Mo-
 rus præbuit, uti Drexelius in Gymn. Pat. p. 3. c. 6. §. 7. refert,
 qui sic ad Conjugem suam scripsit: *Salus plurima, Domina
 Aloysia. Intellego horrea nostra, & vicinorum aliquot cum
 omni frumento perijsse incendio. Dolenda quidem (salvâ
 DEI voluntate) frumenti tam copiosi jactura; quia tamen
 DEO ita visum est, debemus omnino non solum patienter, sed
 & libenter hanc DEI manum in nos extentam ferre. Quid-
 quid amisimus, Dominus dedit. Sed quia id iterum nobis ade-
 mit, Domini voluntas fiat. Nunquam super hac re murmure-
 mus, sed æqui, bonique consulamus, & DEO magnas gratias
 agamus, tam in adversis, quàm prosperis: atque si rectè calcu-
 lum ponamus, majus DEI beneficium est hoc damnum, quàm
 ingens lucrum. Quid enim salutem nostram faciat, DEO magis,
 quàm nobis perspectum est. Rogo igitur, bono sis animo, &
 omnem tecum Familiam duc ad templum, DEOque gratias
 age tam de his, quæ nobis donavit, quàm quæ nunc abstulit,
 & quæ etiamnum reliquit. Facile DEO est, si sic visum fuerit,
 augere nondum ablata. Quòd si plura velit auferre, sicut Do-
 mino placuerit, ita fiat. Inquiratur etiam, quantam jacturam
 fecerint vicini, moneanturque, ne ob eam rem contristantur;
 non enim committam, ut vicini mei cladibus meis domesticis
 lædantur, etiam si omnis mea suppellex ad unicum usque ca-
 chlear*

celorum emimus. Jubeat ergo meminisse illorum S. Davidis verborum: *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua* (offerentes pecunias, quæ ipsis vel à magistratu, vel ab hoste auferebantur) *venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Pl. 125.

VI. Denique jubeat sperare, quòd, sicuti Dominus Job duplicia restituit, ita & ipsis possit, & verò etiam velit (si ita ipsis utile fore videbit) duplicia restituere; certè necessaria non negabit; neque enim ad solos Apostolos & Religiosos, sed omnes alios, qui cum patientia & charitate dimiserint bona sua, pertinet illa Domini promissio: *Omnis, qui reliquerit domum aut agrum &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. 19. Audiant ergo S. Augustinum dicentem in Psalmum 34. *Illum quare, qui deesse non potest. Subtrahuntur, quæ dedit; nunquid subtrahitur, qui dedit?*

§. V.

Quomodo consolandi sint, qui detrimentum
Famæ vel Honoris passi sunt.

I. Si ullæ aliæ, ejusmodi Personæ consolatione indigent; Scùm enim, teste Salomone Prov. 22. melius sit nomen bonum, quàm divitiæ multæ; imò quàm mille thesauri pretiosi & magni, ut Eccl. 41. ait, facilè credi potest, jacturam quoque famæ & honoris graviùs, quàm ullum aliud detrimentum sentiendum esse, atque adeò præ aliis afflictionibus consolationem exigere. Hanc ergo ut offerat Operarius, imprimis hortetur ejusmodi afflictos, ut Christi exemplum sibi diligenter ante oculos proponant, & quasi dicentem audiant: *Si Dominum Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos eius?* Matth. 10. dicant itaque: *Ego quidem iuste hæc patior, Dominus autem quid fecit?* Lucæ 23. Imò considerare jubeat, quàm multi ipsum etiam DEVM blasphemant, debitumque ei honorem negent: sicuti ergo DEVS nihil propterea turbatur & dolet, ita nec ipsi, qui injuriam passi sunt, tritari debent.

II. Hortetur, ut meminerint illam injuriam aut verba contumeliosa à DEO exisse, & permilla esse; dicant ergo a-

animæ

chlear diripiatur. Obsecro, mea Aloysia, unà cum Liberis nostris, totaque Familia sis læta in Domino. Hæc omnia, nosque omnes in manu DEI sumus. A DEI voluntate pendeamus toti, nec ullum unquam damnum nocere nobis poterit. Vale. Aula Wodstochij. 13. Sept. 1529.

II. Ostendat, hanc jacturam esse signum dilectionis divinæ & prædestinationis ad gloriam; nam ut vinitor putat vitas, quas diligit; & qui avem amat, & retinere desiderat, alia ei amputat; & mater filio cultrum subtrahit, ne semetipsum lædat; & Dominus ligna subtrahit, ne domus omninò comburatur; ita DEUS iis, quos amat, temporalia subtrahit bona.

III. Declaret illis, quàm misericorditer cum illis agat DEUS per hanc jacturam puniendo; quæ enim adultera non clementer secum agi existimat, si maritus tantum adulterum auferat, & simul promittat, se, si illa patienter ferat hanc ablationem, non modò in gratiam eam recepturum, sed ingentibus etiam donis ditaturum? hoc autem facit DEUS, divitias ab anima, cum quibus spirituale adulterium commiserat, auferendo. Si ergo nulla adultera in adulterio deprehensa dicere audeat marito: relinque mihi adulterum, ut pergam cum ejus jus tuum lædere; quomodo anima divitias ablatas repetere DEO audebit?

IV. Demonstrat ingens illis beneficium esse collatum per divitiarum ablationem; si enim divitiæ sunt spinæ suffocantes semen verbi divini; si sunt laqueus diaboli trahens in sempiternam mortem; si sunt cancer ad vitalia animæ accersens, & mortem accersens spirituales; si sunt lapis animæ pondere curarum & peccati opprimens, quidni magnum illi beneficium collatum existimabit, à quo hi laquei, & spinæ ablatae sunt; cui cancer iste sine scissione ademptus est?

V. Hortetur, ut oculos convertant ad veras divitias, scilicet ad virtutes & bona opera; item ad cælestia gaudia, quæ ipsis invitis auferri non possunt, uti nec ipse DEUS; sic certe leviter ferent jacturam temporalium exemplo primorum Christianorum, ad quos S. Paulus Hebr. c. 10. scribit: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscite vos habere meliorem & manentem substantiam.* Quis non libenter agrum suum grandine destrui sineret, si grandio autem esset? talis autem grandio est tribulatio, quia per illam regna

celorum emimus. Jubeat ergo meminisse illorum S. Davidis verborum: *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua* (offerentes pecunias, quæ ipsis vel à magistratu, vel ab hoste auferebantur) *venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Pl. 125.

VI. Denique jubeat sperare, quòd, sicuti Dominus Job duplicia restituit, ita & ipsis possit, & verò etiam velit (si ita ipsis utile fore videbit) duplicia restituere; certè necessaria non negabit; neque enim ad solos Apostolos & Religiosos, sed omnes alios, qui cum patientia & charitate dimiserint bona sua, pertinet illa Domini promissio: *Omnis, qui reliquerit domum aut agrum &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. 19. Audiant ergo S. Augustinum dicentem in Psalmum 34. *Illum quare, qui deesse non potest. Subtrahuntur, quæ dedit; nunquid subtrahitur, qui dedit?*

§. V.

Quomodo consolandi sint, qui detrimentum
Famæ vel Honoris passi sunt.

I. Si ullæ aliæ, ejusmodi Personæ consolatione indigent; Scùm enim, teste Salomone Prov. 22. melius sit nomen bonum, quàm divitiæ multæ; imò quàm mille thesauri pretiosi & magni, ut Eccl. 41. ait, facilè credi potest, jacturam quoque famæ & honoris graviùs, quàm ullum aliud detrimentum sentiendum esse, atque adeò præ aliis afflictionibus consolationem exigere. Hanc ergo ut offerat Operarius, imprimis hortetur ejusmodi afflictos, ut Christi exemplum sibi diligenter ante oculos proponant, & quasi dicentem audiant: *Si Dominum Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos eius?* Matth. 10. dicant itaque: *Ego quidem iuste hæc patior, Dominus autem quid fecit?* Lucæ 23. Imò considerare jubeat, quàm multi ipsum etiam DEVM blasphemant, debitumque ei honorem negent: sicuti ergo DEVS nihil propterea turbatur & dolet, ita nec ipsi, qui injuriam passi sunt, tritari debent.

II. Hortetur, ut meminerint illam injuriam aut verba contumeliosa à DEO exisse, & permilla esse; dicant ergo a-

animæ

nimæ suæ vindictam spiranti: Dominus præcepit ei, ut male-
ceret mihi. & quis est, qui contradicat? obmutui, quia tu fecisti.

III. Persuadeat illis, tantum & talem esse quemque
qualis & quantus est in oculis DEI; parùm ergo curandum es-
se, quidquid de illis sentiant homines; neque enim propterea
æger esse quis incipit, si alij ægrum dicant; neque sol splendo-
rem suum amittit, si aliqui obscurum eum esse asserunt; neque
propterea, quòd aliqui asinum, leonem, captam vocent, talis
erit. Verbo: si cuncta contra aliquem dicerentur, quæ fieri
malitiosissimè possent, quid ipsi noceret, si omninò transire
permitteret, nec plus, quàm festucam perpenderet? nunquid
vel unum capillum extrahere possent? uti rectè Thomas Kem-
penis l. 3. c. 46. discurret. Sequantur ergo tales ejusdem
Authoris consilium l. 2. c. 6. dicentis: Bonorum gloria
conscientiis eorum, & non in ore hominum. Justorum læti-
tia de DEO, & in DEO est, & gaudium eorum de veritate. Qui
veram & æternam gloriam desiderat, temporalem non curat.
Et qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo con-
temnit, minùs amare convincitur cœlestem. Magnam habet
cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia.
Facilè erit pacatus & contentus, cujus conscientia munda est.
Non es sanctior, si laudaris: nec vilior, si vituperaris. Quod es
hoc es; nec major dici vales, quàm DEO teste sis. Si attendis,
quid apud te sis intus, non curabis, quid de te loquantur homi-
nes foris; nam, ut rectè dixit S. Ambrosius de offic. Bene sibi con-
sciis falsis non debet moveri, nec astimare plus ponderis in alieno
esse convitio, quàm in suo testimonio. Certè nemo aliorum se
miser est. (ut appositè S. Salvianus l. 1. de provid. dixit) sed
& ideo non possunt cuiusquam falso iudicio esse miseri, qui
verè suâ conscientia beati.

IV. Hortetur, ut is, qui injuriam accepit, peccata sua &
vilitatem inde exortam bene perpandat; ut verè nihilum
agnoscat; sic enim haud difficulter contemni & infirmari
finet; quis enim ægrè fert, si in nihilum verba contumeliòsa
janciantur? quis indignatur, si de sterquilinio, de stulto parum
honorificè homines loquantur?

V. Ostendat illi tantam esse dignitatem, si quis injuri-
tur, & contemnatur, ut erubescere potius deberet, quòd DEUS
ad talem dignitatem eum evehat; quid enim dignius? quod
magis

magis maiestate plenum, quàm ipsi Christo orbis Servatori similem fieri: quantopere honoratum se crederet is, cui Rex vestem proprii filij sui dono mitteret, eamque induere juberet: hoc autem beneficium & honorem exhibet DEVS illi, quem contemni & injuriis affici sinit.

VI. Ostendat, quàm nihil proficiat, mutuas injurias & convitia reponendo. Id profectò eleganter hac similitudine declaravit S. Chrysostomus c. 5. in Epist. ad Thessal. *Convitiatus est quisquam? vituperavit? tu claude os tuum: si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc: non vides in adibus, quòd, quando è regione directè dua ianua opposita sunt & flatus vehemens irruerit; si alteram clauseris, nihil efficiat flatus, sed plurimum de illius robore præcidatur? Ita & hìc dua sunt ianua, os tuum & os illius, qui te vituperat, & probro afficit: Si tuum occluseris, & sperationem non dederis, omnem istum flatum extinguas; si verò aperueris, effrenis reddetur. Dicat ergo, quisquis injuriam passus est: posui ori meo custodiam, cum confisteret peccator adversum me, obmutui, & humiliatus sum, & filii à bonis.* Hoc enim silentio duo insuper commoda consequetur. Primum est, quod sic magis se vindicet de laedente; nam, ut S. Ambrosius lib. 2. de offic. c. 3. ait: *Si tacitas, si dissimules, solet dicere (convitiator) quid taces? loquere, si audes: sed non audes, mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur, victum se reputat, illusum, posthabutum, ac irrisum. Si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quia pacem invenit.* Secundum est, quod ipsa taciturnitate famam sibi hominis virtuosi comparet, quàm famam non potest esse præstantior; sicut enim, si dolium percussum sonum edat ad minimum ictum, vacuum esse colligimus; si verò non resonet, plenum esse dicimus; ita plenos gratiâ & fortitudine existimamus esse, quos ad injurias tacere advertimus. Hinc Ecclesia de SS. Martyribus canit. *Non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito, mens bene conscia conservat patientiam.*

VII. Non parùm etiam proderit, eos, qui injuriam inferant, considerare quasi infantes, phræneticos, insanos &c. quod medium S. Basilius hom. 10. de ira suggestit, dum dicit: *Si parvus Puer te verbis contumeliosis peteret, occasionem tibi potius videndi daret. Quod si phrænesi captus & sensu excidens verba vitæ incompòsita & stulta minimèque vera dicat, misericordiam*

instru. 111. K ricordiam

ricordiâ potius, quàm odio dignus erit. Hoc medio usus est Christus, dum in Cruce dixit: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Luc. 23. Eodem usus est & Seneca, hinc quibusdam sibi oblatrantibus dixit: Moverer, si iudicio hoc facerent; nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, sed de se. Præterea linguâ alienâ loquenti (juxta commune adagium) obsurdendum est; atqui lingua convitiâns non est Christiana, sed diabolica (nam ut bene advertit S. Hieronymus ad S. Eustochium, *Ira scilicet hominis est, frantum iracundia imponere Christianis*) ergo tacendum est potius, quàm loquendum.

VIII. Declaret, si famam recuperare velit, Patronum optimum eligendum esse, qui hoc officium præstet; neminem autem esse meliorem, & peritiorum DEO, utpote cui mille juvandi artes suppetant, quique plurimis documentis suam in hoc negotio dexteritatem probârit, suadeat ergo, ut illi affectus cum silentio causam suam committat, audiâtque S. Davidem monentem: *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* Pl. 36.

IX. Interdum etiam proderit exempla eorum ob oculos ponere, qui ultro honores, vel jam adeptos dimiserunt, vel oblatos recusârunt. Quales sunt imprimis ipse DEI Filius, qui, teste Apostolo Philipp. 2. cum in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Cujus exemplum secuti sunt ex Pontificibus summis S. Cælestinus, qui ultro ad eum rediit, relicto Papatu. Pius V. verò, etsi non omnino reliquerit, tamen cum tanto tremore suscepit, & sustinuit, ut dixerit: *Quamdiu inter Monachos sui, erat salutis mee spes bona: factus autem Cardinalis cœpi nutare de illa: nunc vero creato Pontifici vix spei aliquid videtur reliquum.* Quod idem etiam Leo II. sensisse dicitur, ut qui & ipse dixisse creditur est: *Utinam infimi Monasterij potius, quàm Regni Cælorum claves tenere licuisset!* Quibus etiam Adrianus VI. adungi potest, ut, qui sibi ipsi hoc Epitaphium composuit Hadrianus VI. hinc situs est, qui nihil sibi infelicitus in vita quàm quòd imperaret, duxit. Ex Episcopis verò B. Petrus Damiani, S. Gregorius Nazianz. S. Adalbertus, Justus, Arnulphus Caroli Magni Avus Episcopatu cesserunt, S. Thomas verò, S. Bernardus, & S. Bernardinus & alij innumeri, etiam oblati.

oblatam recusarunt. Ex Imperatoribus, Imperatricibus, Regibus & Reginis multi ab Hieronymo Plato l. 1. c. 26. & 27. recensiti ultro illum honorem abdicarunt. B. Carolomannus Caroli Martelli Regis Filius etiam porcos custodivit, uti & B. Alexander Davidis Scotiæ Regis Filius vaccas mulsit.

X. Denique non parùm etiam proderit ad eiusmodi infamiam & contumeliam æquo animo patiendam, si is, qui eam patitur, imaginari sibi jubeatur, se nunc specimen suæ doctrinæ in virtutum, & humilitatis maximè, studio haustæ præbendi optimam occasionem habere, quem in finem ij, qui contumelias & injurias inferunt, quasi argumentantium vires obeunt, quibus proinde non melius respondebit, corumque argumenta eludet, quàm si silentio & patientiâ ad Christi exemplum ea excipiat; sic enim cum eodem Christo insignem sibi apud cælestes Spectatores & Auditores laudem, & nomen super omne nomen comparabit.

§. VI.

Quomodo consolandi sint, quibus Amicus, vel Parentes, vel Liberi sunt mortui.

I. His potissimum Operarius persuadere conetur, nullam ipsos causam tristitiæ habere, siue DEVM, siue defunctum, siue seipsum attendant. Nam 1. Si ad DEVM attendant, ille repetit, quod suum erat; si ergo, dum Depositarius repetit depositum suum, volentes reddimus, cur, si Pater cælestis repetit amicum, quem nobis ad tempus concessit, doleamus, & queramur? Præterea si boni Christiani sumus, nihil aliud velle debemus, quàm quod vult DEVS; si ergo ille voluerit defunctum nobis auferre, quidni & nos velimus? Cui ergo non exclamamus cum S. Hieronymo ad Paulam de obitu Blesillæ. *Bonus est DEVS, & omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est. Mariti orbitas irrogatur, plango, quod accidit; sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius; durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat.* 2. Si ipse defunctus attendatur, vel bonus is fuit, & bene defunctus est; vel malus fuit, & malè obiit; Si bene, lætandum potius est, quàm tristandum: nam ut S. Chrysostomus Hom. 23. in Matth. ait: *Illum abÿsse in præsentia*

*renna cum putes, ingentes cur adversum te suscitatis fluctus tem-
 pestatis? Hic autem fluctus presentis vite pernavigavit. Si ad
 imperandum, regnandumque hoc caduco, mortalique regno Fi-
 lius tuus abiisset, nolles eum inde redire, ut ipsum videres. Nunc
 vero cum ad meliora, maioraque regna processerit, parvi tem-
 poris absentiam ferre non poteris? Noli ergo plorare, reddidisti
 enim depositum, quod tibi creditum erat. Præterea si tu cum
 amantiſſimo amico in carcere constitutus esses, & illi à Regē
 gratia fieret, atque ex carcere in aulam transferretur, ut ibi
 continuis deliciis fruereſſet, an tu doleres, velleſque enim in
 carcere retinere? minimè profectò, si verus amicus esses. Ecce
 DEVS amicum tuum ex carcere corporis eduxit ad gaudia cae-
 lestia, & tu eum ab his impedire velles? si verò malus est, do-
 lendum iterum non est, quia pejor evaſiſſet, si diutiùs vixiſ-
 ſet, atque adeò majorem pœnam incurriſſet, quod DEVS
 prævidens rapuit illum; unde Tertullianus c. 9. de patientia
*Christum laudamus, inquit, cum evocatos quosque ab illo quasi
 miserandos non equanimiter accipimus.* Certè DEVS & Beati
 non minùs amant amicum tuum, quàm tu; & tamen illi
 etiam in tali casu constitutum non lugent, sed potiùs divine
 justitiæ & voluntati acquiescunt, neque tu etiam, si aliquan-
 do veneris eò, aliter facies; cur ergo non jam quoque facere
 possis, & facias, quod ibi quondam facturus es? 3. Si se-
 ipsos afflicti attendant, necdum habent causas dolendi, nam
 loco amici hujus aut filij ipsum DEVM habent, qui ipsos so-
 lari vel adjuvare possit, ergo meritò illi dici potest, quod
 2. Reg. c. 1. Elcana Annæ uxori dixit: *Anna cur fles? & quare
 non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? nunquid non
 ego melior tibi sum, quàm decem filij?* Nimirum vanum auxi-
 lium & solatium illis subtraxit DEVS, ut in illo tanquam
 fonte sinceriora quærant, cur ergo tam salutari consilio non
 acquiescant? Jubeat item meminisse, quantarum curarum
 causa fuerit defunctus, quantum impedimentum in divino
 servitio; hoc certè agnovit Melania Junior, de qua S. Hiero-
 nymus scribit, quòd calente adhuc Mariti corpusculo, & nec-
 dum humato, duos simul perdiderit filios, quos tamen in casu
 lacrymam non fudit, sed stetit immobilis, & ad Christi pedes
 devoluta quasi ipsam teneret, arrisit, & dixit: *Expediſti tibi
 hunc servitura sum, Domine, qui tanto me onere liberasti.**

Tandem ostendat, cum spes sit, defunctum talem in cœlestem aulam receptum esse, gratulari ipsos debere, quòd ibi tantum amicum habeant, qui & velit, & possit plurimum ipsorum commoda promoverè.

II. Proderit aliqua exempla afferre eorum, qui mortem amicorum forti animo tulère, quale ante omnia alia est exemplum Beatissimæ Virginis, S. Jobi, Matris Machabæorum, S. Felicitatis, & S. Symphorosæ, quæ septem Filios martyrio affici coram spectavit; Mauritij, qui ad singulos ictus, quibus Filij interimebantur, exclamavit: Justus es Domine, & rectum Judicium tuum. Præ reliquis tamen exempla S. Francisci Borgiæ Gandiæ Ducis, & Elisabethæ Andreæ Regis Vngariæ Filix ad hunc finem servient; quorum ille audita Conjugis dilectissimæ morte, nihil motus dixit: DEVS eam nobis commodârat, eandem jam repetijt; reddamus ergo eam illi promptè & alacriter, quin & gratias agamus, quod tam diu eâ nobis frui sit concessum. Elisabetha verò pariter audita Optimæ Conjugis Ludovici Turingiæ Ducis & Landgravij morte, animo ad DEVM converso dixit: Nôsti, Domine, quàm ego Maritum meum amârim, quòd & amaret te, & datus mihi esset à te: eundem à me modò hinc ad te evocatum repetijsti; nec invita reddo, sed nec, si vel uno capitis mei capillo ad vitam revocare possem, id vellem, si tu nolles. Hoc unum rogo, ut anima illius æterna in pace quiescat, & ego in obsequio tuo magis, magisque tuâ gratiâ convalescam.

III. Revocet in memoriam, quòd talibus amicis caruerint sine dolore, antequam ij nati essent, cur ergo non etiam nunc carere possint, cum ij amplius non existunt? imò in cælis magno gaudio exspectant ipsos, & ipsorum patrocinium suscipiunt? Simili modo etiam Seneca de consolatione c. 19. quendam solabatur dicens: *Absentes, absuturòsque dum viverent, non flebamus, quamvis omnis usus illorum nobis, & conspectus ereptus esset. Opinio est ergo, que nos cruciat, & tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus. In nostrâ potestate remedium habemus.*

IV. Præterea hortetur, ut spem & solatium in DEO unicè constituent; sic enim facilè jacturam omnium aliorum hominum sustinebunt, uti bene S. Augustinus I. 4. confess. c. 9. indicavit, dum dixit: *Beatus, qui amat te, & Amicum in te,*

& Inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, et omnes in illo chari sunt, qui non amittitur.

V. Denique prudentissimum S. Prophetæ Davidis factum & dictum ad imitationem proponat, qui, ut 2. Reg. 11. legitur, cum Famuli sui mirarentur, quòd ægrotante Filio Æristem ostendisset, & variis modis afflixisset, eo mortuo autem ad pristinam mentis hilaritatem rediisset, cibumque sumpsisset, hoc responsum dedit: *Propter Infantem, dum adhuc viveret, ieiunavi & flevi, dicebam enim; quis scit, si forte donet eum mihi Dominus, & vivat Infans? Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunem? numquid potero revocare eum amplius?*

§. VII.

Quomodo consolandi sint, qui graves persecutiones patiuntur.

I. **H**is ante omnia proponat Operarius ipsius Christi exemplum, qui Apostolos suos ad similes persecutiones præparaturus Jo: 15. dixit: *Si mundus vos odit, scitote, quia priorum vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, qui suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonem meum, quem ego dixi vobis. Non est servus maior Domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

II. Hortetur illos, ut exemplo S. Davidis non tantum oculos ad ipsum persequentem, quam ad DEUM id permittentem reflectant, dicantque adeò cum illo: *Dimittite eum, ut maledicat. Dominus præcepit ei, ut malediceret David, & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Ita S. Lupus Episcopus ait, qui, cum ab Attila Trojam Galliarum urbem occupare volente quaesivisset, quis es tu? & ille respondisset, se esse flagellum DEI, mox aperiri portas iussit dicens: *Salve flagellum DEI.* Jubeat ergo & ipsos, qui persecutiones patiuntur, aperire portas & sinum pectoris sui, & Persecutorem cum maximo charitatis, gaudiique affectu excipere. Hunc certè ob finem Christus olim S. Gertrudi dixit, se præ cæteris creaturis, quæ ipsi commoda corporalia deservierunt (uti sunt vasa, quibus in insania balneatus est) multò majorem honorem spinea coro-

na, lanceæ, &c. contulisse, ut & ipsi Dilecti Adversariis majorem amorem, quam Benefactoribus impendere studeant.

III. Considerare jubeat utilitates & commoda, quæ ex talibus persecutionibus oriuntur; quorum primum est amor & inclinatio DEI erga eum, qui patitur persecutiones; sic enim ipse Christus S. Gertrudi l. 4. infin. c. 60. indicavit dicens: *Singula verba detrahentium sume tibi loco virtutum, quibus exornata pervenies ad me, & ego compassiva pietate mea compulsus benignè suscipiam te. Et quanto plùs conversatio tua sine culpa reprobatur, eò amplius cor meum amatoriam blanditate tibi condescendit, quia per hoc efficietur mihi simillima, qui in operibus meis semper habui Perversores.* Secundum commodum est Familiaritas & Unio Hominis major cum DEO: ut iterum Christus eidem S. Gertrudi, cum ob persecutionum aliorum turbata esset, l. 3. infin. indicavit, dicens: *Ne contristare, delector enim tua cohabitatione, idè ut mecum manens mitto tibi Amicos contrarios, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me plenius recurras.* Hinc in vitis Patrum l. 7. c. 7. n. 4. legitur de Patre quodam, qui, quanto plùs aliquis ipsum perlequebatur, & injuriis afficiebat, tantò magis ad eum recurrebat, dicens: *Isti sunt, qui nobis occasionem præbent ad perfectionem nostram: qui autem beatificant nos, ipsi decipiunt nos, & semitam pedum nostrorum subvertunt.* Tertium commodum est ornatus animæ; sicut enim Spinæ coronam Christi, & cuspides aurei pretiosam vestem mirè exornant, ita & ejusmodi persecutiones patienter ac fortiter toleratæ singularem animæ decorem conciliant. Quartum est salutis securitas, quâ P. Balthasar Alvarez Societatis nostræ Presbyter seipsum animabat, dicens: *Erras, si cogitas, te integrum, & non bene contusum, perventurum ad cælum; cælorum enim regnum est detruncatorum, tentatorum, afflictorum, contemptorum regnum. Quomodo igitur auderes inter tot adèò celebres & decantatos Duces & Capitaneos comparere adèò timidus? vit. c. 40.* Quintum denique est Proximi ædificatio: ut enim inter Spinæ rosæ bene olentes nascuntur; ita inter persecutiones generantur pulchra exempla, quæ suo quasi odore aspicientes non parùm recreant.

IV. Revocet illis in memoriam, quod Christus eidem P. Balthasari ob persecutiones valde afflicto dixit: *Conquiesce, &*

ce, & in hoc solare, quòd hæc tua pressura geratur, videtur cognoscente me, qui, & si possem, non tamen removeo, etiam si plus te diligam, quàm te ipsum.

V. Hortetur illos, ut hoc ipso, quòd tam graves persecutiones habeant, magis se per orationem, & fiduciam, aliasque virtutes DEO conjungere studeant, ut dicere possint cum S. Paulo Rom. 8. *Si DEVS pro nobis, quis contra nos?* Ita sua sit piissimus Author l. 3. c. 36. dicens: *Quis es tu, ut timeas à mortali homine? hodie est, & cras non comparet. DEVM time, & hominum terrores non expavesces. Quid potest aliquis in te verbum aut iniurijs? sibi potius nocet, quàm tibi, nec potest iudicium DEI fugere, quicumq; est ille.* Sic S. Antonius Dæmonibus in diversa bestiarum forma apparentibus intrepidè dixit: *Si quia DEUS vobis dedit potestatem in me, exercete in me, irruite in me. Si autem nullam in me accepistis potestatem, cur fructus laboratis?*

VI. Jubeat illos considerare præmij magnitudinem, quæ persecutiones consequitur; hæc enim & Christus Apostolos suos consolatus est Matt. 5. dum dixit: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

VII. Denique meminisse jubeat, quòd dictum sit à S. Paulo 2. Tim. 3. *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Unde S. Gregorius l. 6. epist. 27. ait: *Epist. fidenter dico, quia minùs piè vivis, si minùs persecutionem patientis.* Hinc & S. Stephanus dicebat Act. 7. *Quem Prophetarum Patres vestri non sunt persecuti? cur ergo si piè vivere cupiunt cum Sanctis & piis hominibus, cum iisdem etiam persecutionem non libenter patientur?*

§. VIII.

Quomodo consolandi sint, qui angorem & tristitiam animi patiuntur.

I. **E**tiam his imprimis exemplum Christi ob oculos ponatur, qui cœpit pavere, tædere, & mœstus esse, dixitque Matt. 26. *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Sed & ad Patrem cœlestem clamavit Marc. 14. *DEVS, DEVS meus, patere*

relinquisti me? quis enim tali exemplo non moveatur ad an-
gorem suum æquo animo ferendum?

II. Proponat item exemplum illius Amici Christi, de
quo Rodriquez p. 1. h. 8. c. 29. referr, quòd, cùm per quin-
quennium gravissimis animi angoribus & desolationibus fu-
isset oppressus, & duo Angeli eum consolari vellent, ipse id
respuevit dicens, abunde sibi ad consolationem sufficere, quòd
DEI in se voluntas perficeretur.

III. Considerare ipsos jubeat, quod præclarè Taule-
tus sequentibus verbis notavit: *Postquam homo ab omnibus ab-
stractus iam puer esse desit, & abunde refocillatione divina dul-
cedinis roboratus est, tum DEVS panem cibarium ei porrigit, ut
potè iam viriles annos in spiritali vita asscuto. Expediit pror-
sus, ut ille solido duròq; cibo pascatur, nec decet eum deinceps lacte
foveri. Necessè est, ut ipse iam puerilibus ludis relictis, negotiari,
& victum suo labore conquirere, cœliq; sævitiam ac tempesta-
tes perferre discat. DEVS igitur vastam, tenebrosam, desola-
tamq; viam illi proponit, per quam eum deducens aufert, sive oc-
cultat ab eo dona omnia, quæ illi unquam largitus fuerat. Hic
iam homo totus sibi ipse relinquitur, ita ut nullam DEI notitiam
in se remansisse putet. Omnia exercitia sua, & quacunq; facit,
aut dimittit, prorsus insipida sunt, unde & anima illius præ cœ-
dio in illis dormitat. Tu, quisquis hæc experiris, non declines ad
vana solatia, sed esto fidelis cœlesti Sponso, viriliter age, probè te-
gere, nam certissimè DEVS tibi proximus adest. Tantum viva
fidei stipiti firmiter innitere, indubitanter melius habebis, omnia
prosperè cedent.*

IV. Saluberrimam illis Ludovici Blosij doctrinam c. 9.
Spec. Spirit. proponat, dum sic loquitur: *Quando videris tibi
magna obscuritate, ariditateq; contabescere, & gravibus angu-
stis premeris, si tunc conformis divina voluntati, miseriam &
afflictionem illam cum benigna tranquillitate propter DEVM to-
leras, multò gratior DEO es, quàm si divino lumine multùm ir-
radiareris, & intus florerent omnia. In pressura & afflictione
homo non ita facilè seipsum quarere potest, sicut in sensibilis dul-
cedinis, consolationisq; affluentia; in hac enim plerùmq; natura
se admiscet, & anima, si incautior fuerit, per immodicam dele-
tationem citò maculam contrahit. Sanè fieri non potest, ut ali-
quis resignato corde quidpiam sustineat pro gloria DEI, quin sa-
potens*

porem quendam divinitatis percipiat. Licet enim illi nihil fortassis sentire, id est sensibiliter gustare contingat (DEO ad tempus occultante) hoc ipso tamen ei, quod patitur, bene sapit, quod se lud ad aeternam DEI gloriam ferre velle cognoscit.

V. Etiam doctrinam à S. Henrico Susone apud Blois in consolat. pusill. traditam interdum in memoriam revocare non omittat, quæ sic habet: *Considerare libet, quàm suaviter & amorosè aeterna Sapientia cuncta disponat, dum, quod plurimum sibi nocere pleriq; angustis, tentationibusq; gravissimis pressi arbitrantur, ipsa ad summam eorum utilitatem inflectit. Magnam siquidem Purgatorij partem illa afflictio tollit, & eorum patientibus impendio prodest, atq; ingens præmium adducit. Quamvis enim multorum criminum se reos arbitrantur, sed vitam DEO veri, magniq; martyres sunt, cum nulli dubium sit, longè acerbiorum huiusmodi perpetuam afflictionem dolorem confligere, quàm unius carnificis ictus collo exceptus. Unde & Talerus ibidem hortatur: *Amaritudinem, quam sentis, pro inferno & purgatorio suffer patienter. Verè namq; pura, resignata & patientis anima, nuda ac munda evolans ad regna caelestis Patrii (ubi mille anni die uno breviores sunt) conscendit.**

VI. Singulariter tamen aliam doctrinam ibidem aliam commendat: *Sciendum est, fidelitèq; retinendum, quòd in Homine DEVM purè intendente saepe gravis quaedam pressura & angustia oboriatur, quâ oppressus videtur sibi, DEVM non percipit, & ita omnium laborum suorum fecisse iacturam, omnemq; perdidisse operam. Hinc iam pacem pectoris amittit, animiq; mororem & perturbationem incurrit. Hæc autem pressura nonnunquam ex gravitate naturali seu indispositione, seu complexionis malitia, nonnunquam ex influentia cæli, vel aëris inæqualitate, nonnunquam verò ex maligni Spiritus operatione, qui per huiusmodi gravissimas immissiones suas bonum hominum istum perturbare molitur, accidere solet. Sed hæc suavitè eliminanda sunt, cum benigna, tranquillâq; mansuetudine, ita enim facilius vincitur. Unde non satè rectè faciunt quidam, qui pressuram hanc violenter & impetuosè à se excutere, eandemq; perturbare volunt, destruentes ac debilitantes per hoc capiti, quiq; nimis inordinatè Doctores & DEI Amicos pio consilio & auxilio accedunt, eripere se inde, & evadere cupientes, unde saepius magis implicantur, cum nemo facile eas extrahere, & expellere queat.*

ve queat. Quamobrem ubi ista pressura & tempestas in homine exurgunt, haud secus faciat, quam solent homines facere, ubi tempestas oritur. & pluvia vel grandines cadunt. Tunc enim fugiunt omnes sub tectum, donec tempestas sopiatur, & pluvia cessent. Ita & ipse, ubi intra se simpliciter sentit, ac deprehendit, quod nihil velit, neque desideret nisi DEVM, dum hac pressura corripitur, modestè, subtilitèq; fugiat, donec integrè sibi ipsi restituatur, simulq; in vera resignatione, ac patienti abstractione humiliter sustinens, tranquillo ac benigno animo in hac afflictione DEVM prosteretur.

VII. Quoniam hi angores non modicè augentur ex eo capite, quòd quis ex propria sua culpa ortos credat, ideo in tali casu Operarius consilium S. Laurentij Justiniani de discipl. & perfect. mon. c. 18. col. 6. datum suggerat. *Humani generis adversator Diabolus, ait, consuevit deprecantis animum memoria perpetrata culpa percutere, quatenus ex hoc amittat fiduciam, & ex impedimento concepta pusillanimitatis non valeat devotionis exercitia secundum consuetudinem peragere. Huic autem fallaci suasioni nequaquam fides accommodanda est. Proinde Christi miles egregius caveat, ne confundatur, sed cum se peccasse cognoverit, humiliter in spiritu ante pedes Domini se prosternat, confiteatur delictum suum Domino, blandisq; verbis offensum mulceat dilectum, & statim gratia intelliget adesse presentiam, per quam resumptis anima viribus & concepta fiducia, de cetero Domino quieto animo vacare valebit. In eundem sensum Taulerus apud Blossium l. c. sic loquitur: Plerique aliqua molestia gravati ita mihi dicere consueverunt: Pater, male mecum agitur, diversis enim afflictionibus, multoque mœrore perturbor. Et ego rectè cum illis agi pronuntio. Tum illi: non, aiunt, Domine, sed meâ culpâ id actum. Ad quod rursus ego: Si tuâ culpâ id actum sit, si ve non, credo, ipsam afflictionis Crucem à DEO tibi impositam, eidemq; gratias agens sustine, & resigna te ipsum. Rursus illi: Sed magna intus aviditate, obscuritatèq; contabesco. Quibus ego; Feras, aio, dilecte Fili, patienter, & melius tecum agetur, quàm si in magna, multaq; sensibili devotione versareris.*

VIII. Denique non modicam consolationem percipient ejusmodi afflicti, si ipsis rationes, ob quas DEUS ejusmodi angores & desolationes immittit, proponantur, quarum septendecim

iendecim enumerat Gerson Cancellarius confid. 6. de myst
 Theol. nimirum 1. Ad superbiam retundendam vel cavendam. 2. Ad desiderium vehementius inflammandum. 3. Ad
 cognitionem propriæ vilitatis, ut homo sibi vilescat. 4. Ut
 induat viscera pietatis super aliorum desolatione. 5. Ad Sa-
 tisfactionem per dolorem illum sensibilem, quem patitur
 6. Ut, qui possunt alios juvare, non ita se dedant internis con-
 solationibus, ut à caritatis negotiis & aliis juvandis retrahantur.
 7. Ut experienciâ per hanc tentationem edoctus, virtutes
 cæteras & melius discat, & efficaciter doceat. 8. Ne de-
 rat pro hac dulcedine DEI iussa. 9. Ad punitionem veni-
 lium, tanquam si Pater tristiores Filio faciem ostendat, ut
 in omni modestia & custodia reddatur diligentior. 10. Ut in-
 telligat non haberi hoc per propriam industriam, neque
 volentis aut currentis esse DEI, sed miserentis. 11. Ad pur-
 gationem maris spiritualis, quod ex nimia quiete sordes con-
 trahere solet, quas exagitatio, commotioque depellit. 12. Ut
 innotescat, an gratis timeat DEUM, & paratus sit absque fi-
 pendio consolationum & suavitatum suo Imperatori deservire.
 13. Ne incipiat, dona DEI pro ipso diligere ipsis inhærens,
 iisque se oblectans, cum tamen Pater indulgentissimus
 hæc dispensatoriè subtrahat, ut cibum aut pomum, parans in-
 terim hæreditatem & regnum. 14. Interdum ad conservatio-
 nem corporis & virium, ne in lacrymis, gemitibus, & dulcedi-
 ne sensibili tabescat, & deficiat. 15. Ut provocet DEUS, sicut
 Aquila pullos ad volandum, ut Mater Filium ad horam relin-
 quit, quò instantius ille clamet, accuratius quærat, artius
 stringat, & illa vicissim blandiatur suavius. 16. Ad exercen-
 dam patientiam, quia sic affici non est sine tribulatione magna
 & anxietate. 17. Et postrema, ut vel hinc conjiciat animam
 quantæ futura esset amaritudinis perpetua separatio, si tantu-
 la subtractio sic afficit. Quæ omnes utilitates non modice
 nè excitare poterunt ad omnem angorem animi magna
 cum alacritate tolerandum.

* *

(5) ? † ? (50

§. IX.

Quomodo consolandi sint, qui graves tentationes patiuntur.

I. In primis his quoque exemplum Christi ob oculos ponatur; nam, ut rectè S. Hieronymus in c. 6. epist. ad Gal. discurret: *Si Salvator noster tentatus est, quis potest esse securus, tentatum se vita huius maria transire?*

II. Conditionem vitæ humanæ in memoriam illis revocet, quæ, teste Jobo c. 7. est militia super terram; unde rectè pius Asceta l. 1. c. 13. ait: Non est homo securus in tentatione, quamdiu vixerit, quia in nobis est, unde tentamur, ex quo in concupiscentia nati sumus. Quam ob causam Christus non iussit nos orare, ut non habeamus tentationes, sed ut non inducamur, id est, vincamur ab illis.

III. Considerare illos jubeat, quòd, teste S. Jacobo, fidelis sit DEUS, atque adeò non passurus sit, ut ultra vires tententur; si enim, ut rectè discurret S. Ephrem. s. de patient. Homines, cum tam parùm sciunt, sciunt tamen discernere, quantum oneris singula jumenta ferre valeant, tantùmque imponunt, quantum eorum vires tolerant: Si etiam Figulus vasa efformans novit, quantum ea tempore in igne relinqui oporteat, ne, si diutius relinquat, adurantur; si minùs, dissolvantur; quantum magis DEUS, cujus est infinita potentia & sapientia, novit, quibus tentationibus & probationibus indigeant animæ ipsi placere volentes, neque maiòres permittet, quam ipsarum utilitati conducant. Hinc meritò S. Augustinus in Pl. 61. hortatur: *Noli timere, permissum facere aliquid Tentatorem; habes enim misericordissimum Salvatorem. Tansum permittitur ille tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, & proberis, ut, qui te nescibas, à teipso inveniaris.*

IV. Ostendat illis, quàm parùm illis Tentator nocere possit, nisi ipsi velint. Eum in finem pulcherrimam illam S. Augustini s. 197. de temp. sententiam illis in memoriam revocet, dum sic loquitur: *Sed dicit aliquis: Si alligatus est (Diabolus) quare adhuc tantùm prævalet? Verum est, Fratres charissimi, quia multùm prævalet, sed tepidis & negligentibus, & DEVM in veritate non timentibus. Alligatus est enim catenis, & ne-*

& ne-

Et neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera seruitute coniunxerit. Iam videte, Fratres, quàm stultus est homo, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli coniungere, & ille ad te non profert accedere: latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem; non enim cogendo, sed suadendo necesse est, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.

V. Demonstrat illis, quàm paratum habeat ad tentationes suas vincendas auxilium. Nam in primis, sicut olim abbas Moyses Isidoro Monacho ob tentationes Monasterio exire volenti, inmensam quidem ab initio multitudinem Demonum ex parte Occidentis ostendit, mox verò ad Orientem respicere iussit, ibidemque majorem longè SS. Angelorum auxiliandum illi paratorum copiam monstravit, ita idem ipsi quoque sperare possunt. Præterquam quòd ipse etiam Deus pro ipsis stet, atque adeò meritò dicere queant: Si DEVS pro nobis, quis contra nos?

VI. Jubeat illos præmium, quod ex victoria tentationum sperare possunt, ob oculos ponere; de quo præclare Bernardus c. 19. de domo int. ait: *Molesta est lucta, sed præiosa, quia, si habet pœnam, habebit & coronam; non nocet, sed ubi non est consensus; imò quod resistentem fatigat, vincens coronat.*

VIII. Ostendat illis, quantopere DEO placere, et ipsius amorem sibi conciliare possint, tentationes fortiter sustinendo; sicut enim probata amicitia magnam hominibus delectationem afferre solet, sic quoque DEO comperta Justis fidelitas in tentatione summopere placet, & perquam illi gratum efficit. Unde cum S. Gertrudis, ut Blossius c. 4. monil. spir. refert, propter minutiolem defectum sese multum arguens petisset à Domino, ut illum penitus in ipsa emendaret, atque ipsa auferret, Dominus blandè illi respondit: Et quare velis, ut ego magno honore, & tu ingenti præmio careres? quandoquidem homo studet pro amore meo defectus vincens tantum mihi honoris ac fidelitatis exhibet, quantum miles strenuus Duci suo exhiberet, si strenuè seipsum in bello inimicis opponeret, eosque viriliter prosterneret.

VIII. Proponat iisdem ob oculos solatium & præmium, quod victoriam talem sequetur; si enim tantopere

dent, ubi victoriam aliquam insignem de capitali hoste Patriz reportatam audiunt; quanto majus percipient gaudium ac solatium, si Dæmonem velut animæ suæ capitalissimum Hostem ipsi vicerint. Hinc meritorè pius Author l. 2. de imit. Christi c. 9. ait: *Solet sequentis consolationis precedens tentatio esse signum; nam tentationibus probatis celestis promittitur consolatio. Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno vitæ. Et iterum: Vincenti dabo manna absconditum. Apoc. 2.* Nimirum sicut Angeli Christo post superatam tentationem cibos cælestes ministrabant, ita DEVS ijs, qui simili modo vicerint, cælestes suas consolationes submittet.

IX. Alias quoque utilitates tentationum ijsdem enarrabit; nam, ut verè iterum Thomas de Kempis l. 1. c. 13. pronunciauit, sunt tentationes sæpe valde utiles, licet moleste sint & graves, quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur; imò & probatur juxta illud Deut. 13. *Tentat vos Dominus DEVS vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, vel non, in toto corde, & in tota anima vestra.*

X. Denique non paruum etiam solatium creare poterit, si ipsis narretur, quod olim Christus S. Birgittæ quærenti, quòd tam gravibus tentationibus, & inutilibus cogitationibus vexaretur, respondit: *Hæc vera est iustitia, inquiebat, ut, sicut prius delectabar in vanitatibus mundi contra voluntatem meam, ita modo tibi molesta sint varia, peruersaque cogitationes contra voluntatem tuam. Veruntamen time iudicium meum moderatè & cum discretionè, firmiter semper confidens in me DEO tuo; certissimè enim scire debes, malas cogitationes, quibus mens reluctatur, & quas detestatur, esse purgationem atque coronam. Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 29.* Unde meritò S. Jacobus c. 1. dixit: *Omne gaudium existimate, Fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quòd probatio fidei vestra patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Quod bene agnoscens Abbatissa Sara tredecim annis à fornicationis Spiritu tentata, nunquam oravit, ut recederet ab ea hujusmodi pugna, sed hoc solum dixit: *Da mihi fortitudinem DEVS, uti in vitis PP. l. 6. refertur.*

CAPUT IV.

DE CURATIONE APOSTOLICA
PECCATORUM.

PER Curationem istam aliud hoc loco non intelligitur, quàm Peccatorum ad statum gratiæ reductio, quæ quantoperè conveniat Operario Apostolico, vel ex eo facile colligi potest, quòd sicut ex vocatione sua Christum sibi per curam animarum imitandum suscepit, ita singularem quoque juxta ipsius exemplum sollicitudinem pro conversione peccatorum obtinenda gerere debeat, ita ut ipse quoque dicere cum Christo quodammodò possit: *Non veni vocare iustos, sed Peccatores ad pœnitentiam*, Luc. 5. Ipse quoque de se dicere debet posse cum eodem: *Ego sum Pastor bonus*: atque adeò, ubi perditam advertit oviculam, non quiescere quærendo, donec inventam. Ipse denique dicere debet cum S. Chryostomo hom. ad popul. *Sum communis Pater omnium, eòq; necesse est curam agere non tantùm eorum, qui stant, sed eorum quoque, qui collapsi sunt: non eorum modò, qui secundis navigant ventis, sed & illorum, qui tempestate iactantur: non eorum modò, qui in tuto sunt, sed & illorum, qui periclitantur. Vnde & eos, qui iam demergæperant, in portum tranquillum porrecta manu deducere jubæo*. Et si verò hoc officium magis propriè ad Confessorum spectet, atque adeò in Instructione quinta Confessoriorum et Instituto de hac materia agendum sit; quia tamen frequenter, etiam extra confessionem, Operario offertur occasio cum Peccatoribus agendi, etiam hoc loco pro integritate materiæ breviter indicare placet, quâ ratione hoc munus Apostolicæ Curationis ab eo suscipiendum, & peragendum sit.

§. I.

Quæ industriæ in genere circa Curationem Apostolicam sint observandæ.

Primam in hoc munere industriam S. Franciscus Xavierius peritissimus ille Animarum Medicus obtulit, qui, ut vitæ l. 4. c. 22. videre est, hortabatur, ut, si quis Curator animarum in oppidum ignotum venerit, ante omnia student ex probatæ Virtutis ac Fidei Viris cognoscere, quæ vitia aut

negotia iniquè contracta in eo vigeant. Caput quippe dicebat esse ad homines iuvandos, gentis universæ ingenium ac mores nôsse, &, quoad licet, singulorum morbos, qui diffideant inter se, qui inimicitias gerant, quæ fraudes, quæ iudiciorum iniquitas, quæ perfidia Testium, quæ Judicum corruptelæ. Itaque ex Viris prudentibus ac peritis hæc percontanda sunt, & simul exquirendum, quâ tandem insistere oporteat viâ ad illorum mores, mentesque sanandas. Quod ipsum monitum etiam erga privatum quemvis Peccatorem observandum P. Caspary Barzæo suadebat dicens: Jam pravos cuiuspiam mores emendaturus non prius manum admovebis, quam intimos ejus perspexeris sensus. Itaque magnopere tibi suadeo, ut primùm odororis, atque investiges, an is vitio aliquo aut perturbatione occupatus ab animi sui salute abhorreat. Unde prudenter monet S. Isidorus Pelusiota l. 3. c. 8. epist. eos, qui calamitates & morbos suos spirituales commemorare cupiunt, blandè ac suaviter admittendos esse, ac potestatem illi per hujusmodi sermonem dolore levati fuerint, tum demùm eam, quam par est, medicinam adhibendam; nam si confestim ipsis ora obstruantur, inhumani hominis estimationem colligi, & remedium imbecillum atque invalidum reddi, ipsâ doloris flammâ illud repellentè.

II. Alteram industriam S. Ignatius, ut l. 5. vit. c. 11. legitur, suggestit, quando dicere solebat, in vocandis hominibus ad virtutem suis armis petendum Sathanam, iisdemque utendum artibus ad salutem, quibus ille ad perniciem abutitur. Quippe eum viros justos non continuò apertis consueville fraudibus & insidiis, sed tectis & quasi quibusdam cuniculis oppugnare; ac primò quidem nihil rectis ejus actionibus adversari, quin potius callidâ omniâ dissimulatione probare, multa etiam, quæ speciem præbent honesti, astutè suggerere, atque ita sensim in ejus familiaritatem sese insinuare, tam ad extremum simplicem hominem, & veteratoriam fraudem ignatum, laqueis suis irretiat, implicatumque teneat. Idem ergo in alliciendis ad salutem animis faciendum. Laudanda prudenter initio, quæ sunt in hominibus recta, vitiis parumper intactis, ac leniter in eorum gratiam irrumpendum. Quâ conciliatâ demum admovendam morbis animi medicinam, ut, cum ingressus eorum quodammodo fuerit,

Instr. III. L exitus

exitus nostri sint. Ita sanè S. Franciscus Xaverius facere solebat, de quo sic scribit Turfelinus: Si quem vesano irrotum amore teneri compererat, qui alicujus autoritatis et ac pretij, hâc potissimum arte illum adoriebatur. Blam primùm ac familiariter Hominem affatus, si minùs invitatur, comiter se illi offerebat ipse convivant, jucundòque sermone convivium celebrabat, aditum salubri admonitione præparans. Inde ubi in ejus se familiaritatem bene penetrasset, ingressus orationem de vitiorum turpitudine, seorsim ad libidinis sceditatem delabebatur, ejusdemque incommoda, & simul cælestes adiciebat minas; ad ultimum, ut permotum cum senserat, manu familiariter prehensum ad Peccatorum inducebat Confessionem.

III. Tertia industria est, ut in curatione tali ipsam morborum spiritualium radicem evellere studeat; hic enim *est Medicorum*, teste S. Chrysostomo l. 2. in paralyt. demissum, *ut non priùs morbos abigant, quàm eorum fontes occidant*; frustra enim cicatricem curaveris, si serpant interiora contagia: imò acerbatur vulnus, si foris clauditur, cum interioris vulnus exæstuat, ut rectè S. Ambrosius in ps. 61. advertit. Hinc S. Franciscus Xaverius levandæ molestiæ, iracundiæ, iræque leandæ unicum remedium dicebat esse, angoris, iracundiæ causam extenuare, verbisq; elevare.

IV. Quartam industriam idem S. Franciscus sequentibus verbis suggestit suprâ memorato Barzæo: Jam omni efficere nitèris, ut, quos erudis ad pietatem, suas tibi tentationes, incursantesque animum motus aperiant; hoc quippe ad virtutis absolutionem præcipuum præsidium est tuis in hoc genere pugnæ, aut non satis peritis, exercitiisq;.

V. Quintam industriam S. Isidorus Pelusiota oblati dicens: *Quemadmodum optimus Medicus ad egrosantis morbo subsidium arte instructus & armatus, cum variis morborum generibus corpus obsidetur, adversus eum, qui acrius urget, in procinctu stans, eos, qui dilationem admittunt, in posterius servat tempus eodem modo tu quoque medendarum animarum scientiam prudentiâ temperans, ad id, quod amplius urget, oculorum conspectum intende; nam eo sanato spes est, fore, ut reliqua etiam sanentur.* Cujus doctrinæ pulchrum exemplum S. Gregorius

In epist. ad Augustin. Monach. suppeditat, cum enim hic Augustinum Monachum sanctitate & doctrina clarum in Britanniam misisset, & ille peracto feliciter negotio, quæreret, num reliquias quasdam gentilismi & veteris nequitia, quas adhuc adverteret, relinquere deberet? rescripsit Sanctus, monuitque, ut quædam Britannorum imbecillitati permitteret, quia, inquit, S. Mater Ecclesia quædam per favorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per confusio- nem dissimulat, atque portat, ut sæpe malum, quod aver- sat, portando & dissimulando compescat.

VI. Sexta industria est, ut, sicut Medici, teste S. Ambro- sio in ps. 93. non statim adhibent medicamenta languori; sed si dolor fervet, fomenta adhibent: si febris exæstuat, remedi- j tempus expectant, ita & ipse certa curationis tempora pru- denter expectet, ne, ut S. Chrysostomus l. 7. epist. 112. lo- quitur, si immaturè medicamentum obtulerit, fiat causa pe- riculi res salutis. Ita de S. Francisco Xaverio Turfelinus l. 2. t. 22. testatur, quod mirè octasioni imminens, temporis as- loci captarit opportunitatem, ne fortè, ut plerumque fit, sau- tiam mentem exulceraret magis admonitio, quàm sanaret.

VII. Septimam industriam iterum Medici docent, dum- quædiu necessitas aliud non exigit, suaviora potiùs, quàm acerba præscribunt, & adhibent media; id quod in spirituali curatione præcipuè observandum est, uti præclare S. Fran- ciscus Xaverius advertit, qui, ut Turfelinus l. 2. vit. c. 17. refert, inter præcepta, quæ ad animarum conversionem suis præscripsit, etiam hoc ponebat, ut Christianæ magis humili- tatis, quàm potestatis memores, paternum in omnes impe- tum exercerent, amorem sibi magis conciliando, quàm ti- morem, quia nulla re magis, quàm amore in omnes partes animus flecti potest, uti ipse non semel expertus est, dum quo- tandam animos adeò perditos, ut nec scelera sentirent, nec remedia ferrent, hâc arte adjuvit. Hinc monebat, ut omnis truculentia vultus, orationisque acerbitas removeretur, & tempestivi potiùs complexus (si Personæ ratio id ferret) cre- braque demissionis indicia interponerentur, ut hisce rebus delinquitus Peccator æquiore animo admittat monitionis me- dicamentum. Si namque ad reprehensionis acerbiteriam accesserit ipsius etiam reprehendentis anxietas, profectò

ingenti Spiritu Homines rei insolentiâ stomachantes, verborum salubritatem aspernabuntur, & amore in odium vel omnem erga eum, qui reprehendit, observantiam abijcient.

VIII. Octava industria est, ut non tantum Medicinam moderatè applicet (eò quòd juxta S. Bernardum ep. 25. *cura nunquam quidem remissa, sed prudenter tamen intermissa, plerumque plus proficiat*) sed, ut sapienter monuit S. Franciscus Xaverius, etiam pertinaces animos, atque in flagitiorum cœno hæsitantes ita cælestibus minis urgeat, ut tamen nunquam illis divinæ clementiæ spes intercidatur, sed ejus intercedum commemoratione pectora eorundem mulceantur.

IX. Nona industria est, ut, quando aliquem à virtute abstrahere desiderat, certò sibi persuadeat, id multò efficacius apertè fieri (maximè postquam ab illo amari se existimat, quàm argutijs quibusdam & disterijs sive aculeatis verbis quæ animum occultè verberare solent, & cujusdam occultæ Censoris suspicionem ingenerare, quæ opinio liberæ conversationi & amoris affectui plurimum detrahit.

X. Denique etiam illud nonnullorum monitum non negligendum est, quo hortantur, ut salutis ac virtutis viam non tanquam rem arduam atque difficilem, sed facillimam, jucundissimam, hominèque libero dignissimam proponant, ita ut, etsi nullis ad eam vitæ rationem præceptis adstringeremur, ipsa tamen virtutis pulchritudo, & honesti speciositas, sicut olim multos Philosophos, trahere deberet. Atque fiet, ut generoso quodam animi impulsu, quod optimam & homine dignissimum esse cognoverit, sine magna difficultate aggrediatur.

§. II.

Quibus mediis uti dicebat Operarius ad Apostolicam Peccatorum curationem.

I. **M**ulta sunt quidem media, quæ Viri Apostolici, Etante Spiritu Sancto, & proprio Zelo impellente abhibuerunt ad conversionem Peccatorum. Quia tamen in hac Instructione animus duntaxat est, ordinarios modos curandi Proximum, & à quovis facillè practicabiles Operario nondum satis exercitato suggerere, ideo omissis rarioribus & exoticis medijs, sequentia duntaxat propono. Inprimis ergo

gnam cum Peccatoribus, & longaninem patientiam habere conetur Operarius, nec spem conversionis obtinendæ obijciat, cum & DEVS horum conversionem patienter expectet; præterea maximi etiã momenti sit unicum peccatum impedivisse.

II. Potissimum ferè medium ad horum animos emolliendos ducat orationem ferventem, & crebram pro ijs fufam; per hanc enim gravissimos quosque peccatores ad frugem conversos esse passim historiã produnt.

III. Summopere etiã studeat, in hujusmodi hominum amicitiam se insinuare, eosque variis obsequiis, præsertim verò blanda, suavique conversatione demereri; hãc enim viã non paucos à S. Francisco Xaverio emolliitos esse in ejus vita legitur.

IV. Si legere nõrunt, suadeat illis, ut singulis diebus tardè & attentè unum alterumve folium ex libello pio legant, maximè ex tali, qui vel de æternitate, vel de quatuor novissimis scibat. Hi enim Concionatores muti multò efficacius plerumque persuadent emendationem, quàm ij, qui in cathedris cum strepitu detonant.

V. Specialiter illis commendet affectum & fiduciam ad SS. Domini Passionem, horteturque, ut singulis diebus semel vel sæpius ad honorem illius orationem Dominicam vel satisfactionem Angelicam recitent: eum in finem juverit illis indicare, quod Christus quondam S. Gertrudi dixit. *Quilibet poterit respirare in spem venia offerendo DEO Patri meam innocentissimam Passionem & Mortem. Credat igitur Peccator, se per hoc obtinere saluberrimum fructum indulgentia; quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, sicut devota memoria mea Passionis cum fide recta & vera penitentia.* l. 4. In sin. div. piet.

VI. Simili modo conetur eos ad singularem fiduciam & amorem erga B. Virginem excitare. Quare proderit narrare illis, quod olim DEVS Pater S. Catharinæ Senensi dixit: uti apud Blossium c. 1. Monil. Spirit. videre est. *MARIÆ unigeniti Filii mei gloriosa Genitrici à bonitate mea concessum est propter Incarnati Verbi reverentiam, ut quisunque etiã Peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à Damone infernali.* Hac est enim à me electa, parata & posita

tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, & præcipue omnes peccatorum. Item quòd B. Virgo eodem Blofio teste l. 1. ipsa S. Brigittæ revelavit dicens: *Quantumcunque homo peccet, si toto corde, cum vera emendatione & charitate ad me confugerit, statim parata sum recipere venientem. Nec attendo quantum quis peccaverit, sed quali intentione & voluntate redit ad me. Nam peccator quamlibet vilis & sordidus sit, non dedignor eius plagas ungeri & sanare; quia vocor, & verè sum Mater misericordia.* Hinc S. Gertrudis, ut ibidem refertur, aliquando vidit accurrere sub chlamydem dulcissimæ hujus DEI Genitricis veluti bestiolas quasdam diversi generis, per quas significabantur peccatores specialem devotionem ad illam habentes. Has omnes illa benignè recipiens, & quasi sub pallio protegens, delicata manu sua singulas contrectabat, deliniebatque, & ipsis amicabiliter blandiebatur, quemadmodum quis blandiri solet catulo suo. Suadeat ergo Operarius, ut hanc S. Virginem peccator, cum quo agit, varijs obsequijs demereri sibi studeat, maximè singulis diebus aliquid in honorem ejus recitando, in ejus festis confitendo, per diem integrum, maximè verò Sabbati, abstinendo ab illo vitio, quo maximè infestatur. Eum in finem conveniet unâ alterare brevi historiâ ostendere, quàm salutare hoc medium multis peccatoribus fuerit, v. g. illi Militi, cui Diabolus servi specie assumptâ per quatuordecim annos servierat, occisurus illum, si vel semel salutationem Angelicam, quam recitare quotidie consueverat, omisisset, qui tamen postea B. V. patrocinio, & ope Eremitæ cujusdam, fraude dæmonis detectâ, egregiè resipuit. Uti fusiùs in spec. Exempl. V. Salut. Angel. ex. 5. refertur. Alius verò, qui Sabbato Virginis Mariæ nomen habentis pudori amore Beatissimæ DEI Matris pepercit, in torneamento occisus, contritionis elicite gratiam, & cum hac salutem obtinuit. Ibid. V. Horæ Canonice ex. 4.

VII. SS. Eucharistiæ usum quoque, si possit omnibus modis persuadeat; ibi enim mensa est, quam paravit Dominus adversum eos, qui tribulant peccatorem, vitiorum habitus; ibi humanus sanguis latet, qui, si hauriatur à peccatore, morbo caduco ad peccati lapsum impellente eum liberabit. Expertus hanc efficaciam est miles ille, qui concubine amore implicitus, cum S. Bernardi suasu in agone constitutus SS. Eucha-

Evcharistiam recepisset, adeò mox mutatus est, ut summè jam deestatus sit, quam summè priùs deperierat, uti fusiùs in speculo exempl. V. attritio videre est.

VIII. Nonnunquam proderit adhibere medium illud, quo S. Bernardus peccatorem quendam à prava consuetudine abduxit, dum illi suasit, ut triduo tantùm ad honorem SS. TRINITATIS à familiari sibi vitio abstineret; quod cum ille fecisset, suasit S. Bernardus, ut alterum triduum ad honorem CHRISTI adijceret; quo consilio observato ita ille immutatus est, ut etiam sine pacto ullo deinceps abstinere statueret.

IX. Salubre quandoque etiam fuerit, dolo bono circumvenire peccatorem, & ad exemplum Nathan Prophetæ, Parabolæ, vel etiam Historiæ propositione ipsi Status sui peccatum, vitæque sceleratæ turpitudinem ostendere, quod tamen ab initio dissimulanter admodum faciendum est, ne fraudem mox advertens difficulter capiatur. Parabolæ autem vel Historiæ tales possunt esse. 1. Narret ex Acroamatis Jacobi Bidermanni Historiam de Filio, qui in vineam ire iussus, Patrem in itinere invadens dejecit in terram, & cultro interemit. Inferat subinde hoc facere peccatorem respectu Dei Patris. 2. Narret ex eodem libro Historiam de muliere illa, quæ captivum maritum testudinis suæ auxilio ex turcica captivitate liberavit, fingatque, eam postea domi à marito male habitam, & tandem post gravia & repetita vulnera penitus occisam: & inferat hoc Peccatores respectu Christi facere. 3. Fingat fuisse Reginam, quæ ex humili loco in aulam translata ad regias nuptias, miscuerit se aliquoties caeculis & liliis, & neque à Rege privatim monita, neque minis deterrita abstinuerit. Tali Parabolâ propositâ exspectet, quid peccator judicet, & tum inferat: Tu es illa Sponsa Spiritus Sancti, &c. 4. Fingat aulicum ob delicta sua sæpiùs à Rege monitum, jamque excludendum ab aula, amicorum tamen precibus fuisse servatum; sed illum post decies recuperatam, Amicorum ope, gratiam apud Regem, necdum tamen resipere, sed in antiqua peccata frequentius labi; an hic ulteriori Amicorum auxilio dignus videbitur? Inferat subinde Peccatorem esse, qui toties Sanctorum precibus in gratiam cum DEO reductus, necdum tamen resipiscat. 5. Fingat hominem aliquem eò insanix redactum esse, ut ultro vestes exuens

porcorum stabulum intraverit, ibique cum porcis habitans, filiquas & fæces comederit, in luto, si quod vidit, se xpluravit, vomitum resorbuerit &c. Inferatque, peccatorem esse talem, bestiisque se assimilare. 6. Fingat esse aliquem, qui Testamentum, quo ingens Hæreditas ei transcribatur, vili pretio vendiderit; & ostendat, talem esse peccatorem, qui gratiam pro vili voluptate vendat. 7. Fingat Ducem quandam, cui Arx valde opulenta commissa sit, eaque insuperabilis, vili pretio corruptum, se & arcem Hostibus capitalissimam tradidisse. Inferat hoc peccatorem agere, qui Arcem animæ diabolo tradit. 8. Fingat, comicum fuisse, qui, cum pollicitus fuisset comœdiam exhibere, atque ideo Regem cum tota Aula sua invitasset, nunquam tamen in theatrum prodierit, & comœdiam auspicatus sit. Inferat, talem comicum esse peccatorem, qui conversionem differt.

X. Quandoque illi ostendat, quantum gaudium creare possit DEO & omnibus Sanctis, si seriò se emendet. Eum in finem proderit attulisse favores speciales, quos peccatoribus sincerè conversis exhibuit DEVS, maximè S. Magdalenz, Mariæ Ægyptiacæ, Pelagiæ &c.

XI. Proderit etiam declarare minas, quas proposuit DEVS in S. Scriptura adversus eos, qui vocantem DEVM audire distulerunt, maximè illam Prov. c. 1. ubi ait DEVS tales: *Quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, evenerit.* Ad quarum minarum confirmationem adducat unum alterumve exemplum Tragicum, in quibus minæ tales impletæ sunt; maximè illius rustici, pro quo, cum post mortem ejus ex Psalmo De profundis ille Versiculus: *Fiant aures tua intendentes &c.* cantaretur, Imago Crucifixi feretro insistens manus de ligno resolvit, iisque aures obturavit.

§. III.

Quomodo agendum sit cum illis, qui Inimicitias deponere nolunt.

I. **G**ra quoque media adhibere convenit, ut, si unum non proficiat, alterum sortiatur suum effectum. 1. In primis ergo

proponat talibus personis exemplum DEI, uti Christus Matt. c. 5. fecit, dum dixit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate prosequentibus vos, ut sitis filij patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.*

II. Proponat exemplum Christi, qui in cruce exclamavit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*, Luc. 23. Inferat ergo: Si Dominus inimicis tam gravibus tam liberaliter ignovit, tu servus illius minoribus non ignosces? Hoc exemplo Theodosius Imperator se animabat; cum enim rogaretur, ut veniam iis, qui ipsum offenderant, daret, respondit. Quid mirum est, si nos, qui homines sumus, homini ignoscamus, cum Christus, qui DEUS est, inimicis suis tantis tam liberaliter ignoverit? Merito ergo S. Bernardus in tr. de Pass. c. 8. ait: *Reconde in thesauro cordis tui hoc verbum (nempe Pater, ignosce illis,) ut, quotiescunq; serviunt inimici, memoriam abundantia suavitatis IESU valeas eructare, hunc clypeum contra inimicorum insultus opponens.*

III. Ostendat, quam necessarium sit, ignoscere inimicis, eo quod alioqui nec nobis dimittantur peccata nostra, uti patet ex sermo Evangelico debitum suum parvum dimittere nolente. Hunc in finem proderit unum alterumve exemplum paulo terribilius adferre, v. g. de Sapritio Sacerdote, qui jam ad martyrium ductus, quia Nicephoro veniam petenti eam negavit, mutata mente Dijs immolavit, uti apud Surium 9. Februarij videre est. Aut de muliere, quæ, cum in turba hominum ab Adolescente leviter impulsæ & humi prostrata, veniam flexo poplite, & junctis manibus petenti negasset, à dæmone inspectantibus omnibus abrepta, & in puteum dejecta est, uti S. Bernardinus Senensis s. 15. Quadr. refert. Aut de illa muliere, quæ, quia dimittere noluit, in morbo, dum ei SS. Eucharistia pro viatico offertur, vultum avertit, & dixit: sicut ego averti vultum ab alijs, nolens eis dimittere, ita DEVS avertet nunc vultum suum à me. Hæc dicens obiit. Spec. Exempl. V. Dimittere ex. 6. Aut de illo, qui cum esset mortuus, & in Ecclesia pro eo preces consuetæ dicerentur, Crucifixi imago manus retraxit, & auribus apponens dixit: *Nec pepercit, neque parcam.* ib. ex 4. Quod si dubitaret Sacerdos, num is, cum quo agit, serio ignosceret, posset terribilem illam Historiam

de Nobili illo Cordubensi narrare, qui, quia fictè tantum vnam dederat, Angeli duo Sacerdotem ad ejus sepulchrum deducentes, jusserunt SS. Hostiam ex ore auferre, quo facto turbatum cadaver in fossam videri desijt, uti fufius legere est in Pædagog. Christi. p. 2, c. 15. §. 2.

IV. Ostendat, quantos favores Christus exhibuerit ijs, qui inimicis ignoverunt; nam S. Gualberto & alteri cuidam Nobili Anglo, post condonatam hostibus, ab illo quidem Fratris, ab hoc autem Patris eadem, ad Christi effigiem orantibus visus est Christus, viventis modo, toto capite annuere, & factum approbare, uti Baron. to. II. Anno 1051. testatur. Mulieri verò cuidam, quæ occiforem filij in domum susceperat, ita DEUS rependit hanc gratiam, ut & filium ejus ex purgatorio eriperet, & ipsi vitam æternam promitteret, ut Faber in Festo S. Steph. conc. 3. n. 3. refert.

V. Declaret, quàm præclaram habeat occasionem ingentia bona sibi comparandi, si sincerè & liberaliter ignoscat Inimicis. Nam 1. per hanc viam facillimè obtinetur remissio peccatorum, juxta illud Christi Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester caelestia delicta vestra. Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur* ? Ib. c. 5. Quis autem non libenter tres obolos proximo remitteret, ut aliquot milliones debitorum sibi remitterentur? 2. Ingens præmium in cælo sperare potest, si enim majus meritum ibi est, ubi major difficultas reperitur; quis dubitet, huic actui maximum olim præmium responsurum, sicut maxima in eo difficultas reperitur. Certè S. Chrysoftomus ho. 3. de Saule & David dicere ausus est: *Ea res pro Martyro tibi computabitur, si insidias molientem, & ad tantam proceritum malevolentiam, inter bene meritos numeraris, non desinas orare pro illo, DEVM obsecrando, ut illi fiat propitiu.* Hinc & S. Agnes aliquando D. Brigittæ l. 4. rev. c. 124. dixit: *Nihil est pulchrius, aut acceptius DEO, quàm ladentem se diligere, & pro persequentibus exorare.* 3. Etiam majorem sibi honorem & famam comparare potest ignoscendo, si enim magnam sibi obvenisse gloriam crederet, si exercitū multis militibus constantem superasset; an non majorem obtigisse dicet, si victoriam de seipso reportet, quæ omnium nobilissima est: Unde S. Gregorius Nyffenus l. de orat. dicere ausus est, talem homi-

nem non videri amplius intra terminos humanæ naturæ conspici, sed ipsi DEO per virtutem assimilari, dum facit ea, quæ solius DEI est facere; debitorum enim remissio, proprium ac peculiare DEI munus & officium est.

VI. Ostendat illi, quòd Inimicus sibi potiùs, quàm ipsi nocuerit; similes enim sunt tales homines, qui alicui nocent, vulpeculis Samsonis, quæ, dum segetes Philisthæorum accendebant, seipsas etiam peremerunt; similes sunt unicorni, quæ, dum alium cornu appetit, seipsam ita arbori affigit, ut extrahere illud non possit; similes sunt gladio Adamantem aut silicem ferienti, qui se potiùs destruit, quàm lapidem; similes sunt apibus, quæ, dum alijs aculeum insigunt, se perimunt; similes sunt canibus lapidem invadentibus, qui dentes potiùs suos consumunt, quàm lapidi noceant; similes sunt illi, qui candelam emungit, ac candelæ quidem lumen clarius facit, digitos autem suos adurit & contaminat. Unde & S. Hieronymus ad Eustochium ait: *Apud Christianos non, qui patitur, sed qui facit contumelias, miser est.*

VII. Ostendat, quàm multorum bonorum occasio illi sit inimicus, illorum nimirum omnium, quæ n. 5. indicavi; si ergo amamus eum, qui nobis viam facit ad ingens lucrum faciendum, vel occasionem præbet ingentis præmij obtinendi; si diligimus eos, qui nobis vel in pugilatu vel in Academicis certaminibus sese opponunt, atque adeò occasionem faciunt fortitudinis & doctrinæ nostræ ostendendæ, an non tantò magis diligamus Inimicos, quantò majora bona sunt spiritualia, quæ per amorem Inimicorum obtinentur, quàm materialia, quæ in hoc mundo tam sollicitè quærentur.

VIII. Hortetur, ut Inimicum tanquam manum & instrumentum, aut legatum DEI intueatur, quo DEUS usus est ad ipsius læsi speciale commodum; an non enim ut sic exoscilabitur potius manum, aut legatum DEI tam paternè castigantis? Aut certè hortetur, ut eum intueatur tanquam à dæmone impulsus, aut morbo suo, an non ut sic potiùs condolebit ipsi, quàm irascetur?

IX. Ostendat, quòd si velit vindictam de hoste capere, non possit id meliùs facere, quàm si totam suam causam DEO committat; sic enim ipse DEUS petijt: *Mihi vindicta, & ego retribuam.* ad Rom. c. 12. suadeat ergo, ut sequalur exemplum

S. Jeremiæ dicentis c. 11. *Tu autem Domine Sabaoth, qui iustitias iustè, & probas renes & corda, videam ultionem tuam in eis, tibi enim revelavi causam meam.* Profectò qui tali modo vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, uti sapiens Eccl. 28. c. ait; unde S. August. in Ps. 102. hortatur omnes; *Ferò iniurias securus esto, faciet enim misericordias DEVS, & iudicium omnibus iniuriam accipientibus.*

X. Præterea verò etiam in memoriam illi revocet, quod nulla re magis se vindicare ab Inimico possit, quam si nihil faciat injuriæ ejus; ita enim docet S. Hieronymus in Epistola ad Hebræos, dum ait: *Nihil ita confusam facit injuriam agentis, sicut fortis & mitis patientia tolerantis, & neque in opere, neque in lingua se vindicantis.*

XI. Suadeat illi, ut Justitiam DEI consideret, illique totam vindictam committat, ut qui ipse Rom. 12. dicit: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Unde rectè S. Chrysostomus ho. 53. ad Pop. *Cùm nos ipsos, inquit, ulciscimur, DEVS nos non defendit: cùm autem ipsi concedimus vindictam, plus, quam expectamus, efficitur.* Ita S. Ignatius expertus est, uti Ribadeneira l. 5. vit. c. 2. testatur, contra quem cùm Pater quidam impetu animi abreptus acerbior extitisset, & S. Ignatius pro ipso in Missa magnam vim lacrymarum profundens dixisset: *Ignolice Domine, parce Domine: respondit Dominus: Sine me, ego enim pro te vindictam sumam: ego, nisi respiciat, ultor existam.* Quod & factum, nam dum Pater ille in templo quodam Sanctorum reliquias intuebatur, inter ossa etiam hominis vultum vidit truci aspectu intentantem flagellum, nisi Ignatio pareret. Eo viso, quamquam ille tumorem non nihil represserit, multis tamen, magnisque molestijs affectus est.

CAPUT V.

DE CAPTIVORVM APOSTOLICA
CONFORTATIONE.

DE Confortatione inscribitur hoc caput, quia, licet plura sint officia, quæ Operarium erga captivos præstare oportet, ipsa tamen confortatio meritò præcipuum, & velut scopus cæterorum æstimatur, uti ex iis, quæ in toto hoc capite dicuntur, apparebit. Ut verò melius, faciliusque, quæ hoc loco dicenda sunt, intelligantur, notandum est, duplicis generis esse ea-

se captivos; nempe aliquos, qui ob leviora delicta captivi detinentur, ideóque meritò spem liberationis concipere possunt; alios verò, qui ob capitalia crimina in carcerem sunt conjecti, ideóque spem redemptionis nullam habent, aut exiguam certè. De utrisque hoc capite agetur, ita tamen, ut priùs ea explicentur, quæ ambobus communia sunt, & postea ea, quæ solum captivis posterioris generis, seu damnatis ad mortem propria sunt, subjungantur.

§. I.

Cur & quomodo Operarius Captivorum specialem curam suscipere debeat.

TRia præcipuè sunt motiva, quæ meritò non leviter impellere debent Operarium, ut singulari cum caritate & fervore Captivorum curam suscipiat. Primum ipse DEUS offert, qui, cum Matt. 25. dixerit: *Quandiu fecistis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et iterum ibidem: *In carcere eram, & venistis ad me:* haud dubiè magnum sibi quoque obsequium præstitum ab Operario ceusebit, si eo, quo par est, zelo Captivos visitabit, atque ad ærumnas fortiter & christiane tolerandas suis adhortationibus confortabit. Quis autem si Christum in carcere detentum videret, non summa cum alacritate visitaret, & omnia, quæ posset, quantumcunque dura & difficilia obsequia exhiberet?

II. Alterum motivum ex ipsorum Captivorum misero statu, seu ipsa captivitate desumitur; cum enim hi non modò ipsas carceris molestias & incommoda, puta fœtorem, duritiem, obscuritatem, & victus tenuitatem, omniumque delectationum carentiam, sed etiam libertatis ac famæ, quæ duo inter naturalia hominis talenta meritò præcipua numerantur, privationem pati cogantur; & præterea, quia otiosi & solitarij plerumque esse coguntur, mille tentationibus & periculis sint obnoxij, meritò fido aliquo amico opus habere creduntur, qui in tanta necessitate ipsis solatio suo succurrat, piisque consilijs & monitis à tot tantisque periculis eripiat, atque defendat, ne, ut alibi dixi, ejusmodi Captivi causam habeant, querendi contra Operarium, ejusque caritatem imperfectam criminandi, ut, qui in minoribus necessitatibus tam promptè ac ferventer adsti-

adstiterit, in extrema verò miseria constitutis, opem, auxili-
umque præstare neglexerit.

III. Tertium motivum ex ipsius Operarij mercede ac
præmio, quod ob talem misericordiam caritatēque præsti-
tam jure merito sperare potest, desumitur; cum enim DEUS
Luc. 6. promiserit, quā mensurā mensus misericordiam ac
caritatem quis fuerit, eādem remensum iri, imò mensuram
bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem in sinum
datum iri omnibus illis, qui misericordiam erga alios libera-
liter exercuerint, facildè apparet, quā grande præmium olim
accepturus sit Operarius, qui tam præstantia caritatis & mise-
ricordiæ obsequia Captivis exhibuerit; quāque meritò spe-
rare queat, se quoque, ubi similem fortè in necessitatem post
vitam hanc mortalem in Purgatorio incidit, similem mi-
sericordiam ac solatium experturum.

IV. Porrò ut hoc in genere muneri suo plenè atque
perfectè satisfaciatur, quatuor potissimùm officia Captivi præ-
standa existimabit; quorum primum est, ut ad captivitatis
pœnam cum debito fructu, meritòque sustinendam præparen-
tur. Alterum est, ut piæ, utilisve occupationes, quibus a per-
nicioso otio, Diabolique infidiis sese defendant, illis præscri-
bantur. Tertium est, ut contra varias tentationes, quæ hoc
tempore eosdem præcipuè infestare solent, potenter munian-
tur. Quartum est, ut, si fortè omnino ad mortis supplicium
condemnentur, ad illud Christiana patientia atque constantia
subeundum efficaciter disponantur. Quæ omnia, quæ ratione
solidè, magnòque suo & Captivi solatio, commodòque præ-
stare queat, in sequentibus §§. demonstrabitur.

§. II.

Quomodo Captivi ad captivitatis pœnam fructu-
osè sustinendam præparandi sint.

I. **Q**uamprimum intellexerit Operarius, Captivum alla-
quem carceri, in quo diutiùs detinendus creditur,
mancipatum esse, eundem primo quoque tempore visitare stu-
deat, &, ubi carcerem ingressus fuerit, humaniter & amicè salu-
tetur, atque ad solatium illi afferendum se venisse significet.
Aliqui etiam, quam ob causam in carcerem conjectus sit, in-
ter-

terrogandum putant, sed quia hâc ratione ad delictum suum proprium commemorandum impelleretur, quod ob naturalem verecundiam, vel, si in iudicio de crimine nondum convictus, ob timorem revelationis non libenter faciet, ideo præstat ejusmodi causam ex ipso carceris Custode ante ingressum investigare.

II. Post benevolentiam amica salutatione comparatam, poterit per varias quæstiunculas eundem paulatim ad officium suum præstandum præparare. Quare poterit in primis quærere, quomodo valeat? quamdiu jam detineatur in hoc carcere? an non tempus illi sat longum videatur? quomodo fallat, & transigat tempus? an noctu possit dormire? an interdiu etiam quandoque somnum capere modicum consueverit? qui cibus & potus ipsi porrigatur? an nihil ei desit de rebus ad naturam, vitamque sustentandam necessariis? an non gravis admodum & molestus hic carcer sit? ex quibus quæstionibus & responsis datis si advertat, aliquid ipsi deesse, quod ipse Operarius illi vel propriis, vel aliunde comparatis sumptibus procurare possit, atque id se facturum promittat, enimvero non modicum comparatæ benevolentia augmentum adjiciet.

III. Ubi ejusmodi quæstiones præmiserit, non erit ipsi difficile, occasionem captare, ad ipsam præparationem Captivi inchoandam, quæ quidem in tribus præcipue capitibus generatim loquendo consistit. 1. Ut Justitiam & Providentiam DEI cum debita reverentia agnoscat, & veneretur. 2. Ut eadem Justitiæ se cum profunda demissione subjiciat, atque adeo tam ipsam carceris pœnam, quam ea, quæ ipsam comitabuntur, vel sequentur, magna cum æquitate, animique resignatione, ac patientia excipiat. 3. Ut, quò majori cum DEI benedictione, proprioque merito pœnam hanc, & miseras carceris sustineat, sese in statu gratiæ per veram contritionem, aut, si delictum capitale non sit, etiam per confessionem constituere studeat; quæ quidem capita, ut tantò facilius, certiusque obtineat, sequentes industrias usurpare poterit.

III. Et primò quidem certò ipsi persuadeat, nihil in hoc mundo accidere, quod non à sapientissima DEI providentia ordinatum, aut permissum sit; uti jam pridem Spiritus Sanctus prædixit Eccl. 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & bone-*

*honestus à DEO sunt. Et non est malum in civitate (imò in toto orbe) quod non fecit Dominus. Secundò pariter eadem persuadere conetur, eundem DEUM justissimum quoque esse: nam ita Danielis 9. c. tres Pueri in fornace Babylonica constituti confitebantur dicentes: *Benedictus es, Domine DEUS Patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in sacula, quia iustus es in omnibus, quia fecisti nobis, & universa opera tua vera, & via tua recta, & omnia iudicia tua vera.* Quem in finem proderit exemplum S. Ephrem ex Alphabeto Christi f. 130. vel Viridario P. Raderi p. 1. Febr. 1. recendere, qui, cum in carcerem propterea coniectus esset, quòd Oratum Prædonibus de nocte viam ad gregem ovium monstrasset, eaque de causa graviter ipse lamentaretur, & se ab ea culpa immunem diceret, post quadraginta dies Angelus ei apparuit, meminisse iussit culpe, quã ante duos menses contraxerat, dum pauperculi hominis vaccam prægnantem tam diu lapidibus exagitavit, donec vitulum per abortum enixa, mortua conciderit, & præterea ipsum etiam Pauperculum de Authore litigantem, contumeliosus à se verbis graviter sauciatum dimisit. Sed & idem duobus Carceris socijs evenisse, ut qui quòd homicidium & adulterium, ob cuius suspicionem in carcerem fuerant coniecti, non admiserint, sed tamen alia delicta patrârint (dum scilicet alter videns duos inter se litigantes, & unum eorum de ponte dejectum, & auxilium implorantem, cum potuisset, ab interitu non eripuit; alter verò falso iuramento testatus est, sororem duorum Fratrum adulterium commisisse, sicque effecit, ut à communi hæreditate excluderetur) ob quã justo DEI iudicio in carcerem includi sint permitti. 3. Denique persuadeat, etiam benignissimum simul & optimum esse DEUM; uti præclare S. Basiliius hom. 8. ex variis indicavit, dum dixit: *Vnum in mentibus nostris præsumptum oportet, quòd nihil eorum, quã nobis accidunt, malum sit, aut tale, ut melius illo excogitare queamus.* Et id ipsum confirmat S. Damascenus, omnia, inquit, quã DEI providentiã sunt, pro cherrimè ac divinissimè fieri necesse est, atq; ita denique, ut meliori modo existere prorsus nequeant. Ex quibus omnibus factum erit Captivo, Providentiã & Justitiã DEI agnoscere, & exclamare cum Regio Psalte Ps. 118, *Iustus es, Domine, & non**

Haec iudicia tua. Tribulatio & angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.

IV. Porro ut non agnoscat duntaxat hanc justitiam, sed eadem etiam perfectissime subjiciat sese, atque adeo captivitatem, & omnes ei annexas miseras æquo ac patienti animo sustineat, doceat illum Operarius, tanti mali causam (uti & omnium aliorum) potissimum peccatum esse; uti enim è terra ascendit materia, ex qua tonitrua & fulmina homines percussio generantur: ita in cælos quoque homines materiam itz divinæ, scilicet peccata, mittunt. Unde S. Chrysostomus, *maiorum fontem, & omnia malorum sistens* *fontem*. Hortetur ergo captivum, ut velut obediens filius agnoscat paternam charitatem, & carceris pœnam cum patientia & resignatione accipiat; sic enim & DEVM ad patendam citius permovebit, & suam ipse pœnam levius tolerabit; nam, ut S. Gregorius lib. 10. mor. c. 5. ait: *Quasi aqua ignis exinguitur, cum surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur. Et: Dolor flagelli temperatur, cum culpa cognoscitur, quia tanto quisque ferramentum Medici patientius tolerat, quando magis putridum esse conspicit, quod secatur.* Certe facilis erit consolatio, ut idem Doctor ait, si inter flagella, quæ patimur, delicta, quæ fecimus, ad memoriam revocemus. Alloquatur quoq; ipsum illis D. Pauli ad Hebr. 12. verbis: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigaris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem Filium, quæ recipit.* Jubeat proin ipsum cum S. Psalmista dicere. ps. 12. *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Aut cum pio Asceta l. 3. de Imit. Christi. c. 52. *Quid dicam reus, & omni confusione plenus: non habeo os loquendi, nisi hoc tantum verbum: Peccavi, Domine, peccavi, miserere mei, ignosce mihi. Sine me paululum, ut plangam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrarum, & operam mortis caligine. Quid tam maxime à reo & misero Peccatore requiris, nisi ut conteratur, & humiliet se pro peccatis suis in vera contritione, & cordis humiliatione, restituitur spes venia, reconciliatur perturbata conscientia, reparatur gratia perditæ, tuetur homo à futura ira, & occurrunt sibi in osculo sancto DEVS, & pœnitens anima.*

V. Denique ut non audire debeat illam D. Pauli instruct. III.

M

pro-

properationem Gal. 3. *Tanta passi estis sine causa?* id est, frustra, & sine ullo fructu, hortetur eum, ut se ante omnia in actu gratiæ constituat, vel per ipsam confessionem, vel contritionem certè, quem in finem mox præire poterit formulam contritionis recitando, aliòsque actus huc pertinentes elicendo, ut mox dicetur; vel ipsam confessionem, si sponte confiteri voluerit, excipere, nisi fortè tempus aliquod illi ad præparationem concedendum videatur. Subinde hortetur, ut bonam intentionem eliciat, quâ protestetur, se omnes captivitatis molestias non tantùm pro satisfactione peccatorum suorum, sed etiam ex amore DEI libenter, fortitèrque sustinere velle, ita ut, etiamsi suâ culpâ meritis eas non fuisset, tamen ex hoc solo titulo, quòd DEVS sic permisisset, æquissimo animo suscipere paratus foret; sic enim eas ipsas persequi in Martyrij palmam conversurum, sicut olim S. Ludgarus teste Ribadeneira in ejus vit. 6. Junij, cum optâisset pro fide & justitia perinde, ut S. Agnes fecerat, mortem appetere, audiuit à Christo, ob hoc desiderium ipsam habituram in cælo coronam S. Agnetis gloriæ similem, eò quòd DEVS coronam voluntatem, ubi non invenit facultatem.

VI. Quia verò rarò ejusmodi Captivi sufficientes sunt, ut per seiplos possint tales actus & intentiones elicere, ideo poterit Operarius ipse sequentem orationem, in qua omnes actus ad hanc præparationem pertinentes succinctè continentur, aut aliam similem prælegere.

O justissime, & misericordissime DEVS, ego indignus Famulus tuus, & maximus Peccator, firmillimè credo, nihil sine tua voluntate ac providentiâ nobis accidere; &, quidquid evenire permittis, per summam tuam sapientiam & bonitatem ad tuam gloriam & nostram salutem ordinari. Agnosco proinde hanc captivitatem pro singulari beneficio, atque amplissimas pro eâdem tibi gratias persolvo, optans ex animo, ut tam pro hoc, quàm pro innumeris aliis beneficiis æternùm gratum exhibere me valeam.

O mitissime DEUS, confiteor humili & contrito corde, quòd te summum bonum meum super omnia dilectum sæpe, gravitèrque hæctenus offenderim, atque adedò pœnam istam justissimè promeritus fuerim. Doleo proinde ex corde, quòd iram tuam justissimam peccatis meis provocârim, iterùmque summas ago gratias, quòd tam paternè me corripas, paratusque sum, hanc pœnam à te mihi decretam cum summa patientia & obedientia sustinere, ut justitiæ tuæ satisfaciam, & omnia mea peccata condignè expiem.

Quia verò, O benignissime DEUS, nos ipse hortatus es, ut in tempore tribulationis ad te confugiamus, & auxilium petamus, idedò & ego afflictus Peccator ad te recurro, & cum dilecto Filio tuo humillimè precor; *Pater, si possibile est, transeat calix iste à me, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Si ergo, ô piissime Pater, ad honorem tuum & salutem meam expedire cognoveris, ut captivitatem hanc diutiùs patiar, fiat voluntas tua. Id unum rogo, ut, quoniam ex me nihil sum, & possum, efficacem tuam gratiam largiri digneris, quâ omne id, quòd de me disposueris, de manu tua promptissimè suscipere, & cum debita patientia ex purissimo tui amore sufferre queam.

Ego quidem, ô dilectissime DEUS, omnem spem meam in infinita tua bonitate colloco, certòque confido, te non passurum, ut ultra vires meas excrucier, sed in omni mea tribulatione fideliter adstiturum. Hæc certè fiducia animatus jam nunc omnes has afflictiones meas tibi in unione passionis Christi Filij tui, B. Virginis & omnium Sanctorum ad tuam & eorundem Sanctorum tuorum gloriam humillimè offero,

fero, devotissimèque precor, ut easdem in debita satisfactionem clementer suscipere, & sicut passio Filij tui consortem me esse voluisti, ita & gloriæ quondam consortem efficere digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

O Sanctissima Mater mea MARIA, O S. Angele Custos, O Sancte, cujus nomen indignus gero, O S. Pauline, & Leonarde Captivorum misericordissimi Patroni, O omnes Sancti, quotquot olim captivi propter DEUM extitistis, cæteri que Patroni mei, intercedite, quæso, pro me, gratiâque à DEO impetrate, ut juxta exemplum vestrum captivitatem hanc meam, aliâsq; tribulationes cum debita patientia & caritate, quamdiu DEO visum fuerit, supportate, & tandè in æterna gloria vobis associari merear, Amen.

Fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace, & pro me, aliisque Peccatoribus intercedant.

§. III.

Quomodo utiliter occupandi sint Captivi.

I. Cùm sapienter suaserit S. Hieronymus epist. 4. *Facit aliquid operis, ut te semper Diabolus inveniat occupatum*; nec minùs veraciter dixerit Cassianus l. 10. instit. c. 3. hanc ab antiquis Ægypti Patribus sancitam esse sententiam operantem hominem dæmone uno pulsari, otiosum verò ab innumeris spiritibus impugnari; meritò ex primarijs Operarij circa Captivum curis ea etiam esse debet, ut, quantum personæ, locique circumstantias licuerit, utiliter semper occupatum teneat, & hac ratione plurimis tentationibus, periculisque eripiat. Triplicis autem potissimum generis occupationes reperio, quæ ejusmodi Captivis præscribi possunt, eas videlicet ipsas, quas olim Angelus S. Antonio eremiæ studium concipienti ostenderat, dum interdum manibus laborare, interdum orare, interdum legere, aut cibum capere

conspicuum est, quæ ipsa etiam Captivis commendari videntur posse.

II. Primò ergo, si fieri possit, ei laborem manuum commendet, maximè, si artem aliquam nòisset, quæ nullo instrumentorum apparatu indigeret, & ex qua lucellum aliquod pro solatio, subsidiòque captare posset. Quòd si verò talem artem non nòrit, possit autem Familiam Custodis carceris in rebus ad domesticum obsequium & victum pertinentibus, salva carceris clausurâ, juvare, utiliter omnino ei suadebitur, ut, si quidem personæ dignitas non obstet, ejusmodi laborem fallendi otij, & charitatis, humilitatisque exercendæ gratiâ interdum suscipiat. Quia tamen rarior ejusmodi occasio se apud Captivos offert, ideo

III. Secundò eidem, si legere didicerit, lectionem libri cujusdam spiritualis suadere poterit, & talis maximè, qui ipsum solatio afficere, atque ad patientiæ, constantiæque imitationem excitare possit. Quales esse exempli gratia possunt Vita Christi ab Adamo Walasser conscripta, Vitæ Sanctorum à Suario & aliis collectæ, Liber Genealogiæ Christi vel B. Virginis (germanicè *das Stammenbuech*) Ars semper gaudendi ab Alphonso Antonio de Sarasa composita, Heliotropium, Gymnasium Patientiæ, Æternitas, Cælum, aut Rogus Damnatorum P. Hieremiæ Drexelij, Pædagogus Christianus in secunda præcipuè parte, *Trostbrunn* P. Georgij Vogleri, *Haus Apotec* D. Georgij Pistorij, & similes. Ad eundem finem etiam servire possunt libri aliqui varias Sanctorum Martyrum effigies, eorumque Martyria representantes; quales quidem libros expediret sumptibus Magistratus, vel certè privatarum quarundam personarum eleëmofynâ coëmptos in publica custodia asservari, aut saltem ab ipso Operario domus in hunc usum paratos haberi, & tantò libentiùs Captivis commodari, quantò majus illi ex tali lectione solatium, fructumque sperare meritò possunt.

IV. Quia verò multi omnino legere non sciunt, aut certè ob carceris obscuritatem non possunt, ideo tertia, eaque omnibus communis occupatio superest, ipsa scilicet oratio, quæ tantò efficacius Captivis commendari debet, quantò majorem habent causam, divinam sibi Clementiam propitiandi, auxiliùmque ad fortiter perferendas captivitatis calamitates

mitates implorandi. Porro etfi non ignorem, varios mo-
 & exercitia orandi à varijs Authoribus præscribi, univertim
 tamen in ijs usurpandis sequentes tres regulas observanda
 cenfeo. 1. Ut certæ aliquæ preces, aliæque pietatis exerci-
 tia ad præsentem statum magis accommodata eligantur, quæ
 quotidie singulari cum diligentia ac devotione perfolvan-
 tur. 2. Ut illæ preces præ aliis assumantur, & frequenten-
 tur, quæ ab Ecclesia approbatæ, atque ab eadem constant
 usurpatæ sunt, quales sunt Oratio Dominica, Salutatio An-
 gelica, Symbolum Apostolorum, aut Nicænum, aut S. Atha-
 nasij, Psalmodia Sacra, Antiphonæ B. Virginis, Cantica Sa-
 cra, Litanix, Corollæ peccatorix &c. 3. Ut doceantur Ca-
 ptivi, quâ ratione etiam ipsi mentem per jaculatorias preces
 & suspiria elevare, & tum se adversus diabolicas suggestiones
 tueri, tum ad exemplum Davidis os suum aperire, spiritum-
 que solatij & confortationis attrahere possint. In quibus ta-
 men omnibus suadendis magnopere cavere debet Operarius,
 ne discretionis limites transgrediens plus æquo oneret Cap-
 tivum, & fastidium creans efficiat, ut anima ipsius saturata cal-
 care incipiat favum suavissimum spiritualium horum exer-
 citiorum.

V. Cæterum ut sciat Operarius, quæ præcipuè exercitia
 pietatis suadere debeat, ego sequentia potissimum suadenda
 censerem. 1. Ut, ubi manè evigilaverit, mox principium diei
 à devota oratione auspicietur, & primarios tres virtutum actus
 eliciat, agratitudinis scilicet pro nocturna custodia, alijsq; be-
 neficiis; contritionis ob peccata tum illâ nocte, tum alijs
 commissa: & intentionis bonæ, quâ opera illius diei DEO
 ac SS. Patronis suis consecret. Et si verò praxis maritima he-
 jus precatationis cui vis sit libera, hæc tamen, quæ sequitur, sim-
 plicioribus, & in oratione frequentanda minùs exercitiam
 hominibus accommodatissima, ideòque maximè commen-
 danda videtur, ut scilicet, ubi è lecto surrexerint, genibus pro-
 stratis Crucem majorem forment, dicantque;

Benedictio DEI omnipotentis, Patris, & Filij, &
 Spiritus Sancti.

Benedictio Domini mei JESU CHRISTI, San-
 ctissimæ Matris ejus, & S. Josephi.

Bene-

Benedictio SS. Patronorum meorum, Sanctorum
hujus diei, & omnium Electorum suorum descendat
super me, & maneat semper.

Postea verò ubi vestes induerit, hæc suspiria subjungat
supradictos tres actus continentia.

Benedicta sit sacrosancta Trinitas, & omnes Cœli-
tes, quibus summas ago gratias pro omnibus benefi-
ciis hæc nocte, & alias exhibitis.

Benedicta sit Sacrosancta Trinitas, & omnes Cœ-
lites, quorum amore doleo ex corde de omnibus pec-
catis hac nocte & aliàs commissis, firmissimè que sta-
tuo, deinceps ea diligentissimè cavere.

Benedicta sit Sacrosancta Trinitas, & omnes Cœ-
lites, ad quorum honorem offero omnes cogitatio-
nes, verba, & opera hodie perficienda, ut defunctis
profint ad requiem, mihi autem & viventibus ad gra-
tiam ac vitam sempiternam, Amen.

Quòd si hæc suspiria (quæ non est necesse formalibus his
verbis concipi) servare vel elicere non possit, saltem ter Pa-
ter & Ave ad eundem finem recitet. 2. His precibus peractis
utiliter valde Litaniam Omnium Sanctorum jungerentur, ut
desideratam propitiationis divinæ gratiam multiplicatis In-
tercessoribus tantò faciliùs, efficaciusque obtineat. Post
quas Litanias lectioni spirituali, vel labori manuali vacare
possit. 3. Etsi SS. Missæ Sacrificio adesse præsens corpora-
liter non possit; ut tamen eidem spiritualiter intersit, omnino
studendum est; unde docendus erit, quâ ratione audito ad
Missam pulsu se gerere, & fructus tam copiosi ipse quoque
participem se facere possit. Quem in finem libelli quidam
preparatorij pro singulis Missæ partibus aptas orationes & affe-
ctus suggerentes non parùm servient. 4. Valde etiam con-
sultum est, ut pro felici morte obtinenda singulis horis Salu-
tationem Angelicam recitare afuescat, quibus non incongruè
sequentem aspirationem subjungeret:

M 4

O Do-

O Domine JESU CHRISTE, propitius esto mihi maximo Peccatori, nunc, & in hora mortis meae, & da mihi patientiam in tribulatione mea, pro qua & pro omnibus beneficiis hâc horâ & per totam vitam acceptis gratias tibi, quàm possum, maximas ago.

Aliqui suadent, ut ad refrendam sanctissimæ Passions Christi memoriam singulis horis mysteriū illud, quod eâ horâ peractum creditur, inferatur, dicendo v. g. horâ quartâ naturinâ: *Ave MARIA &c. IESVS pro me ter à proprio discipulo negatus, in cujus honorem & unionem offerre digneris omnia opera mea hâc horâ facienda:* & tum simili modo ad alias horas aliud mysterium inferendo v. g. pro hora quinta JESUS pro nobis apud Pilatum falsò accusatus. Pro sexta ad Herodem missus. Pro septima Barrabæ postpositus. Pro octava pro nobis flagellatus. Pro nona spinis coronatus. Pro decima ad mortem damnatus. Pro undecima crucem bajulans. Pro duodecima crucifixus. Pro prima te Joanni, & Joannem tibi commendans. Pro secunda felle & aceto potatus. Pro tertia mortuus. Pro quarta de cruce depositus. Pro quinta sepultus. Pro sexta Discipulis pedes lavans. Pro septima Sacrosanctum Corpus & Sanguinem Discipulis distribuens. Pro octava agoniam passus. Pro nona à Juda traditus. Pro decima à Judæis captus. Pro undecima à Discipulis derelictus. Pro duodecima ad Annam ductus. Pro prima apud Caipham colaphizatus. Pro secunda durissima per noctem perpeffus. Pro tertia vigilans & orans. Circa quas tamen horas notant, non esse tan anxie curandum, ut suo quodque mysterium tempore recolatur (id enim per noctem moraliter fieri vix posset) sed sufficere, si illâ horâ, quæ auditur, mysterium illi conveniens recolatur, reliqua autem quæ omissa sunt, vel omittenda prævidentur, simul eâ horâ, quæ proxima est omiffis, cum mysterio tunc recolendo recolantur. Hunc, inquam, modum aliqui non modicum solatium Captivis allaturum putant, eò quòd *nihil adeè durum sit*, teste S. Gregorio in Epist. *quod non æquanimiter toleretur, si Christi Passio ad memoriam revocetur.* Verumtamen quia ob mysteriorum multitudinem non tam facilè ab omnibus capi potest, non nisi cum magna confide-

consideratione proponendus, &, ut facilius capiatur, etiam scripto tradendus est. 5. Post meridiem Litanias de SS. Patronis Captivorum non incommodè recitaret, eò quòd horum Sanctorum Patrocinium tantò ferventiùs implorandum videatur, quantò illi ex concepta erga captivos misericordia proniores sunt ad illis succurrendum. Sic autem se habent illæ Litanie.

KYrie eleison, Christe eleison.

KYrie eleison.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Pater de cœlis DEUS. Miserere nobis.

Fili Redemptor Mundi DEUS.

Spiritus Sancte DEUS.

Sancta Trinitas unus DEUS.

JESU pro nobis à Judæis comprehense.

Miserere nobis.

JESU vinculis constrictæ.

JESU in carcerem coniectæ.

JESU ad mortem damnate.

JESU ad montem Calvarie ductæ.

JESU pro nobis crucifixe.

S. MARIA Consolatrix Captivorum.

Ora pro nobis.

Omnes SS. Angeli Captivorum Custodes.

Orate pro nobis.

S. Petre è carcere liberate. Ora pro nobis.

S. Paule in carceribus abundantius detente.

S. Pauline.

S. Leonarde.

S. Petre Nolafce.

S. Raymunde Nonnate.

Omnes Sancti, qui unquam in carcere fuistis.

Omnes Sancti ad mortem damnati.

Omnes Sancti Martyrio affecti.

M 5

Pro-

Propitius esto. Parce nobis, Domine.

Propitius esto. Exaudi nos Domine.

Ab omni pusillanimitate. Libera nos Domine.

Ab omni impatientia.

Ab omni tristitia.

A morte perpetua.

Per captivitatem tuam.

Per accusationem tuam.

Per flagellationem tuam.

Per coronationem tuam.

Per damnationem tuam.

Per crucem & passionem tuam.

Per ignominiosam mortem tuam.

Per SS. Vulnera tua.

Peccatores. Te rogamus, audi nos.

Vt nobis parcas.

Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris.

Vt veram omnibus Captivis patientiam largiri digneris.

Vt omnes Captivos consolari & confortare digneris.

Vt omnes Captivos in libertatem asserere digneris.

Vt omnes Captivos à mortis sententia liberare digneris.

Vt omnes animas Defunctorum è Purgatorij carcere educere digneris.

Vt nos exaudire digneris.

Agnus DEI, qui tollis
peccata mundi.

Parce nobis,
Exaudi nos, Domine.
Miserere nobis.

ŷ. Orate pro nobis Sancti Patroni.

℞. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEVS, qui sanctos Pa-

tronus nostros mirabili in Captivos caritate ac misericordia decorasti; te supplices exoramus, ut eorum meritis & precibus à vinculis & captivitate nostra liberati, liberis tibi mentibus servire valeamus. Per Christum Dominum. Amen.

6. Etiam Psalmi Pœnitentiales ut quotidie à Captivis recitentur, summopere suadendum est, S. Augustini exemplo, qui sub extremi morbi tempus, quando in lecto suo captivus quasi tenebatur, eosdem grandioribus literis descriptos ad lecti parietes affigi jussit, ut eorum quotidiana recitatione tanto facilius divinam Justitiam sibi conciliaret, atque ad beatam mortem disponeret. 7. Corona quoque B. Virginis tanto religiosius & ferventiùs quotidie percurrenda est, quanto majorem ex hac recitatione consolationem, opemque sperare potest. 8. Antequàm somnum capere velit, ejusdem Sanctissimæ Virginis Litanias Lauretanæ pro felici morte à Fidelibus dici solitas & ipse devotè recitet, eique consuetam conscientia suæ discussionem subjungens, consuetis precibus sese ad somnum capiendum accingat.

VI. Atque hæc videlicet preces ordinariè recitandæ videntur; quibus tamen non obstantibus, poterunt Captivis alij ad huc Libelli prelatorij (quales præcipuè esse possunt *de Prof. Brunn P. Vogleri, Paradisus animæ, Liber prelatorius S. Gertrudis, Thesaurus Precum*) offerri, ex quibus pro libitu suo varias preces seligere, & pro solatio suo recitare queant.

VII. Quòd si verò Captivus legere non posset, tum suadendum illi erit, ut Rosarij recitatione crebriore defectum hunc suppleat, eumque in finem integrum quotidie Psalterium in tres partes distinctum tribus diversis temporibus devotè recitet. Sed & alium Dominicæ Orationis & Salutationis Angelicæ numerum ad honorem SS. Vulnerum, SS. Patronarum, quatuordecim Auxiliatorum (nempe SS. Georgij, Viti, Blasij, Dionysij, Erasmi, Panthaleonis, Cyriaci, Christophori, Achatij, Eustachij, Ægidij, Catharinæ, Margarethæ, Barbaræ, quos proinde post nomen *MARIÆ* in salutatione Angelica nominare potest) aut septem Asylorum, quæ sunt SS. Trinitas, Christus in SS. Eucharistia existens, Christus in cruce passus, beatissima Virgo, omnes Angelici Spiritus, omnes reliqui Sancti,

Et,

eti, Animæ in Purgatorio detentæ (nam & hæc probabili-
pro nobis orant) aut alios similes ob fines pro sua devotio-
percurrendum sibi feligere poterit.

VIII. Denique pro jaculatoris tesseriis & suspiriis,
quibus interdum se ipsum excitet, mentemque ad DEUM ele-
vet, sequentes ei versiculi fervire possunt.

Pater mi, si possibile est, transeat Calix iste à me:
verum tamen non mea, sed tua voluntas fiat,

Ego quidem justè hæc patior, Dominus autem
quid fecit.

Domine, ne memineris iniquitatum mearum an-
tiquarum, sed citò anticipent me misericordia tua.

Adjuva nos DEVS salutaris noster, & propter glo-
riam nominis tui libera nos, & propitius esto pecca-
tis nostris propter nomen tuum.

Miserere mei DEVS secundùm magnam miseri-
cordiam tuam.

Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum
speravimus in te.

Tribulatio & angustia invenerunt me, mandata
tua meditatio mea est.

Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen
Domini benedictum.

Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei JE-
SU CHRISTI.

Domine, in flagella tua paratus sum, & dolor me-
us in conspectu tuo semper.

Mihi autem adhærere DEO bonum est, & ponere
in Domino DEO spem meam.

Bonus Dominus, & confortans in die tribulatio-
nis, & sciens sperantes in se.

Sub tuum præsidium confugimus, Sancta DEI ge-
nitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessi-
tati-

atibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.

Miseremini mei, miseremini mei saltem vos Patroni mei, quia manus Domini tetigit me.

OS. Angele Custos, defende me tuo Patrocinio, ne succumbam in rigoroso iudicio.

§. IV.

Quomodo contra tentationes muniendi sint Captivi.

Duplicis generis tentationes occurrere possunt Captivis, quarum priores sunt ipsis cum ægris & aliis afflictis communes (quales sunt tentationes contra fidem, diffidentiam & desperationis, timoris vitæ amittendæ, aut possessorum bonorum, sollicitudinis de Uxore & Liberis, impatientiæ, & metus Purgatorij, de quibus sequenti in capite fusiùs agetur) posteriores solis ipsis Captivis propriæ sunt, de quibus hoc loco breviter ostendetur, quâ ratione Operarius eosdem adversus ejusmodi tentationes munire debeat.

II. Prima itaque tentatio ex solitudinis & inclusionis molestia oritur, quæ ijs præcipuè gravis admodum accidit, qui majori priùs libertate, licentiâque sunt usi. Contra quam sic muniat. 1. Revocet illis in memoriam commune illud proverbium, quo dici solet: *Anima magis est, ubi amat, quàm ubi animat*: hortetur proinde, ut in Paradisum cælestem mente se conferant, & sic carceris molestias non sentiant, prout olim SS. Martyres fecerant, de quibus dicebatur: *Crus in nervo, animus in calo*. 2. Hortetur, ut in invocatione Sanctorum per varias preces, & lectione librorum spiritualium se instanter exercent; sic enim fore, ut cum veritate dicere possint: Nunquam minùs solus fui, quàm cum solus fui. 3. Considerare eos jubeat, quàm multi Sancti, se ultro in angustas cellulas propter DEVM, & animæ salutem incluserint, totamque propemodum vitam ibidem transfegerint. Quot etiam hodie nobilissimæ, ditissimæ, & tenerrimæ Virgines ultro in perpetua claustra includi sinant, & pro summo DEI favore ac beneficio agnoscant. Dicat proin ad Captivos: *Potuerunt isti, & istæ, & vos non poteritis?* 4. Ostendat illis, quàm

quàm multorum bonorum causa hæc illis sit solitudo; eorum nempe, quæ multis Exercitia spiritualia ultro suscepta non sine summo animi solatio, fructûque attulerunt, ut scilicet se ipsos agnoscere, sibi que displicere, ac DEO placere, cum eo que in gratiam redire, ac vitam suam deinceps emendare, sancteque instituere possint, ut adeò verè dixerit S. Romualdus: *O beata Solitudo! O sola beatitudo!* & S. Hieronymus: *Mibi oppidum carcer, & solitudo Paradisus est.* Sed & S. Antonio vox cælo delapsa acclamârit: Si quiescere cupis, Antonio vade ad interius desertum. Cùm ergo & DEVS aliquo modo ad bonum Captivorum respiciens illa Osee c. 2. verba quodammodo usurpârit: *Ducam eam* (se nunc nominari putet quisquis Captivus) *in solitudinem, & loquar ad cor eius.* merito pro singulari beneficio hanc solitudinem agnoscere debent.

III. Altera tentatio ex ipsius carceris pœdore, fœtore, vinculorum duritie, Custodum inhumanitate, Judicum inclementia, tormentorum crudelitate, aliisque similibus molestiis carcerem comitantibus oritur. Contra quam sic munit eos Operarius. 1. Exemplum Christi, & Sanctorum multo graviora patientium eos considerare jubeat, illaque sibi à pio Authore in Christi Persona prolata verba I. 1. de imit. c. 19. applicare: *Quid est, quòd loqueris, Fili? Cessa conqueri, considera meâ & aliorum Sanctorum passione. Nondum sanguinem restitisti. Parùm est, quòd tu pateris in comparatione eorum, qui tam multa passi sunt. Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima. Et sibi minima non videntur, vide, ne & hoc tua faciat impatientia.* 2. Exemplum aliorum sæcularium multo pariter graviora patientium, maximè ægrorum, qui calculi, colicum, podagræ, dentium &c. doloribus vexantur, proponat. Quo modo se Thomas Morus, teste Sanderò p. 1. schif. Angl. solabat ut qui fingebat mundum hunc esse magnum carcerem, in quem omnes homines conjecti, unus post alterum ad mortem educatur. Eundem ob finem poterunt etiam molestiores quidam carceres à Christianis tolerati illis depingi, uti illorum Catholicorum, qui in Vandalorum Arrianorum persecutione, præter alia tormenta mille quadringenti quadraginta tres numero in unum acervum compressi cogebantur eo quo stabant, loco, naturæ necessitatibus servire, unde intolera-

rabilis fœtor exortus est, uti Victor Vticensis l. 2. persec,
Vandal. scribit. Item P. Caroli Spinolæ & Sociorum, qui
quatuor annis in carcere omnibus aëris injuriis exposito, &
tam angusto, ut cuius non nisi spatium duorum palmorum
& trientis concederetur, seminudi, stantes, necessitati satisfac-
centes, tanta patiebantur, ut P. Carolus scripserit, neminem
illorum non malle vivum concremari, quàm illum carcerem
sustinere. Et tamen is ipse scripsit cuipiam in hæc verba: O
Pater, quàm suave est pro JESU aliquid pati! id ab ipso in
hunc carcerem ingressu luculenter & abunde sum expertus,
Paradisum in carcere habeo. 3. Suadeat illis, ut S. Francis-
ci Borgiæ exemplo præmittant duos Nuntios, scilicet cogni-
tionem peccatorum suorum, & inferni, qui propter ea illis
debeatur; sic enim certò futurum, ut carcerem optimè præ-
parati hospitij loco habeant. Ita sanè S. Chryostomus sua-
dit: *Si terribile aliquid videris (aut passus fueris) cogita gehem-
nam, & deridebis.* De duobus malis, inquit Thomas Kemp.
l. 3. c. 12. *minus est semper eligendum; ut ergo æterna supplicia
futura possis evadere, mala præsentia studeas pro DEO equani-
miter tolerare.* 4. Meminisse jubeat, quid Apostolus Rom. 8.
pronunciãrit, nimirum quòd non sint condigna passiones huius
temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis. Hor-
tetur ergo, ut solatio plenissimam Tertulliani apud Lyraum
in apoph. 5. Ign. sententiam sibi applicet: *O beati Servi
Christi! O Christiani, membra vestra ligata sunt catenis, sed
spiritus vester est liberrimus. Iacent corpora in carcere, in equa-
lis, in tenebris, sed mentes vestras nihil potest perturbare. Hoc
tantùm agite, conscendite cogitationibus vestris in palmam, con-
siderate pulchritudinem & suavitatem celestis gloria, vaga-
mini per pulcherrimas mansiones, quas Christus ait esse in calis.
Quoties eas spiritu deambula veritis, toties in carcere non eritis;
nihil cruc sentit in nervo, cuius animus est in calo.*

I V. Tertia tentatio ex infamiæ, quam incurrisse se pu-
tant, gravitate oritur, tantòque gravius cruciat, quantò pluri-
perumque fama ab ejusmodi hominibus prius amata & de-
fensa fuit. Contra quam tamen sic eos munire poterit Opera-
tius. 1. Christi iterum exemplum proponat, & considerare ju-
beat, quàm exigua sit infamia eorum cum Christi infamia &
contemptu comparata. 2. Innumerorum quoque martyrum

excru-

exemplum ob oculos ponere jubeat, qui omnes similem & graviolem longè infamiam sunt passi, & tamen nullam in tristitiam conceperunt, memores sermonis à Christo Matt. 5. prolata: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversum vos: Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* 3. Ostendat eis, quod sit ipsorum in potestate, bonam æstimationem sui apud DEUM acquirere, ipsiusque amicos fieri, qui summus est honor: non esse proinde curandum, quid homines de ipsis sentiant, sed potius ante oculos ponendum DEUM, qui illa Elcanæ ad Annam uxorem prolata verba proferat: *Numquid ego melior tibi sum, quàm decem Filij:* aut potius omnes homines optimè & pessimè de te sentientes? 4. Insinuet illis, quod etiam apud homines hanc infamiam facilè obliterare possit per sanctiorum vitam institutam; quid enim S. Mariæ Magdalenz, S. Augustino, S. Pelagiæ & similibus obfuit, aut etiamnum obest, quod aliquando per gravia peccata publicam infamiam contraxerint? Certè major etiam apud homines est admiratio & æstimatio unius Peccatoris seriam pœnitentiam agentis, quàm mille aliorum, qui nunquam similem infamiam incurrerunt; sicut & magis æstimatur & laudatur miles, qui post fugam redit ad pugnam, atque insignem victoriam reportat, quàm qui nunquam fugit, sed nec egregium quodpiam facinus in bello patravit. 5. Meminisse jubeat, quàm multi in Comœdiis ad modicum tempus irrideri se, & pro stultis haberi patiantur, ut diuturnam apud Spectatores gloriam, laudemque consequantur; quidni ergo & ipsi infamiam brevi tempore duraturam libenter patiantur, ut tantò majorem olim per totam æternitatem gloriam, famamque apud DEUM, & universos Cœlites consequantur?

V. Quarta tentatio ex odio eorum, quos causam captivitatis fuisse suspicantur, proficiscitur, contra quam sic munit eos Operarius poterit. Et 1. quidem exemplum iterum Christi proponat, qui, etsi sciret, Judæos fuisse causam acerbissimæ suæ passionis, non modò tamen nullum erga eos odium concepit, sed potius Patrem pro iis precatus est, dicens: *Pater, mitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*, Luc. 23. 2. Ostendat illos instrumenta fuisse divinæ justitiæ & castigationis, atque adeò perinde ut Filij morigeri manum & virgas, quibus ex-

duntur, osculari solent, omni veneratione & amore complectendos esse. 3. Etsi malam illi habuissent intentionem, DEO tamen non deesse media, per infinitam Sapientiam & Potentiam malum hoc convertendi in bonum, ut adeò æquali jure ad illos cum Josepho Patriarcha c. 50. dicere possint: *Num DEI possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum, sed DEVS vertit illud in bonum.* 4. Demonstret, non esse nunc tempus irascendi & vindicandi sese, sed ignoscendi, ut, *quâ mensurâ mensi fuerint, eadem remetiatur ipsis Deus*; quâ ratione enim propediem coram supremo Judice comparituri favorem sententiam sperare poterunt, qui adeò se difficiles in remittendis Proximo minoribus culpis, imò omnino fortè nullis ostenderint?

V I. Quinta tandem tentatio oritur ex ipsius damnationis & supplicij extremi timore; contra quam sic eos munire poterit Operarius. 1. Ostendat illis, quàm inutilis & imprudens sit hic timor; vel enim sequetur damnatio, quam timent, vel non sequetur; si non sequatur, frustra se cruciant timore illius mali, quod nunquam eveniet; si autem sequutura sit damnatio, tum saltem ante tempus imprudenter se affligunt illius imaginatione, sicque duplo graviùs, diuturniusque sibi reddunt supplicium. 2. Ostendat, quàm longè aliter Christus se gesserit, utpote qui timorem illum non prius admittere voluit, quàm cum proximè jam imminebat damnatio, & tunc ad montem Oliveti confugit dicens: *Pater mi, si possibile est, transeat calix iste à me, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Hortetur ergo illos, ut & ipsi tam salubre hoc exemplum sequantur, & nunc se DEO penitus resignantes dicant cum Heli; *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, hoc faciat.* Ubi verò propinquius periculum damnationis ad verterint, juxta exemplum Christi ad montem Oliveti, id est, misericordiae divinae confugiant, & supradictam cum ipso Christo orationem repetentes, simile cum ipso robur, solatiùmque expectent. 3. Persuadeat, Magistratum nihil decreturum, nisi quòd jam ab ipsa usque æternitate in divino, justissimòque cœli consistorio conclusum est; quæ proinde sententia cum ex una parte inmutabilis ex altera parte autem summa cum sapientia ac bonitate concepta sit, decet, ut summa cum reverentia, animique tranquillitate excipiat. 4. Firmissimè ipsos credere jubeat,

Instruct. III.

N

DEVM

DEUM, qui fidelis est, & neminem tentari, aut onerari sua vires patitur, ipsis perinde, ac olim SS. Martyribus adfuturum auxilio suo, effecturumque, ut magna cum animi æquitate, constantiâque id omne, quod per Magistratum decreturus est, sustinere possint, id quod ipsi haud dubiè in pluribus, extremo supplicio affectis nõ semel factũ viderint. §. Meminisse quoque ipsos jubeat, quodcunq; supplicium decernendum sit, brevissimo tempore absolvi, atque adeo æquissimo, imò & hilariter animo tolerandũ esse, si cum æterno & inexplicabili supplicio comparatur, quod propter peccata sua in inferno sustinere debuissent, si Deus ipsos perinde, ut alios ejusmodi Peccatores, vel statim post peccatum ex hac vita avocasset, vel in statu peccati obduratos discedere permisisset. Certè si illis, qui nunc obminora peccata in inferno cruciantur, hæc gratia fieret, ut in hanc vitam redire, suâque delicta commertis suppliciiis expi-are possent, promptissimis, lætissimisque animis universis, quæ ullus unquam reus sustinuisset, supplicia toleraturos.

§. V.

Quomodo ad extremum supplicium disponendi & animandi sint Captivi.

Quantopere conniti debeat Operarius, ut hoc in negotio munus suum accuratè impleat, tam ex ijs, quæ sequenti capite §. 1. dicuntur, colligi potest; tum verò etiam ex eo patet, quòd, cum ingens plerumque Populi multitudo ad talia Reorum supplicia concurrat, tot Arbitros ac Testes suæ in hoc officio peritiæ, charitatisque sit habiturus, quot Spectatores & Auditores numeraverit. Porro cum aliqua sint, quæ circa ejusmodi Reos ante sententiam mortis, aliqua post illam, aliqua demum post ipsam Rei mortem observanda sunt, placet illa majoris claritatis & ordinis gratiâ sub distinctis titulis proponere, ita tamen, ut prius moneam Lectorem, cum eadem in ferè sit Reorum ad extremum supplicium damnatorum, atque ægrorum in lecto morientium quoad dispositionem & animationem conditio, ideo pleraque, quæ sequenti capite de ægro ad Confessionem, & S. Viaticum disponendo, & per adhortationibus, suspiriisque excitando, atque ad ultimum denique luctam animando dicuntur, etiam in hac occasione circa Captivos cum debita proportione observanda esse.

MEMBRUM I.

Quid ante sententiam fatalem sit observandum
Operario circa Captivos.

I. Ante sententiam visendi erunt frequenter, cum plerumque varijs tentationibus agitentur, & ex altera parte pluribus criminum vinculis impliciti, rudésque rerum parum, & sæpe etiam obstinati sint. Proderit ergo prius totum statum Rei cognoscere, & tum ad seriam pœnitentiam disponere.

II. Curet, ut ob suum Zelum, aptas datas doctrinas, exempla vitæ habeatur à Reo in magno honore, ut tantò potius facilius ei se aperiat; si enim ignotus accedat, timendum est, ne minùs feliciter negotium succedat, & Confessarium talem Reus semper suspectum habeat.

III. Ante latam sententiam non expedit ejus audire Confessionem, ne timore supplicij peccatum reticeat. Horreat tamen interea ad recitationem Rosarij, aut aliarum precum; subministret pios libellos: suadeat præparationem ad confessionem generalem: doceat, quâ ratione se manè & vespere DEO commendare debeat, quomodo saltem animo adesse divino Sacrificio, quâ ratione in voluntatem DEI se resignare, quomodo Animarum purgatorij meminisse, & consideratione vel caelestium gaudiorum, vel infernorum cruciatuum se solari possit.

IV. Non recipiat in se vitæ servandæ aut supplicij remittendi patrocinium, quia sic Reum non posset tam commode disponere ad seriam pœnitentiam, accuratamque confessionem; semper enim Reus haberet spem vitæ à Confessione obtinendæ; quod si hâc spe cadat, abalienaretur ab eodem, utpote qui causam suam non bene egerit. Poterit tamen in genere promittere, se nihil omitturum, quod in illius commodum cedere possit; quia tamen Justitiæ cursus suus relinquendus, & Magistratus tum propter obligationem, quam habet, scelera puniendi; tum propter maturam considerationem, quam in hujusmodi causis adhibet, non facillè mutat sententiam, ideo suadere se dicat, ut in divinam voluntatem se penitus resignet, & quò prævisa tela minùs feriant, ad
N 2 quam-

quamcunque sententiam de manu Judicis non aliter atque de manu ipsius DEI accipiendam se præparet.

V. Adhortetur illum sedulo, ut hoc tempore à DEO is subsidium animæ concessio utatur serio, sapius eliciat actum contritionis (quem in finem, si rudis sit reus, proderit conceptis verbis præire, aut quærere ex ipso, num doleat de peccatis, eò quòd DEVM velut summum bonum super omnia à se dilectum tam graviter offenderit) imitetur SS. pœnitentes, ut Latronem in cruce, S. Mariam Magdalenam &c. quorum historias proderit recensere: suadeat insuper, ut incommoda, quæ justitia injungit, DEO offerat pro peccatis suis, Christi doloribus uniat, pro animabus purgantibus pœnas suas, aut certè pro proprijs peccatis offerat.

M E M B R U M II.

Quid post latam sententiam sit observandum.

I. Cùm hoc in articulo versetur cardo salutis, Operari DEVM sibi & DEO placare, omni, quo potest, modo studeat, orationibus, pœnitentijs, & subsidio spiritali ab alijs etiam expetito.

II. Ante omnia disponat Reum ad sententiam justitiæ æquo animo suscipiendam; ipse verò Reo non significet sententiam, sed per Ministros justitiæ significari curet, ex quibus ubi eam intellexerit, tum primùm conetur eum potentibus argumentis ad patientiam & resignationem excitare; inter quæ argumenta primarium jure merito locum habet Christi patientis exemplum, quod proinde assiduò ipsi ob oculos ponendum est, perque illud omnes tentationes, quæ, sive ex genere, sive causa, sive alijs circumstantiis mortis decreta oriuntur, solvendæ. Proximum ab hoc locum habet SS. Exemplum, maximè eorum, qui simili genere mortis obierunt, aut qui imbecillitatem sexûs fortitudine sua superârunt. horum ergo velut agmen obijciendum est Rei animo, simulque illa S. Augustino olim facta admonitio adjicienda: poterunt isti & istæ, & tu non poteris? Vehementer etiam ad leniendum Rei dolorem prodest, si singularis DEI erga ipsius bonitas clarè demonstretur, quâ ei gratiam fecit, quam Mauri-

tritus Imperator olim pro speciali beneficio habuit (dum scilicet illi optio facta est, commissum scelus in hac aut altera vita luendi) & multis millibus hominum sceleratorum Deus non concessit, utpote quos misera & improvisa morte in sceleribus obire permisit. Hortetur ergo, ut pro tanto favore non tam verbis, quam ipso opere gratum sese exhibere conentur Reus, atque ad mortem fortiter subeundam tantò accuratius se disponere studeat, quantò plura & efficaciora ipsi mèdia DEVS ad hunc finem concessit, puta plenum rationis usum, carentiam dolorum corporis, præsentiam & adhortationem continuam Sacerdotis, præscientiam horæ mortis, agonis brevitatem, & similia, quæ proin paulò clariùs ei explicanda sunt. Tandem plurimùm conducet, bene explicare, quàm terribilem sententiam, coram quanta multitudine auctore, quàm gravia, eaque æterna tormenta sustinere debeant damnati, quæ & ipse promeritus quidem fuisset, sed nunc in mitiorem mutata sunt pœnam. Fortiter ergo sustineat illam, gratiasque DEO agat, quòd tam clementer cum illo procedat; exclamet proin cum S. Augustino: *Domine hîc urs, hîc seca, modo parcas in æternum.* Non sunt condignæ passiones huius temporis ad damnatorum pœnam, quæ revelata est nobis.

III. Ante omnia Confessionis & Evcharistiæ Sacramenta ritè suscipienda erunt. Pro Confessione autem hæc notanda sunt ex Laymanno lib. 8. Tract. 6. c. 5. Primum. Secundum probabiliorem sententiam reum non esse obligatum ad manifestandum crimen morte vel mutilatione dignum, si intelligat, illud plenè probari non posse. Secundum, post latam à Iudice sententiam desinere in Reo obligationem confitendi criminis, quod antè, quamvis injustè, negarat, quia finito iudicio finitur etiam obligatio Rei. Tertium est, Reum ad vitanda gravia tormenta posse sine peccato crimen etiam capitale sibi imponere, quia vita non est digna, ut tanto dolore servari debeat; imò posse etiam jurare æquivocando, docent teste Diana p. 3. tr. 5. ref. 7. communiter Doctores cum Navar. hinc absolvi potest. Quartum, si notetur eum in tortura, vel aliàs detulisse innocentem, obligari ipsum debere ad restitutionem famæ, maximè si innocentibus delictis impenderet periculum vitæ. Quintum est, ipsam mor-

tem Reo in pœnam scelerum commissorum solere imponi, unde levis ipsi pœnitentia à Confessario imponi potest. Sextum est, enitendum esse Sacerdoti, ut, si Reus odium aliquod in Judicem aut partem adversam, aut testem habeat, id omne ex animo ejusdem evellere studeat.

IV. Si Confessarius satis manifestè intelligat, damnatum esse innocentem, ordinariè tacere debet, nec monere Judicem ob tres causas. Prima est, quia communiter frustra monebit, cùm Judex secundùm allegata procedat. Secunda est, si innotescat semel, tali modo Reum esse liberatum, timendum erit, ne alij sacrilegè crimen in confessione celent ob similem spem mortis evadendæ. Tertia est, quia si plurius Reorum Confessiones audiens dicat, hunc vel illum esse innocentem, de reliquis verò taceat, Judex colliget, reliquos esse reos, & crimen esse confessos.

V. Reo per Confessionem expiato, & SS. corpore Domini refectò præter Confessarium, & ejus socium non expedit plures cum eo conversari; ipsi verò de nulla re alia loquantur, nisi quæ ad salutem pertinet, omnem sermonem de amicis, parentibus &c. præcidentes.

VI. Ultra duas horas colloquium non protrahatur, ut quies utrique detur ad respirandum; consulendum tamen hoc in re ipsius Rei voluntati & necessitati, qui, si exoptet tale colloquium produci, parendum erit. Ut verò fastidium cavetur, proderit cum eodem nunc de rebus pijs loqui, nunc recitare Rosarium, aut Litanjas, aut alias preces; nunc familiariter admonere, ut quiescat, se interim dicturum horas, & in suis orationibus fore ejusdem memorem; nunc Reo quasi dilectissimo, cum adstantibus de rebus sacris loqui, recensere accommodatas temporis historias, maximè de aliquibus Reo generosâ morte defunctis.

VII. Ultima nocte imminente admonebit Reum, ut dormiat, ne timor mortis imminentis hominem nimis debilitet, & indispositum reddat diei sequentis necessariis admonitionibus, & imparem doloribus exantlandis. Expedit autem dormienti adesse quendam, qui, si necesse sit, consolari queat, quia tunc magis crescunt tentationes & desolationes.

M E M B R U M I I I.

Quid circa ipsam productionem & supplicium
Rei sit observandum.

I. Illuſcente fatali die prima ſit cura Sacerdoti, ut formato S. Crucis ſigno, & invocato in vota DEO, eidem dies illa offeratur intentione optima; uniatur diei, quo Chriſtus paſſus eſt; imploretur auxilium Sanctorum, præſertim Patronorum, & illius, cujus nomen gerit Reus. Detur opera, ut confiteatur iterum, lucretur indulgentias, conformetur voluntas cum divina, & alia exerceantur pietatis opera, uſque dum carcere educatur: ſolatio erit magno, ſi indicetur pro ejus felici morte jam litatum DEO, pro anima verò denuò litandum. Spondeat quoque Sacerdos, ſe rogaturum plures, maxime verò Spectatores poſt ſupplicium ſumptum, ut pro eo preces, & fortè etiam indulgentias aliquas (maximè menſuræ Communionis, ubi earum facultas eſt) offerre dignentur.

II. Caveat, ne quidquam ad feſtinandam mortem proferat; imò interrogatus à ſatellitibus vel alijs, an omnia ſint absoluta? reſpondeat, ſui muneris eſſe, cum Reo de animæ ſalute agere, reliqua ſui fori aut judicij non eſſe. Secundùm Vaſquez tamen irregularitatem homicidij publici non incurrunt perſonæ privatae, ſed tantùm Miniſtri Juſtitiae.

III. Curet, ut, cum educitur Reus, ejuſque ſcelera publicentur; item cum ducitur ad locum ſupplicij, atque ad eum pervenitur, ſemper habeat preces commodas, quales peti poſſunt ex Troſtbrunn P. Vogleri & alijs, quamvis valde ſuaſum, ut orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam cum Symbolo Apoſtolorum frequenter recitando præeat, & ſubinde convenientes actus variarum virtutum immiſceat. Saepe etiam SS. Paſſionis mentionem faciat, atque in memoriam revocet, quomodo Chriſtus raptus fuerit ad tribunalia, ductus, crucifixus &c. ſuaſque actiones uniat illius actionibus.

IV. Cùm fertur ſententia decretoria, hortetur Reum, ut eam cum humilitate & reſignatione magna de juſtiſſima DEI manu accipiat, rogétque DEUM ardentibus ſuſpirijs & verbis

ferventibus, ut intuitu hujus feralis sententiæ dignetur cum sententia mortis aeternæ liberare.

V. Cùm Reus ad mortem pergat, summopere curandum est, ne oculis huc illuc vagetur, obvios salutet, aut alloquatur, maximè amicos aut consanguineos, sed totis viribus in unam animæ salutem incumbat. Si transeundum sit prope templum vel crucem, juvabit Christum vel sacram aedem inclinato capite, aut forsitan etiam flexo poplite venerari, & operam gratiæ divinæ exposcere.

VI. Proderit in tam funesto itinere orare continuo, quod ut fiat suavius, nunc è libello preces recitentur, nunc è memoria, prout affectus dictaverit, actus virtutum eliciantur, præsertim contritionis, fidei, spei, resignationis, invocationis, &c. Sæpe tamen clamare non expedit, quia non raro magis turbatur animus Rei, & quodam horrore percellunt vociferationes hujusmodi. Curet, ut manibus teneat crucem, circumligatum sit rosarium, si quidem manus post tergum non sint revinctæ, tum enim ipse crucem ferat, & sæpius offerat deosculandam.

VII. Cùm in conspectum loci fatalis venerit, conetur Reo adimere horrorem, vel minuere certè. Proderit exemplum S. Andree in memoriam revocare, & explicare, quo animo Christus montem Calvariæ ascenderit. Juvabit etiam frequenter tum repetere voces illas: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo & in terra: Domine, non quod ego volo, sed quod tu. Domine, hinc ure, hinc seca; modo parce in aeternum. Etiam si occiderit me, in eo sperabo.*

VIII. In ipso loco denuò & magno cum affectu interroget, num animum aliquid cruciet, vel remordeat conscientiam? num iterum confiteri velit? an alia quapiam tentatione impugnetur? adhortetur exquisitis verbis ad luctam ultimam, in quâ si victor evadat, triumphaturus sit in aeternum. Iterum quærat, num omnibus ignoverit? ingementur actus contritionis, resignationis, virtutum Theologicarum, suadeatur osculum crucis, & ejusdem ad pectus amorosa appressio.

IX. Ut majori cum alacritate vel ictum, vel laqueum recipiat, rursus polliceatur Operarius, se illius post mortem memorem futurum; nec unquam desistat à cohortatione ad patientiam. Curet, ut sæpe ingeminet SS. nomina Je-

na JESUS, MARIA. Et, In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

X. Si fur ad suspendium damnatus, dum scalas ascendit, cupiat confiteri, censet doctus quidam Theologus, Sacerdotem vel petere posse à Judice, ut eum rursus demittat, quia Confessarius respectu animæ in Reum jus habet fori interni; vel si nullus alius adsit modus, e minus eum absolvere possit propter datum signum confessionis.

XI. Quod si Reus omnino nunquam confiteri vellet, idem Doctor censet, ipsum posse invitum, & non confessum plecti, cum ex malitia & non tantum ex fragilitate in tale periculum se conjiciat. Tentanda tamen prius sunt omnia cum tali obstinato, & 1. Hortandus etiam flexis genibus, si opus erit ad curam animæ. 2. Recensendæ tragicæ historiæ impœnitentium, Inferorum pœnæ. 3. Irato vultu discessus simulandus. 4. Alius Reus admonendus, ut illi meliora suadeat consilia. 5. Redeat Operarius, & excuset factum; ostendat spem sanioris mentis & consilij, paratum se sanguinem pro ipsius salute fundere, si fieri possit, & DEUS velit. 6. Si nihil hæc proficiant, cum adstantibus pro eo orandum erit, & Reus monendus, ut idem faciat. 7. Si neque his aliquid proficiat, non desistat, sed in ipso etiam fatali loco eum suæ salutis admoneat.

M E M B R U M IV.

Quid post mortem Rei sit observandum.

I. Postquam Reum vitâ excessisse judicaverit, hortetur circumstantes Spectatores, ut animam defuncti DEO fecum commendent, ut, si quid expiandum adhuc illi de peccatis restiterit, id per infinitam suam misericordiam & passionem ac merita Filij sui, ac Domini nostri JESU CHRISTI condonare dignetur. Quod quidem hoc vel simili modo præstare poterit: *Per dilecti Spectatores, spectâstis agonem & luctam ultimam dilectissimi in Christo Fratris nostri N. cuius animam, etsi ob mortem tam piè & Christianè obitam merito speremus, ab Angelis in cælos fuisse deportatâ, quia tamen occulta nobis sunt admiranda Dei iudicia, ideo, ut si quid fortè eidè adhuc in altera vita expiandum restabit, id per infinitam DEI misericordiam, meritaque copiosissima Christi Filij eius, & omnium Electorum suorum*

suorum relaxetur, omnes illius nomine obsecro, & obsecror, ut cum animam illius omnipotenti DEO commendatis, & semel orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitetis. Quibus dictis genuflectens dicere poterit clara voce preces ex prescripto Ritualis Romani post egressum animæ dicendas, & circa finem sequentis capitis ponendas, vel ipse etiam cum Spectatoribus occultè Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dicere, eaque finitâ clarè pronuciare poterit sequentia verba: *Requiem æternam dona ei, Domine, & lux perpetua luceat ei.*

II. Postquam ab oratione surrexerit, valde expedire videtur, ut, quandoquidem tum animi Spectatorum ob supplicij conspecti horrorem bene admodum dispositi creduntur, brevem ad eos exhortatiunculam instituat, quâ eosdem universim ad timorem DEI ob tam amaros peccatorum fructus, speciatim verò Parentes ad bonam Filiorum educationem Liberos verò ad obedientiam Parentibus, & cultum Numini præstandum exhortetur. Id quod hæc vel simili ratione præstari posset: *Perdilecti Spectatores, exhibuistis opus Christianæ pietatis, pro quo Defuncti nomine debitas vobis gratias persolvite, rogoque, ut etiam deinceps eundem in precibus vestris commendatum habere non omittatis. De reliquo, quoniam ad hoc vestre Spectaculum vos non curiositatis duntaxat gratiâ, sed fructus vitæ spiritualis capiendi causa confluisse credo, omnes vos in Domino adhortor, ut, quam olim Philosophus quidam Sapientissimus Regi cuiusdam suggererat, doctrinam atque sententiam, hanc vos hodie à carissimo Fratre vestro modò piè in Domino defuncto vobis commendatam credatis, nimirum nihil incipe, priusquam exitum consideres. O si dilectus Frater noster, dum scelus, propter quod modo supplicio extremo affectus est, perpetravit, hunc tam amarum illius exitum prius considerasset, profectò nunquam ad tam fatale facinus manus suas extendisset. Vos ergo, dilecti, alieno damno, & exemplo respiscite, & discite, quòd, ut DEVS per Prophetam Ieremiam verissimè dixit, malum & amarum illi fuerit, reliquisse Dominum DEVM suum, & non fuisse timorem eius apud ipsum. In omnibus ergo operibus vestris memoramini novissima vestra, & in æternum non peccabitis. Aliàs si fortè ob malam educationem, vel societatem, vel consuetudinem malam Reus ad scelus tantum perpetrandum inductus est, id quod*

quod ex ipso facile per colloquia ante mortem instituta intelligere licebit) poterit ex hac ipsa causa occasionem fructuosæ exhortationis desumere, & imprimis breviter narrare historiolam de filio, qui, cum per scalam ad furcam ascenderet, Patrem ad se, quasi ultimum valedicturus, & secretum aliquod manifestaturus vocavit, & accedenti aurem dentibus abscedit; eo quod per ipsius indulgentiam huc esset adductus. Inferat proinde Operarius, idem facturum fuisse nunc defunctum, si socios aut Parentes presentes habuisset. Hortetur proinde Parentes, ut correptioni Liberorum invigilent; Liberos, ut correptionem paternam recipiant, omnes verò, ut malam societatem & consuetudinem fugiant, ne in similes culpas, infamiamque ac supplicia incidant.

II. Denique, ubi domum regressus fuerit, imprimis debitas DEO, Cœlitibusque gratias pro felici successu tam difficilis functionis persolvat; subinde super actiones suas omnes cum Captivo suo susceptas se reflectat, ut, si quid minus dextrè à se peractum, vel certè minus prosperè cessisse adverterit, deinceps in simili casu emendare queat. Quod si verò aliunde cognoverit, aliquos in illo loco, in quo degit, sanguine vel cognatione Reo conjunctos habitare, magnæ caritatis opus præstabit, si eos invisere, solari, & quàm Christianè ac piè cognatus obierit, significare dignabitur, simulque admonebit, ut animæ illius in precibus suis sæpius meminerint, factaque legi curent, & alijs Christianæ caritatis opreibus juvent.

CAPUT VI.

DE APOSTOLICA ÆGRORVM ET MORIBVNDORVM VISITATIONE.

Modum cum his agendi varij tradunt Authores, præcipuè P. Joannes Polancus in Methodo moribundos adjuvandi; P. Georgius Voglerus in libro suo, quem *Trost-Drum* seu Fontem consolationum inscripsit; P. Georgius Mentzius de arte patiendi & compatiendi; P. Philippus Servius in Amico Fideli, sive modo juvandi moribundos. R. D. Georgius Pistorius in libello, quem spirituales Apothecam seu *die Geistliche Haus-Apothecken* vocavit, & plures alij, ex quibus tamen ea duntaxat, quæ magis ad praxin quotidianam accommoda-

ra videbuntur, feligam, atque in breve compendium redacta hoc capite offeram. Quæ quidem omnia iterum ad quinque ferè capita reduci possunt, videlicet 1. Ut ægros solidè consoletur. 2. Ut eosdem fructuosè occupet. 3. Ut eos ritè ad mortem disponat: 4. Ut illos contra tentationes efficaciter muniat. 5. Ut illos in ultima lucta discretè animet, atque confortet.

§. I.

Quanti momenti sit ministerium adjuvandi ægros & moribundos.

I. **M**ulta quidem à variis motiva afferuntur ad ministerij huius gravitatem ostendendam, sed quæ ad tria ferè nempe ad summam necessitatem, summam utilitatem, & summam denique jucunditatem, revocari possunt; hæc tria namque si Operarius sæpe ac seriò ponderaverit, dubitari non debet, quin ignis ardentissimi ad ægros ac moribundos adjuvandos desiderij in hac meditatione sit exarsurus. Quare operæ pretium videtur, ut singula ex tribus hisce motivis breviter demonstrantur.

II. Et in primis quidem summa huius Ministerij necessitas ex quatuor argumentis colligitur. 1. Quia à bona morte tota moribundi salus, & ipsa beatitudo dependet; nam, uti Salomon Eccl. 11. ait? *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Si benè finierit vitam, in Austro erit æternæ beatitudinis; si malè, in Aquilone æternæ miseræ. Unde meritò Justus Lipsius, teste Drexelio in ætern. Sanctissimam Cœli Reginam in morte sic allocutus fertur: *O Mater DEI, adesto Famulo tuo cum æternitatis luctanti. & ne deseras me in hac hora, à qua æterna salus anime meae dependet.* 2. Quia malæ mortis detrimentum irreparabile est; cum enim semel duntaxat quemvis mori contingat, necessariò sequitur errorem, qui hîc admittitur, nullo ingenio corrigi posse. Si ergo Lamachus non ignobilis apud Lacedæmones Centurio sapienter admonuit, summam in militia vigilantiam requiri, non enim perinde errari in bello, atque aliis in rebus, eò quòd error ibidem sit irreparabilis, non item in istis; quantò magis similis vigilantia & sollicitudo in hoc extremo prælio, in quo de cujusque præliantis salute agitur, ad-

tur, adhibenda erit. 3. Quia nunquam homo tantopere indiget auxilio, atque in isto transitu; tunc enim conflictus est terribilior, vires debiliores, impedimenta graviora, & rerum occurrentium multitudo major, quam unquam fuerit; unde merito, sicut Dæmon videns tunc breve tempus superesse, & vel obtinendam, vel amittendam victoriam, auget furiosam ac rabidam suam diligentiam, ita Operarius quoque spiritualibus armis munitus accedere, omnemque in protegendo ac confortando moribundo industriam adhibere debet.

III. Jam verò summam quoque in hoc ministerio utilitatem reperiri, vel ex eo satis patet, quod nec ipsi ægro major felicitas obvenire, quam æterna beatitudo, ad quam procurandam hoc ministerium unice dirigitur, obvenire; nec ipse Operarius ad eandem felicitatem olim obtinendam certius, efficaciusque medium adhibere posse videatur. O quam lætas (inquit Philippus Servius Operarium alloquens p. 1. §. 1.) quam jucundas depromet voces animi memoris indices, quisquis operam tuam & industriam viderit se à periculosis mundi hujus fluctibus eductum in tutissimo salutis portu conquiscescere! Crede mihi, pro referenda gratia DEUM precibus sollicitare non desinet, usque dum in cælo gaudij tanti socium habuerit, cujus obtinendi tam bonum in terris nactus est Adjutorem. Quod si beati (ut loquar cum Scriptura) fraudari nequeunt à desiderio suo, intelligis, opinor, Operarie, quam utiliter operam locas, atque ad eum, cum moribundos adjuvas, te non magis illorum salutem, quam tuam velificari; nam si Apostolo Philippensibus, quos ad pietatem erudierat, dicere libuit: Gaudium & corona mea omnes vos estis; quomodo non erunt gaudium & corona tua, quos ad gaudium, coronasque cælestes quasi manu duxeris?

IV. Quod verò summa etiam in hoc ministerio jucunditas inveniatur, iterum tum moribundi ipsi, tum Operarii fideliter illis assistentes propriam suam experientiam edocti testantur. Quæ enim major ægro lætitia obtingere potest, quam si in casu omnium terribilium terribilissimo, ut ait Aristoteles, amicum fidelem habeat, qui, teste Siracide c. 6. est protectio fortis, medicamentum vitæ & immortalitatis, cujus consiliis anima perinde dulcoratur, quemadmodum unguento & variis odoribus delectatur cor? certè nihil æquè ægrum reficit, te-

ste Se-

ste Seneca ep. 79. quàm amicorum affectus. Quòd si verò niam nullum in orbe majus est gaudium, quàm bonæ & securæ conscientia lætitia, hoc maximè tempore, quando propediem venturus creditur Judex Jerusalem in lucernis scrutaturus, & singulorum conscientias examinaturus, an non iterum jucundissimum dicemus moribundos juvandi ministerium, cujus primaria cura, laborque eò potissimùm tendit, ut bonam moribundus conscientiam possideat, & cum illa spem certam æternæ felicitatis concipiat? Nec minor sanè ipsi quoque Operario jucunditas ex hoc ministerio orietur, quid enim jucundiùs accidere potest Apostolico alienæ salutis zelatori, quàm animam, pro qua, teste S. Chryostomo hom. 48. in ps. unigenitus DEI Filius non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed pretiosum sanguinem, eripere Diabolo, & DEO lucrari? custodire à flammis perpetuis, & æternorum gaudiorum facere participem? quam lætitiã in morte sentiet, qui meminerit, se tam copiosum tot moribundis solatium creasse, atque adeò eadem sibi mensurâ à DEO consolationem mensuratum iri? quàm incredibilem denique voluptatem post mortem percipiet, si tot animas in cœlo videat inexplicabili gloriâ fruentes, sibi que eam gratissimo animo adscribentes? Expertus sanè hanc voluptatem est Religiosus ille, qui, cum confessiones pauperum libenter excepisset, cœloque submississet, ab iisdem obviam sibi venientibus post mortem, è purgatorio liberatus, magnâque gratulatione ac pompa in cœlum est deductus, uti Joannes Major in spec. Exempl. V. Confessio ex 18. refert.

V. Ex quibus omnibus facilè nunc liquet, quàm magna de hoc ministerio æstimatio sit concipienda, quàmque adeò gravis censenda sit negligentia eorùm Operariorum, qui hoc in negotio socordes & languidi fuerint deprehensi, maximè si per socordiam hanc fieret, ut is, quem adire in morbo extremo neglexissent, sempiternis ignibus addiceretur, què tamen illi duobus fortè verbis cælo asserere potuissent; DEUS bone, ait iterùm Servius, quo animo in te futurũ putas? quas non flamas, quas non furoris faces in caput tuum ejaculaturus est? Sed nec ipse DEUS impunitam talem socordiam finet; id quod Patet quidam è nostra Societate expertus est, ut idem Servius in amico fideli p. 1. §. 3. refert, qui post mortem se cuidam alteri Patri

Patri ex condicto spectandum dedit, asseruitque, se propterea, quod tardior, negligentiorque in invisendis, juvandisque moribundis fuisset, tempore sat longo à conspectu divino exclusum, jussu fuisse ubi vis gentium ac locorum animam agentibus præsto esse, eosque in morem Angeli Tutelaris, quæ precibus, quæ monitionibus internis, salutaribusque inspirationibus adjuvare. Addidit quoque, non se solum, sed alios quoque bene multos diverforum Ordinum Sacerdotes ob contumilem negligentiam simili pœna castigari.

§. II.

Quibus dotibus præditum oporteat esse Operarium, qui ægris & moribundis fructuosè assistere cupit.

UTi ad Sacerdotem in genere, ita vel maximè etiam ad eum, qui cum ægris & moribundis fructuosè agere cupit, gemina dos, virtus scilicet & scientia requiritur; per has enim si corpus & animam ægri lucratus fuerit, cum gaudio quondam dicere poterit ad Christum: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum.

II. Porro in specie agendo de singulis, virtutes quidem sequentes requiruntur in eo, qui prædictis personis prodesse cupit. 1. Est orationis studium, per quam tum sibi necessarium ad negotium tanti momenti gratiam à DEO frequenter petat; tum ipsos etiam, cum quibus acturus est, ægros peculiari affectu DEO in Missæ præsertim Sacrificio commendet. 2. Est Zelus Animarum, qui si unquam, hoc tempore, necessarius est; absque hoc enim languidè obibit hoc munus, & hoc ipso minùs ab ægris amabitur, atque adeò minorem quoque in eorum animabus fructum faciet. 3. Est Patientia & fortitudo, quæ tum omnes difficultates, quæ plurimæ in hoc munere occurrunt, generosè contemnat; tum molestias ex ipso morbo aut ægri vitij subinde exoriri solitas, religiosè, alacritèque sustineat; in hac enim patientia possidebit animas curæ suæ commissas. 4. Est mansuetudo; cum enim ægri plerumque amaritudinibus undequaque sint circumdati, æquum est, ut Sacerdos desideratum dulcium verborum saccharum & mel pro temperanda hac acerbitate offerat. 5. Discretio,

tio, quæ in eo potissimum versatur, ut & in ipsa ratione proponendi, & in materia eligenda modum servet, atque ad plurimum personarum agrorum qualitatem diligenter attendat. Hinc cavendum, ne uno contextu omnia dicantur; ne nimis properanter; ne eodem semper tono &c. Item ne nimis aeger fatigetur, sed quandoque respirandi, & ea, quæ audivit, melius digerendi spatium relinquatur; ideo Sacerdos subinde orat, atque ad idem faciendum alios etiam hortetur. Attendendum præterea, ut hominibus doctis, & exercitatis pauca, selecta, erudita & opportunè dicta proponantur, & quidem non tam instruendis phrasi, quam in memoriam redigendis, vel quod ab ijs fieri creditur, referentis.

III. Scientiam verò quod attinet, triplex potissimum requiritur in eo, qui cum moribundis vult agere. Prima est, ut sciat casuum ordinariorum, qui circa ejusmodi personas in tali negotio occurrere solent, resolutionem, quales maxime sunt circa Sacramentorum administrationem, & restitutionem, aut conciliationes cum Inimicis; v.g. an possit absolvi, qui nullum signum dedit contritionis, neque Confessionarium petivit? an si confessio scripta reperiatur hominis in amentiam lapsi, iste absolvi possit? an restitutio fame vel conciliatio cum Inimicis publicè coram Notario fieri debeat, si inimicitia publica fuit? an ad restitutionem pecunie sufficiat, si per modum legati alteri pecunia debita transferabatur? Secunda Scientia est, ut sciat, quomodo agrum consolari, & ad patientiam, aliàsque virtutes huic tempori convenientes excitare debeat; quomodo item contra varias tentationes cum munire; & tandem quomodo in fundendis orationibus & affectibus eliciendis eum juvare possit, quæ omnia præmeditata, & memoriæ bene impressa habere oportet, ne accidat, ut cum exigua agrorum utilitate, & astantium minore ædificatione suum officium faciat. Et sanè quàm æquum sit, ut Sacerdos se singulari studio ad hoc officium præparet, vel ex ipsa præparatione, quâ se ad publicas conciones præparat, colligere potest; si enim ibi tam sollicitè curat, ut doctrinas loco, tempori, & personis accommodatas, quàm optimè proponat, quantò magis ad hoc negotium tam arduum præmeditatio & rerum, & ordinis erit necessaria? Porro quomodo hæc præparatio facienda sit, infra docebitur. Tertia tandem

tandem scientia est status ipsius ægri; hunc enim nôsse omnino oportebit, videlicet, an sit vir eruditus? an prudens? an patiens? an utatur integris sensibus & iudicio? an credatur vicinus morti? an testamentum fecerit? an confessus fuerit? an communicaverit, & extremam unctionem sumpserit? an aliquid sit magni momenti, de quo moneri æger debeat? quod vitæ genus tenuerit? quæ omnia Operarius ex domesticis, vel illo, à quo vocatur, intelligere poterit, quamvis ipse etiam per conversationem cum ægro hujus mores & affectus facile deprehensus sit.

§. III.

Quid circa Visitationem ægrorum in genere observandum sit.

I. Quemadmodum in omni ferè alia Operarij functione quæria præcipuè observanda sunt, ut functio talis ritè & fructuosè peracta dici queat, scilicet Finis, Modus, & Tempus; ita hæc ipsa in hac quoque Ægrorum Visitatione tantò tempentiùs, perfectiùsque sunt attendenda, quantò plura, gravioraque esse momenta suprà ostensum est, ob quæ functio ista magno cum fervore, sedulitatèque sit obeunda.

II. Et Finem quidem quod attinet, ex ijs, quæ ad initium hujus capituli dicta sunt, facilè patet, præter triplicem illam communem, & remotum ac ultimum finem, qui est major DEI gloria, propria, & aliena salus, de quo hîc nihil specialiter dicendum restat, cum per omnes alias functiones æque, ac visitationem istam quærendus sit, duplicem alium, etiamque proximum & proprium huic visitationi finem præsum esse debere, scilicet consolationem Infirmorum, & eorundem excitationem, ut infirmitatem suam, aut, si DEO ita visum fuerit, ipsam etiam mortem cum debita resignatione ac patientia suscipiant, & supportent, atque adeò vitam suam, sicut christianè & laudabiliter traduxerunt, ita laudabili quoque & glorioso Epilogo claudant. Ad quos proinde geminos fines semper respicere Zelosus Infirmorum Visitator, omnesque suas actiones, quas cum ægro suscepturus est, dirigere debet.

III. Modus hujus functionis ante omnia suavitatem requirit; cum enim in ipsa infirmitate nihil plerumque nisi

Instruct. III.

ame-

amarum & inspidum reperiatur, meritò Operarius, ut supra dictos fines obtineat, saccharum suavitatis miscere debet, quo amarities ista, si non omnino tollatur, non modicè saltem temperetur. Consistit autem suavitas ista in eo potissimum, ut non tantum sincerum commiserationis affectum erga laefirmos ostendat (uam, ut supra ex Seneca dictum est, nihil reque ægrum reficit, atque amicorum affectus) sed ipso etiam opere atque effectu confirmet, nihil omittendo, quod ad solatium & confortationem illius conducere queat; verè enim *magnum*, teste S. Gregorio Nazianzeno, *calamitoso remedium est, miseratio ex animo collata*, præsertim cum nihil eorum quæ Medicus vel Infirmarius adhibenda duxerint, negligi viderint, aut negari. Hinc S. Apostolus I. Cor. 7. de se fatetur: *Factus sum infirmis infirmus, non mentiendo, ait S. Augustinus ep. 18. & 19. sed compatiendo: non simulantis astu, sed compatiens affectu.* Sed & ipse Christus S. Mariæ Magdalenz de Pazzis inter alias regulas etiam hanc numero duodecimam tradidit: *Condescendes cum creaturis meis, sicut ego mandando in terra facere visus sum cum illis summa charitate, habendo semper in auribus meis illam sententiam Apostoli mei: Qui infirmatur, & ego non infirmor?*

IV. Ipsa denique temporis observatio tria requirit.

1. Ut celeriter visitentur, (maximè ubi periculosior est morbus) certòque sibi persuadeat Operarius, omnem moram in tali casu periculosam esse, perpetuumque se habiturum lupulum, si vel unicum animam ob ipsius tarditatem perire contingeret, utpote necessariis ad salutem medijs destitutum. Exemplo esse potest S. Severinus Episcopus, cuius S. Gregorius l. 1. Dial. c. 12. meminit, qui, cum vocatus esset, ut moribundo adesset, & quia paululum substiterat, dum vineæ siccæ palmites, quos casu tunc putaverat, omnino relecti fuissent, interea ægrum mortuum fuisse intellexisset, nullam penitus quietem capere potuit, quam multis lacrymis & precibus eum à morte resuscitavit. Quare quocumque tempore vocetur Operarius, moras omnes abrumpat, negotiaque alia, quantumvis in speciem urgentia tantisper seponat, negotium hoc omnium negotiorum maximum existimans, certòque se persuadens, nullum præstantius se facere posse lucrum, quam Animarum; & commodum, quod propter virtutem, charitatis

tis maximè despicitur, per virtutem melius recuperari. Sed
 & in ipso itinere non se detineat, quin potiùs consilium Elisæi
 Puero suo datum sequatur, ut scilicet cum nullo in via loqua-
 tur, nisi salutandi fortè officium, alià ve gravis causa id requi-
 rit. Novit namque Animarum Hostis Cacodæmon, quantæ
 vel momento unico conversiones fiant; novit, quantum boni
 moribundo afferat Pastoris vel alterius Sacerdotis præsentia,
 cujus verba incantamentis suis omnibus potiora immanè
 quantum perhorrescit, ut proinde mirū non sit, eum undequa-
 que curarum semina accersere, morarū causas necere, & con-
 siliis dolis quàm plurimos ex quovis ferro & ligno obices fa-
 bricare, quibus à morientium tabernaculis Parochi, aliique
 Sacerdotes arceantur. Discat ergo Operarius ex hac Adver-
 satij vigilantia & sollicitudine, Infirmorum causis non in-
 dormire, aut ad eos oscitanter accedere: quemcunque peri-
 citari de vita vel solo rumore acceperit, mox visitet, nec, dum
 advocetur, expectet; si enim jam olim Ethnicus Democritus
 monebat, ad nuptias, convivias, & ludos amicorum invitatum
 accedere debere; ad exequias verò, ad morbos, aliòsque in-
 fortunatos & lugubres casus etiam non invitatum accelerare
 oportere, quantò magis hoc monitum in præsentis moribun-
 dorum negotio observandum erit. Ipse certè Christus, ut
 exemplo præiret, mox, ut servum Centurionis infirmum esse
 audierat, respondit: *Veniam, & curabo eum.* 2. Eadem
 temporis observatio requirit, ut crebriùs visitentur Infirmi,
 quemadmodum Rituale Romanum rectè monet, dum fol. 101.
 sic Parochos hortatur: *Parochus in primis meminisse debet, non
 postremas esse sui Muneris partes, agrotantium curam habere.
 Quare cum primùm noverit, quempiam ex Fidelibus sua cura
 commisisse agrotare, non expectabit, ut ad eum vocetur, sed ultro
 ad illum accedat, idque non semel tantum, sed sapius, quatenus
 opus fuerit, horteturque Parochiales suos, ut ipsum admoneant,
 cum aliquem in Parochia sua agrotare contigerit, præcipuè si
 morbus gravior fuerit.* Si enim Medici corporales ob lucrum
 temporale tam frequenter & sollicitè suos Infirmos visitare
 conueverunt; quantò magis similis sollicitudo à Medico
 spirituali requiretur, qui præter lucrum præstantissimū ipsa-
 ram animarum, etiam sibi incomparabile augmentum me-
 ritorum, & virtutum, atque adeò ipsius etiam gloriæ in altera



vita per talem visitationem lucratur; id quod Siracides Eccl. 7. insinuavit dicens: *Non te pigeat visitare Infirmum; ex enim in dilectione firmaberis.* Et clarius S. Gregorius p. 2. p. 1. c. 5. *Boni Rectores, inquit, etsi iam summa contemplando appetant, necessitatibus tamen Infirmantium compatiendo misentur, quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit; cum ad ima Proximorum se misericorditer demittit; & cum benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa.* 3. Tandem requirit eadem observatio temporis, ut opportunè & discretè visitentur; ut scilicet neque tum, quando ob morali vehementiam parùm apti sunt atque dispositi ad aliorum allocutionem, visitentur; neque nimis longo tempore continuatis colloquijs & exhortationibus graviter fatigentur, uti jam supra priori capte in simili casu dictum est.

§. IV.

Quibus industrijs & cautelis Operarius uti debeat in Aegrorum Visitatione.

I. **Q**uemadmodum periti atque seduli corporum humanorum Medici non solum contenti sunt, ut, quocunque modo suo muneri satisfaciant, sed varias industrias excogitant & adhibent, quibus majorem semper in morbis Infirmorum cognoscendis atque curandis dexteritatem, felicitatemque assequantur, ita idipsum Operarius tantò majori cum sollicitudine præstare debet, quantò potior est animarum, quàm corporum salus.

II. Itaque primò conetur, ægrotorum suorum, ut rectè monet Rituale Romanum, notam seu catalogum habere, in cuiusque statum atque conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere, & illis opportunè subvenire possit. 2. Pariter conetur habere in promptu argumenta, atque alia, quæ eo tempore, in quò tantum est momenti, uti esse possint; qualia sunt præcipuè exempla ac dicta Sanctorum, & eorum maximè, qui in simili necessitate olim constituti, pulchriora virtutis ac patientiæ exempla reliquerunt. 3. Cum labilis sit hominum memoria, nec sufficiens semper ad ea, quæ ipsi credita sunt, firmiter retinenda, non parùm expediet, si semper librum aliquem spirituales secum habeat, ex quo vel devotas aliquas preces cum aut coram ægro recita-

recitare, vel certè pias aliquas ac salutare doctrinas ægro prælegere possit. 4. Quia interdum accidere potest, ut vel ob Infirmorum copiam, vel alia gravia negotia Infirmo cuiuspiam inservire non possit, id præstandum curabit per alios Sacerdotes (ut iterum Rituale Romanum monet) si quos habet in sua Parochia, aut saltem per laicos homines pios, & Christiana charitate præditos, quos proinde interdum ex instituto ad hoc opus charitatis instruere oportebit. Imò interdum ipsos Infirmos sic instruere studebit, ut in absentia Operarij seipso solari, atque ad varios virtutum actus, patientiæ maximè, excitare possint. 5. Eundem in finem etiam suadere poterit, ut libri spirituales ad instructionem, excitationemque ægri idonei iisdem vel ab ipso Operario oblatis, vel certè aliunde conquisiti ad lectum habeantur, & interdum vel ab ipso Infirmo, si vires permittunt, vel certè ab alijs prælegantur. 6. Studebit etiam Crucifixi effigiem, numismata indulgentias habentia, aut sacras Reliquias secum habere, ut, ubi necessitas exegerit, ad solatium ipsi ægro applicari, vel deosculanda, pièque deveneranda offerri queant. 7. Denique ut tanto majori cum fructu atque dexteritate munus hoc obeat, etiam domi frequenter consideret, & examinet, quem successum media à se adhibita habuerint, aut quâ ratione meliùs fortè spiritualibus Infirmorum suorum necessitatibus occurrere possit.

III. Jam verò cautelas quod attinet, earum aliquæ circa corpus proprium, aliæ circa animam sunt adhibendæ ab Operario. Prioris generis sunt, ut magnam sanitatis propriæ rationem habeat memor doctrinæ à Siracide datæ c. 30, dum dicit: *Melior est pauper* (id est, Operarius cum moderato fervore alijs inserviens) *quàm dives*, (id est, Operarius cum indiscreto excessu aliorum salutem procurans) *imbecillus* & *flagellatus malitia*, id est, corporis infirmitate, quia, ut S. Ignatius, teste Ribadeneira l. 5. vir. c. 8. dicebat, æger raro aliquid in utilitatem aliorum facere potest, sanus verò plurimum. Hinc dicere quoque solebat, pluris sibi esse cuiusvis Fratris salutem, quàm omnes thesauros. Id quod Operarius quoque circa seipsum tantò accuratiùs observare debet, quanto plures sunt, quibus sanitas ipsius, operaque est necessaria. Itaque sedulò caveat, ne aut indiscretis vigilijs apud ægrum

susceptis sanitatem lædat, aut nimis propinquè faciem aegri applicet, halitumque malignum (maximè si contagiosus sit morbus) attrahat, sed potiùs ad latus ipsi assistat; caveat tamen, ne lectum facilè aeger aperiat, sicque venenato calore (non rarò cum manifesto Operariorum periculo factum est) adstantem inficiat. Nec spernendum est monitum aliquorum, qui suadent, ut, nisi Sacrificium adhuc offerendum aliud exigat, non facilè jejunus aegrum accedat, sed & balsamo aut alio simili remedio instructus sit, quo, si fortè ob nimium fetorem vel calorem corpori deliquium suboriri advertat, malum illud repellere, virèsq; reparare queat: ant certè si simile remedium habere non potest, fenestras aperiri, aut ex juniperi suffitum excitari jubeat, ipse verò attractum cubiculi malignum aèrem frequenti, sed modesta tamen excreatione, maxime ubi ab agro discesserit, ejiciat. Animi cautela in eo precipuè consistit, ut, quò magis famæ suæ, innocentiaque consulat, nunquam facilè cum aegro, præsertim cum feminis, clausâ janua & extra conspectum aliorum loquatur, sed semper socium secum habeat, qui eo in loco consistat, ubi videre colloquentes, sed non, quæ secreta esse oportet, audire possit quantum loci dispositio patietur; quòd si non pateretur, saltem curet, ne ostium sit clausum, vel locus obscurus; & tunc longiùs, quàm necesse sit, colloquium absque socio non protrahatur.

§. V.

Quid circa Visitationem aegrorum in specie & praxi sit observandum.

I. **A**Ntè, quàm Operarius ad Infirmum vocatus, pedem è domo moveat, prima illius cura, si tempus patiat, esse debet, ut per devotam orationem aegris, quos adjuvandos suscepturus est, divinum Numen propitiet, quod commodissimè per orationem consuetam Ecclesiæ: *Veni Sancte Spiritus, &c.* aut, *Actiones nostras quasumus, &c.* fieri posset. Quibus breviter adjungi posset perbrevis oratio, quâ B. Virginis quoque, & S. Angeli Custodis utriusque (illius scilicet, qui aegris, & qui Operarij curam gerit) uti & aliorum Patronorum suffragium impleretur. Quòd si tamen periculum in mora esset, possent hæ orationes in ipso ad aegrum itinere peragi.

II. Pro-

II. Proxima ab hac oratione cura intentionis purissima renovatio esse debet, quâ scilicet firmissimè decernat, nihil aliud, nisi solam majorem DEI gloriam, ipsiusque ægri, quisquis ille tandem sit, salutem quærere. Quem in finem non parum proderit, si illam Servatoris sententiam Matt. 25. prolatam; *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis*; in memoriam revocaverit Operarius, sic enim non modicè excitabitur, ut pauperes æquè ac divites, ignobiles æquè ac nobiles amplissimo caritatis sinu complectatur, & ut quidam rectissime monuit, pro lapide lydio amoris sui habeat, præsto esse ei, qui, quo amorem ejus invitet, nihil, quàm ulcera: nihil potentius, quo affectum ejus conciliet, quàm ærumnarum & miseriarum mille plaustra habeat.

III. Ubi Cubiculum Infirmi ingressus fuerit, Romanum Rituale monet, ut dicat: *Pax huic domui, Et omnibus habitantibus in ea.* Mox Infirmum, lectum, & cubiculum aspergi aquâ benedictâ jubeat dicendo: *Asperges me, Domine Et c.* Quod si maluerit benedictionem hanc ad ipsum Infirmum dirigere, tum dicere poterit: *Dominus noster IESVS CHRISTVS. te per virtutem hujus aquæ, Et sanguinem ab omni peccato abluat, Et ab hostium tuorum insidiis potenter defendat.*

IV. His præmissis Infirmum & Assistentes humaniter saluet, & quomodo ipse æger valeat, ex eodem percontetur. Quod si ipse, ut facere plerumque Infirmi solent, dolores suos exaggerare incipiat, patienter audiat Operarius, & magnopere se eidem condolere ostendat, ac propterea venisse dicat, ut solatio suo aliquod saltem levamen conciliet. Proderit etiam non parum, si plures interdum quæstiones de morbi circumstantiis proponat, non tam ut morbi naturam cognoscat, quam ut ægrum sibi demereatur, qui plerumque de hac materia libenter loquitur, & suos dolores exaggerari audit. Quod si ex responsis illius colligat, patientem valde, atque in divinâ voluntatè resignatum esse, collaudare modestè poterit hanc ejus patientiâ, diceréque & se, & alios sumopere per eandem edificari, & hinc videlicet singularem DEI ter Optimi Maximi bonitatè ac fidelitatem agnoscere, qui non patiaetur
suos

suos amicos tentari ac tribulari ultra id, quòd possunt, sed etiam cum virtute proventum. Verbo, omnem conatum adhibeat, ut benevolum sibi ægrum faciat, atque ad ea, quæ deinceps cum ipso acturus est, paratum ac promptum habeat.

V. Quia non rarò Infirmi objectiunculas quasdam proponere solent, ob quas sibi morbum præsentem permolestum esse queruntur, idè oportet & has Operarium attentè audire, atque appositè refutare. Et prima quidem objectio hæc esse solet, quòd ab ordinariis suis functionibus, ac bonis operibus impediuntur. Cui objectioni respondeat Operarius 1. eandem rationem, quæ ipsos (si quidem boni Christiani esse, legitimamque intentionem habere velint) impulerat ad prioras functiones & bona opera peragenda, nunc etiam impellere debere ad morbum æquo animo tolerandum, scilicet quia DEUS ab ipsis id fieri voluit. Hinc Avila to. 2. Epist. cuidam similem objectionem facienti respondit: Noli cogitare ægrotus, quid faceres sanus, sed contentus esto, quòd DEO placeat, ut sis infirmus. Et si tu, quod spero, facis, purè quæris DEI voluntatem, quid tuâ in te interest, sanusne sis, an æger? quando quidem ipsius voluntas totum nostrum bonum est. 2. Eandem in memoriam revocet, quòd S. Augustinus l. de carech. rud. c. 4. sapienter pronuntiavit, dicens: *Nemo melius ordinat, quid agat, nisi, qui paratior est non agere, quòd divina potestate prohibetur, quàm cupidior agere, quòd humana cogitatione medidatur.* 3. Ostendat, plus ipsos mereri posse, si patienter hunc morbum sustineant, quàm si sani nescio quæ opera alia præstitissent. Certè S. Chrysostomus testatur, S. Jobum plus meritum esse, dum se in confertis illis calamitatibus divinæ voluntati resignavit, quàm prius omnibus suis elemosinis, quas dives & sanus dederat, promeruit. Idem sensit P. Balthasar Alvatet Societatis nostræ illuminatissimus, & suo tempore, ut S. Teresiæ revelatum est, sanctissimus Sacerdos, qui venturi cuidam Operario conquerenti, quòd ob morbum nec orare, nec sacrum facere, nec confessiones audire, aliâque munerâ, quæ sanus obierat, præstare posset, respondit, plus facere DEUM, si quis cum pet mensem sustineat, quàm si in ministris hujusmodi per integrum annum illi serviret. 4. Demonstret, DEUM operâ nostrâ & bonis operibus non indigere, millèque alias vias ipsi suppetere, per quas illud bonum, quòd

ipsi per suas functiones obtinere desiderant, procurare possit; nunc autem id unicum ab ipsis exigere, ut morbum hunc æquæ animo sustineant, reliquas curas sibi committant.

VI. Altera objectio est, quod à lucro temporali impediuntur: cui objectioni respondeat 1. Operarius, cum Dispensatores duntaxat bonorum temporalium tam ipsi, quam alij homines existant, non magnopere sollicitos ipsos esse debere, et plus vel minus DEUS velut supremus illorum bonorum Dominus ipsis concedere velit, atque adeò nec tristari ob lucrum, quod obtinere tantopere desiderabant, negatum. 2. Ostendat verissimè dictum à non nemine: Lucrum, quod propter virtutem despicitur, per virtutem meliùs recuperatur; idque hoc in casu vel maxime locum habiturum, si DEO confidere ausi fuerint. 3. Revocet illis in memoriam promissum Christi Matt. 6. *Quærite primum regnum DEI, & iustitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis*: & ostendat, nunquam illos regnum DEI meliùs quærere, quam si non in prosperis, sed in adversis etiã casibus divinæ voluntati se penitus subjiciant.

VII. Tertia objectio est, quod domesticis suis, & ipsi Operario per infirmitatem suam graves molestias creent; cui objectioni respondeat Operarius 1. & tam se, quam domesticos velut mercatores spiritualis lucri per caritatem, aliasque virtutes circa ægrum exercendas obtinendi cupidus ægrum instaurari jubeat, sicque certò sibi persuadere, eos Mercatorum more potiùs gavisuros, quam tristaturos, si per suam infirmitatem illis occasionem faciat hujus lucri obtinendi. 2. Ostendat, etiam ipsos bonos Christianos esse, atque adeò in omne DEI beneplacitum paratos; unde cum DEI voluntatem nunc exigere videant, ut ipsi ægro ministrent, æquali alacritate nunc ipsi infirmo servituros, quam priùs sano & incolumi servierant. 3. Demonstrat, & ipsos merito timere posse, ne in similem calamitatem, necessitatèque incidant, atque adeò libenter nunc aliis ministrare, ut similem olim caritatem & ipsi experiri mereantur.

VIII. Ubi explorata satis habuerit, quæ intelligi oportebat, benevolùmque se habere ægrum adverterit, tum demum utatur religiosa & modesta libertate in omnibus, quæ ad officium suum pertinent, quæ quidem sequentibus §§. explicabuntur.

§. VI.

Quâ ratione æger instruendus sit, ut officio suo satisfaciat,

I. CUM plerumque homines adeo in prævidendis adven-
tibus sint incurij, ut nihil minus tempore sanitatis
cogitent, quam quod aliquando infirmitatem contracturi
sint, ideo plerumque etiam ignorant, quâ ratione se morbo
tempore gerere, debitumque ex eodem fructum reportare de-
beant. Unde merito ad Operarium pertinere creditur, ut hanc
ignorantiam tollere, & quo potissimum modo infirmitatem
suam Christianè & fluctuosè de manu DEI suscipere, & susti-
nere debeant, eosdem edocere studeat. Consistit ergo hic mo-
dus in eo ferè, ut quædam capita erga DEUM, Christum, &
Cœlites; quædam erga Medicum & Infirmary, & eos, qui
iplos Infirmos visitant; quædam erga seipsum; & quædam
denique erga Dæmonem hoc maximè tempore sævientem
& insidiantem observent.

II. Et I. quidem erga DEUM tria præcipuè capita ob-
servare deberet quilibet ægrotus, nempe 1. Ut ante omnia re-
gratiam cum eodem redeat, & peccatorum, quibus hanc suam
infirmitatem fortè promeruit, veniam frequenter ac demissi-
petat, clamando assiduè cum S. Davide Pf. 50. *Miserere mei
DEVS, secundum magnam misericordiam tuam.* 2. Ut fre-
quenter se resignet ad morbum hunc & alios adversos casus
cum magna submissione patientiâque sustinendos, ac proinde
assiduò cum S. Job exclamet: *Sicut Domino placuit, ita s-
ctum est: Sit nomen Domini benedictum. Pater, fiat vo-
luntas tua sicut in celo, ita & in terra.* 3. Ut sibi penitus
diffidens, totam spem suam in DEO ponat, ideoque frequenter
gratiam ad morbum suum patienter sufferendum perat dicen-
do: *Domine, auge dolores, auge patientiam. Domine, da,
quod jubes, & jube, quod vis.* Quem in finem proderit su-
spira illa, quæ superiori capite circa captivum ab initio capti-
vitatibus elicienda dixi, usurpare.

III. Erga Christum itidem tria officia ab ægro sunt præ-
standa. 1. Ut ipsum in Magistrum patientiæ eligat, ideoque

oculos semper in ipsum tempore morbi conjiciat, clamans cum Sponsa: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum*. id est, virtutum tuarum. 2. Ut eundem etiam in Consolatorem eligat, ideoque saepe dicat: *Non est servus major Domino suo, nec Discipulus supra Magistrum.* Et cum S. Bernardo: *Nolo, Domine, esse sine dolore & vulnere, quando te video tot doloribus & vulneribus cruciatum.* 3. Ut in Protectorem etiam & Adjutorem ipsum eligat, dicendo saepius: *Ecce, Domine, quem amas, infirmatur.* Ab illic iterum: *veniam, & curabo eum! Si Christus pro me, quis contra me?*

IV. Erga B. Virginem, reliquosque Caelites pariter tria officia sunt praestanda. 1. Ut eorundem Patrocinium frequenter illis S. Job verbis imploret: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* 2. Ut se per fiduciam in ipsorum auxilio tempore tentationis solvetur, dicatque cum Elisæo: *Noli timere, plures enim pro nobis, quam contra nos.* 3. Ut se eorundem exemplo ad patientiam exciter, dicatque: *Nonne omnes Sanctos per multas tribulationes oportuit in regnum caelorum intrare? cur ergo ego solus sine cruce vivere volo? Potuerunt isti, & ille centuplo graviora ferre, & tu non poteris minores longae dolores supportare?*

V. Erga Medicum & Infirmarium magnam imprimis fiduciam concipiat, certoque sibi persuadeat, nihil aliud ipsos nisi salutem illius quaerere, ideoque nihil neglecturos, quod ad hunc finem conducere posse videatur. Deinde beneficia illorum se grato animo agnoscere ostendat, imò interdum etiam verbis gratias agat, promittatque se DEUM pro ipsis rogeturum, ut, suo loco tanta beneficia millecuplo foenore recompenset. Denique iisdem non aliter ac aliis Superioribus obediat, nec murmuret, si fortè quid aliter, ac ipse vellet, disponant, sed potius se ipsos ut instrumenta & Interpretes voluntatis divinae agnoscere, & ex animo venerari.

VI. Erga eos, qui ipsum visitare dignabuntur, tria pariter observare debet. 1. Ut illos verbis & exemplis edificare studeat,

studeat, ostendendo, se morbum de manu DEI velut singulare beneficium suscipere, & quamdiu ipsi visum fuerit, cum magna patientia supportare velle. 2. Ut magnam erga illos benevolentiam & reverentiam ostendat, neque ullum unquam in se iudicium adverti sinat, quòd ipsorum colloquia displiceant, etiamsi re ipsa non admodum grata forent. 3. Ut beneficium visitationis grato animo agnoscat, & in eorum discessu re ipsa pro illo gratias agat, idque si occasio & vires permiserint, pro viribus se recompenaturum promittat.

VII. Erga seipsum singulariter etiam sequentia officia præstabit. 1. Ut omnem inordinatam tristitiam, quæ morbum non modicè graviolem reddere solet, ex animo suo penitus proscribat, illudque Senis dictum applicet, quo egrotantem Discipulum sic alloquebatur: Noli mæstus esse, Fili, ob infirmitatem tuam, quin potius gratias DEO pro ipsa persolve; si enim ferrum es, rubiginem amittes; si aurum, probaberis. 2. Ut, ubi media, quæ habere potuit ad morbum curandum, adhibuit, omnem sollicitudinem de illorum effectu DEO committat, juxta saluberrimum D. Petri monicum. *Humiliamini sub potenti manu DEO omnem sollicitudinem propinentes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* 3. Ut sibi ipsi fides sit, & tam præclaram occasionem pro peccatis suis satisfaciendi, præmiùmque suum augendi, ac suum erga DEUM amorem ostendendi elabi non sinat, sed potius ex necessitate virtutem faciens, generosa cum patientia, alacritatèque potius, quàm cum tristitia & indignatione dolores, reliquasque morbi molestias supportet.

VIII. Erga Dæmonem denique itidem sequentia capita sunt observanda. 1. Ut, quoniam hoc maxime tempore, quo hominem debiliorem conspicit, oppugnare solet, diligentius etiam se Infirmus præparet, armæque spiritualia procurare studeat. 2. Ut, ubi actu oppugnatus fuerit, non confectatur, nec cedat, sed in Christi cruce & passione confidens audacter dicat: Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ. 3. Ut ad hunc finem etiam orationis & rerum benedictarum, puta aquæ, cerei, & reliquiarum præsidia non negligat, sed tantò majori devotione, constantiâque usurpet, quanto magis ea Adversario exosa atque terribilia esse cognovit.

S. VI. Quo

§. VI.

Quomodo consolari ægrotos debeat
Operarius.

Sicut Infirmi duplici plerumque desolatione & afflictione, Corporali scilicet, & spirituali cruciantur, ita duplex quoque ab Operario Apostolico consolatio illis præstari potest, scilicet, quæ ad corporis ægri relevationem pertinet; & illa, quæ ad Spiritum seu animam reficiendam ordinatur. De utraque, quomodo præstanda sit ab Operario, breviter hoc loco dicendum est.

M E M B R U M I.

De corporali solatio ægris præstando.

Et si per se non pertineat ad Operarium, corporalibus eorum, quorum curam assumpsit, necessitatibus providere, ut, qui animarum duntaxat, non verò corporum se Pastorem profiteatur; quia tamen Zelosissimorum ac Sanctissimorum Operariorum, quin & ipsius summi & optimi Pastoris Christi exempla demonstrant, illos non rarò etiam ipsorum corporum curam suscepisse, & per hoc faciliorem sibi viam ad animos curandos præparasse, non malè utique ager Operarius, si tantorum Apostolorum atque Pastorum vestigijs insistent, ipse quoque corporalia nonnunquam beneficia Infirmis exhibere conabitur, quemadmodum Rituale Romanum fol. 101. de visit. & cura Infirm. §. 5. etiam monet his verbis: *Eorum verò præcipuè curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi Pastoris charitatem & operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, & eleemosynas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, sive per charitatis, vel alterius nominis Confraternitates, si in ea levitate vel loco fuerit, sive per privatas, sive per publicas collectas & eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum putabit.* Ex quibus verbis satis patet, non tantùm alienam non censerì debere ab Operario hanc corporali solationum exhibitam charitatem, sed vel maximè Apostolicum Zelum juxta ipsius etiam Ecclesiæ sensum decere; si enim qui Domini quendam diligit, ac pascit, etiam equum illius

illius pascere non omittit; cur Operarius, qui animum hominis aegri curandum atque pascendum suscepit, non corporis etiam velut jumentum curam aliquam suscipiat?

II. Porro triplex ferè est solatium corporale, quod aeger ab Operario sperare potest. Primum est, ut cibum vel potum necessarium ab eodem interdum accipiat, aut certè ab alijs ipsius operà & precibus submissum; quæ quidem charitas mirè devincit pauperulos Infirmos, de quibus proin merito Operarius illa Christi verba Marc. 8. dicere potest: *Miserere super turbam: ecce iam triiduo (aut amplius) sustinent me (visitantem eos, & ad patientiam exhortantem) nec habent, quod manducant*: quidni ergo succurrat, si potest: aut alios divites & misericordes ejusdem Christi verbis alloquatur Marc. 6. *Date illis vos manducare.*

III. Alterum solatium est, ut, si potest, etiam remedijs aut ad Infirmam omnino pellendam; aut certè refocillationibus ad eandem levius tolerandam juvare conetur; quæ in re, uti non exigo, ut Medici officium sibi assumat Operarius, ita non possum non laudare eorum Operariorum charitatem, qui interdum in solitarijs locis versantes, ubi nulla facile Medici præsentia sperari potest, addiscere student Medici, vel alijs peritis, quæ pro communibus morbis, v. g. febribus, dysenteria, inflammatione linguæ (*die Prein*) stomachi doloribus, ventris obstructione, morbo regio (*Gelbsucht*) remedia adhiberi soleant, simplicia præcipuè, & facili sumptu parabilia, eaque postea ijs, qui aegrorum curam gerunt, suggerunt. Aut etiam myrothecia, & liquores rotaceos, aut alios similes domui suæ asservant, ut ijsdem interdum pauperulos Infirmos refocillare aut curare queant; modo debita semper cautela adhibeatur, ne talis fortè medicina præscribatur, quæ nocuum grave adferre posset, si non sum debita peritia & quantitate applicaretur.

IV. Tertium denique solatium in eleemosynæ oblatione consistit, quæ cum frequenter indigeant Infirmi, ij maxime, qui vel peregrinis in locis aegrotant, vel immites & avaros Patresfamilias aut Heros habent, facile apparet, singulare solatium iis allaturum Operarium, si vel ex proprijs opibus acceptam, vel certè aliunde corrogatam eleemosynam offerat. In qua tamen corrogatione sedulo caveat, ne importunum

exhibeat, &, dum Infirmorum sibi amorem, benevolentiamque conciliare conatur, alios à se importunitate sua indifferenter avertat. Quod certè si periculum adverteret, rectius foret omittere ejusmodi cortogationes, &, si quidem nec ipse autum ex enumeratis tribus solatiis exhibere possit, bonam saltem voluntatem suam ostendere juxta S. Gregorij Naz. orat. de paup. amore consilium dicentis: *Summi muneris loco altissimam dona: si nihil habes, collacryma: magnum est infortunato remedium miseratio ex animo collata.* Quod ipsum etiam S. Augustinus sup. Pl. 109. confirmans, si potes dare, inquit, *dare non potes, affabilem te fac: coronat DEVS voluntatē, si non invenis facultatem. Nemo dicat, non habeo; caritas de sacculo nunquam erogatur.*

MEMBRUM II,

De spirituali solatio ægris præstando.

Nonnulla quidem sunt solatia spiritualia, quæ Infirmis ab Operario præstari possunt, sed si accuratius ea considerentur, ad quatuor ferè revocari genera possunt. Quorum primum meritò Oratio & SS. Missæ Sacrificium existimatur; hinc Rituale Romanum inter cætera monet: *Consoletur Infirmum, dicens, se pro eo in Missa Sacrificio, & aliis precibus oraturum, curaturumque, ut alij itidem pro eo faciant, idque re ipsa præstabit.* Quod solatium ut tantò magis affimet æger, proderit ipsi ex una parte orationis necessitatem hoc maxime tempore urgentem ex illo Christi monito Marc. 14. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem:* ostendere; ex altera vero parte demonstrare, quantas vires habeat aliorum pro ægro facta oblatio, ex Cunonis Monachi exemplo, quem in morte quindécim millia Dæmõnum oppugnabant, qui tamen omnes juxta propriam confessionem nihil ipsi nocere potuerunt, quia alij Monachi adstantes constanter pro ipso oraverunt, uti fufius in Spec. exempl. V. Mors. ex 18. legitur. Unde meritò tam Operario, quàm aliis, quos ad orationem pro ægris fundendam adhortatus fuerit, illa S. Jacobi adhortatio in memoria hæere deberet: *Orate pro invitem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua.*

II. Alterum solatium est, ut Infirmis firmissimè persuadete conetur, non modò hanc infirmitatem à benignissima

DEI

DEI providentia ad majorem suam gloriam, ipsorumque Aegrorum salutem immixtam esse, ita ut merito de eorum infirmitate dici possit, quod Christus de infirmitate Lazari Jo. 11. dixit: *Infirmas hæc non est ad mortem, sed pro gloria DEI, ut glorificetur Filius DEI per eam*; sed etiam DEVM nunquam magis præsentem ipsis suo favore, auxilio, & solatio esse quam in infirmitatibus, aliisque tribulationibus; sic enim ipse ps. 90. promisit dicens: *Cum ipso sum in tribulatione*. Et iterum Isaïæ 43. *Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine meo: meus es tu. Cum transieris per aquas (tribulationum) tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non comburèris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus DEVS tuus Sanctus Israël Salvator tuus*. Atque ita re ipsa præstitit Daniel. 3. quando sub specie Filij DEI cum Pueris in ignem Babylonicum coniectis in medio fornacis conspectus est, & flammam, ne iisdem noceret, cohibuit. Unde merito S. Augustinus in ps. ait: *Magnus quidem est ager huius mundi (& tribulationum, quæ comitantur Mundum) sed magna etiam umbra sub alis DEI*. Et S. Bernardus dicere consuevit ad DEVM: *Da mihi tribulationes, ut possis mecum esse*.

III. Tertium solatium est, ut Infirmis multiplices fructus suorum morborum clarè, solidèque demonstret, qui duodecim præcipuè numerantur, ob quos infirmitas, & quævis alia tribulatio merito ligno vitæ duodecim fructus afferenti, & à S. Joanne Apoc. 12. in medio civitatis Jerusalem conspecto comparatur, quorum primus est, quod à peccatis animam purget, & præservet, uti S. Gregorius ho. 19. in Evang. celebratus est dicens: *Divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitæ agritudo prolixior exurat*. Hinc p. 3. Past. admon. 3. ultimus ait: *Admonendi sunt agri, ut considerent, quanti sit numerus agritudo corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea, quæ admitti poterant, compescit*. Unde senex quidam roganti, ut eum à tertiana liberaret, respondit: *Rem tibi necessariam accipis abijcere; ut enim corpora nitro, sic anima languoribus purificatur*. Et, ut alius dixit, *multi, cum sentiunt pœnam, corrigunt culpam*; ut adeò merito ægroto dici queat: *Bene pungeris, si compungeris*. Nam *Livor vulneris abstergit mala*, Salomon prov. 20. pronuntiavit. Unde rectè S. Augustinus

ut. 7. in Joan. exclamavit: *Quam multi scelerati sani sunt, qui innocenter agrotarent!* Secundus fructus est, quod oculos mentis & intellectum aperiat, ut seipsum homo æger cognoscat; nam *vexatio dat intellectum*, juxta Isaiam c. 28. &, ut S. Gregorius ait, *nemo vires suas in pace cognoscit*. Hinc Christus Jo. 9. cæci oculos aperturus jussit eum oculos suos aquis (per quas tribulationes significantur) prius lavare; quia, ut sapienter Salvianus l. 1. de gubern. DEI advertit, *infirmitas carnis vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animorum*. Tertius effectus est, quod Hominem ad se redire faciat; nam juxta Siracidem c. 31. *Infirmitas gravis sobriam facit animam*. Et, ut communitè proverbium testatur, *infirmum corpus sanas parit cogitationes*; hinc Luc. 2. Zacharias Pater S. Joannis Baptistæ in suo Cantico dixit: *Ad dandam scientiam salutis plebis tuæ visurum nos Oriens ex alto*. Quartus est, quod virtutem probet, & perficiat; nam virtus, teste S. Paulo 2. Cor. 12. *in infirmitate perficitur*; quod ipsam eleganter confirmans S. Cyprianus l. de morte: *Sit licet, ait, rei familiaris amissio, sit de infirmitatibus morbis assidua & cruenta morborum vexatio, sit de uxore, de Liberis funebris & tristis avulsio, non sint tibi scandala ista, sed prelia; non debilitent aut frangant Christiani fides, sed potius ostendant in colloca-tione virtutem, cum contem-pnenda sit omnis iniuria malorum præsentium fiducia bonorum futurorum. Confluctatio in adversis probatio est virtutis, sicut scriptum est, vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*. Quintus est, quod animam possidere faciat; sic enim Christus Luc. 21. testatur: *In patientia vestra custodiemus animas vestras*. Id quod clarius explicans S. Gregorius l. 5. mor. c. 14. ait: *In patientia anima possidetur, quia per illam omnibus rebus, & sibi ipsi homo dominatur: & quò se invincibiliter frangit, eò fortiter infractum erigit. Cum enim se operat, ad contraria invictum parat*. Sextus est, quod electionis securitatem præbeat; uti Christus ipse S. Gertrudi, sive Bloisio, indicavit dicens: *Sicut annulus in Sponsalibus est vinculum fidelitatis inter Sponsam & Sponsum; ita morbus & afflictio, si propter DEVM patienter feratur, à vincta electionis & certitudinis DEVM inter & Hominem Matrimonij certum signum est*. Et alius quidam dixit, sicut Piscatores per hamum attrahunt pisces,

pisces, ita DEVS per tribulationes attrahit ad se homines; hinc Christus Jo. 12. dixit: *Ego, cum exaltatus fuero à terra, (scilicet in crucem) omnia traham ad meipsum.* Et S. Leo l. 9. de quadr. ait: *Certa atque secura est expectatio futurae beatitudinis, ubi est participatio Dominica Passionis.* Septimus est, quòd purgatorij loco fit; uti Beda in scintill. testatur, dum ait: *Infirmetas carnis, si patienter sustineatur, fit quasi purgatorius ignis; & sine ferro Martyres esse possumus, si patientiam in animo servamus.* Quis autem debitor mille talentorum non gauderet, si uno crucigero porrecto totum hoc debitum posset extinguere? Et hoc nempe est, quod S. S. Iracides c. 20. dixit: *Est, qui multum redimat parvo pretio.* Octavus est, quòd suppleat Passionem Christi; uti S. Paulus ad Coloss. 1. de seipso scribens confessus est: *Nunc gaudeo in passionibus, & adimplebo ea, qua desunt Passioni Christi in carne mea.* Hinc quaedam Monialis dixit: *Cum Christus inæstimabili desiderio quærat salutem hominum, & in se tales labores ferre non possit, ampliùs in suis dilectoribus, qui ei fidei amore adhærent, supplere dignatur.* Nonus est, quòd ad DEVM recurrere faciat; uti S. David ps. 15. testatur dicens: *Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Hinc Salvianus in ep. ad soror. ait: *Nunquam, ut puto, habitatore DEO dignior extitisti. Quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu; vincentibus carnem morbis mente vincisti.* Decimus est, quòd amorem infirmi erga DEVM probet; sic enim ipse Christus Jo. 14. dixit: *Vt cognoscat Mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Surgite, eamus, scilicet ad crucem & dolores perferendos. Undecimus est, quòd præmium inæstimabile mereatur; non enim sunt condigna, teste Apostolo ad Rom. 8. *passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis.* Hinc S. Augustinus, quòd pungeris, inquit, inde nascitur rosa, ut coroneris. Et propterea etiam S. Chrysostomus monet: *Noli aspiciere viam qua aspera est; sed quò ducat, perpende.* Duodecimus est, quòd consolationum cælestium causa sit juxta illud Psalmistæ ps. 93. *Secundum multitudinem dolorum consolationum tua latificaverunt animam servi tui.* Et idem S. Paulus est expertus, uti de seipso 2. Cor. 7. testatur dicens: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

IV. Quartum denique solatium est, ut spirituale Myro-
 thecion (em Balsampixlem) ægris offerat, quo se identidem
 refocillent, & vires spirituales reparent. Tale autem myro-
 thecion nihil aliud est, quam motivorum ad patientiam &
 alacritatem excitantium consideratio, præcipuè sex sequen-
 tium. Quorum primum est exemplum Christi; nam
 teste S. Bernardo, *Devotus miles non sentit sua vulnera,*
quando Ducis sui vulnera intuetur. Et ut alibi loquitur S. 5.
 in Festo Omnium Sanct. *ad capitis corpus se non indicat per-*
timere membrum, quod capiti compassum non fuit. Certè S.
 Clara per hoc medium effecit, ut gravissimi morbi per vigin-
 ti annos tolerati gaudium ipsi potiùs, quam dolorem creâ-
 tions, teste Surio. 12. Jul. Idemque experta est etiam Marga-
 rita Austriaca, quæ, ut Lyræus l. 5. apoph. 3. testatur, cum
 offensâ Christi Crucifixi effigie moneretur, ut levamen dolo-
 rum ab eò peteret, respondit: *Apage;* neque enim decet,
 Christum plagis & ærumnis confectum in cruce pendere, &
 me à minoribus liberari velle: ac mox oculos ad Christum
 convertens dixit: *Auge, Domine, dolores, & da patientiam.*
 Alterum motivum est Sanctorum exemplum, de quibus Ec-
 clesia in officio SS. Martyrum canit: *Omnes Sancti, quanta*
passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam Martyriæ.
 Unde hæc exempla considerans æger seipsum illis verbis, qui-
 bus olim continentia D. Augustinum correxit, alloquatur:
Perseverunt isti, & ista, & tu non poteris? Tertium motivum
 est præmij cælestis consideratio; nam & Christus proposito
 sibi gaudio sustinuit crucem; *Sed & alii Sancti,* teste S. Cy-
 priano, *mala atque adversa fortiter tolerant, dum bona futura*
prospectant; memores id, quod leve & momentaneum est tri-
 bulationum, æternum gloriæ pondus operari, uti S. Paulus
 1. Cor. 4. dixit. Certè ob hanc causam Christus ipse B. Susoni
 dixit apud Padag. *Christ. to. 2. p. 2. c. 17.* morbos & qualvis
 ærumnas hujus vitæ esse thesaurum absconditum, cujus præ-
 tium nemo hominum æstimare possit, & cujus partem mini-
 mam nemo etiam centum annorum demississimis precibus
 valeat impetrare. Quartum est Inferni vel Purgatorij me-
 moria; sic enim S. Franciscus Borgia hanc memoriam velut
 prodromum ad ea loca, in quibus pati debebat, præmittens,
 vania sibi levia atque accepta efficiebat: nam, ut rectè S. Au-

gustinus dixit f. 109. *Qua quisque valde gravia patitur, in comparatione aeterni ignis non tantum parva, sed nulla sunt.* Et alibi in ps. 68. *Quis non bibat poculum temporalis tribulationis, metuens ignem gehennarum & maiore timore minora contemnimus.* Quintum est peccatorum priorum consideratio; mitigat namque vim doloris considerata aequitas ferientis, teste S. Gregorio; & ut idem alibi ait, *tantò quis patientiò ferrum Medici tolerat, quantò magis putridum esse conspici, quod secat.* Hinc dicent aegri cum Michæa c. 7. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei.* Vel cum Jobo c. 3. *Peccavi, & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Aut cum S. Augustino: *Gravius est, quod commisi: levius est, quod tolero.* Sextum denique est consideratio divinæ providentiæ hunc morbum ex altissimo fine, scilicet vel ad paternam correptionem; vel ad honorificam virtutis & amoris probationem immittentis; cuius medij efficaciam pulchrè olim S. Clemens Pontifex ex S. Petro Apostolo didicit; cum enim hic sanctus à S. Barnaba conversus, & ad S. Petrum missus esset, atque ab hoc in disputatione cum Simone Mago sequenti die instituenda comparere iussus, ob eandem subito impedimento interveniente impeditam, & ad triduum dilatam vehementer doleret, audiit à S. Petro saluberrimam hanc doctrinam: *Gentiles turbantur, cum non accidunt res ex voluntate: at nos Christiani, qui scimus DEVM sapientissimè gubernare, & per suam providentiam moderari res omnes, in quolibet rerum eventu in pace consistimus, & consolatione.* Unde & Blossius in farrag. sapienter hortatur: *Si voluntas DEI tibi dulcis est, quando ipse te sanum esse, & vivere vult; amara verò est, quando te vult infirmum esse, vel mori, nondum plenè resignatus es, nondum habes cor satis rectum. Si vis, ut ipsum cor tuum iam non sit curvum, subiung illud in omnibus voluntati divinæ, quæ semper recta est. Vnicè opta, ut semper voluntas eius fiat, & eadem voluntas sit summa consolatio tua.* Quare quilibet aegrotus illam sibi S. Augustini in ps. 21. doctrinam applicet; & intelligat, Medicum esse DEVM, & tribulationem (ac morbum) esse medicamentum ad salutem, non pœnam ad damnationem. *Sub medicamento vocaris, secaris, clamas; non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. Melius est enim, ut S. Bernardus alicubi ait*

frangi laboribus (& morbis) ad salutem, quam incolumes remanere ad damnationem.

MEMBRUM III.

De alijs Consolatiunculis, quæ ex occasione per apposita dicta creari possunt Infirmis.

I. Et si ea, quæ hæctenus dicta sunt, sufficientissima esse queant ad insignem consolationem ægro afferendam; quia tamen interdum valde recreat ægrum, si ad ipsius querelas vel doloris manifestationes apposita responsa ab Operario reddantur, ideo exempli loco placet hæc paucas ejusmodi doctrinas enumerare.

II. Inprimis ergo, si graves dolores pati Infirmum aliquem adverterit, narret eidem apparitionem, quæ, teste Sutorio. 2. S. Lydwinae facta est, dum coronam valde pretiosam, sed non omnino absolutam vidit, quam cum absolvi à Christo peteret, mox à Milite quodam pessimè tractata, & acutissimis morbis cruciata est, in quibus cum clamaret assiduò: O benignissime IESU, miserere mihi: Angelus ei apparuit solatus est illam, dixitque, nuac tandem coronam absolutam esse, & dolores ac injurias, quos tam patienter tolleret, esse uniones & pretiosos lapides, ex quibus corona illa confecta sit.

III. Si quempiam parùm resignatum videat in morbo, suadeat illi, ut tres Episcopos ab Ecclesia colidos in Patronos pro hoc morbo adsciscat, nempe S. Episcopum Deusdedit. 10. Aug. S. QuodvultDeus. 26. Oct. & S. Deogratias Episcopum Carthaginensem, qui multos Christianos tempore Vandalicæ persecutionis redimebat.

IV. Si Infirmum de defectu Medicinarum querentem audiat, narret illi, quid Carolus Quintus Joachimo Electori Brandeburgico ipsum ad Medicinas varias usurpandas adhortanti responderit, scilicet in morbis optimum remedium esse Patientiam. Drex. in prodr. c. 2. §. 39.

V. Si de diuturnitate morbi quispiam queratur, in memoriam illi revocet, quod S. Athanasius dicere solebat,

quando coacervabantur persecutiones, nimirum cas esse dicitur
taxat brevem pluviam (ein Übergangl.)

VI. Si quis ob eundem in jacendo situm, & tergum exaceratum dolorem atque molestiam gravem se pati ostendat, pulcherrimum S. Martini dictum ei in memoriam revocet, qui, cum in tergo & terra jacenti Discipuli mutationem loci & situs suaderent, finite me, respondit, cœlum potius, quam terram aspicere, ut Spiritus meus rectè ad DEVM feratur. Nov. 11.

VII. Si quis feбри, aut alio simili morbo calido graviter uratur, & crucietur, hortetur eum, ut cum S. Augustino dicat: *Hic ure, hinc seca, modo parcas in æternum.*

VIII. Si quis à suis derelictum se queratur, studiosi illius Daventriani, de quo Speculum Exemplorum dist. 10. meminit, responsum ei pro exemplo narret, qui, cum à Parentibus & Amicis penitus derelictus moreretur, in hæc verba Psalmi 26. erupit: *Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me, Deus meus autem assumpsit me.*

IX. Si quem de acerbitate & gravitate morbi conquerentem audiat, jubeat ipsum imitari P. Segulam Societatis JESU Presbyterum, qui ob gravissimos morbos & dolores condolentibus dixit: Jam diu ubera misericordie divinae suxi; quidni etiam ubera Justitiæ divinae peccata mea plebetentis aliquando fugam. Aut ut cum S. Job dicat: *Si dona de manu DEI suscepimus; mala cur non suscipiamus?*

X. Si quem in manibus chiragrâ graviter cruciati advertit, dicat, hoc esse signum amoris divini erga ipsum; solere enim DEVM amantium more ad significationem amoris sui manus amati comprimere.

XI. Si gravi siti vexetur Infirmus, narrare poterit S. Magdalenæ Ulloix dictum, quæ, cum in gravi siti haustum aquæ frigidum pro relevatione sumpisset, mox oculis in Crucifixi effigiem conjectis seipsam corrigens dixit: Ah mi Domine JESU, tu in siti tua non aquâ frigidâ, sed felle & aceto potatus es. Ah miserere mei, & propitius esto pauperi ancillula tua.

XII. Si morbum pijs exercitiis & profectui obstantem querantur, dicat illis, quod Cassianus docuit sequentibus verbis: *Corporis infirmitas nullum est ad cordis puritatem habendam impedimentum, quin imò mirificè iuvat. si quis illam, pro-*

ut oportet, novit accipere. Vide ergo, ne corporis aegritudo ad animam transeat, quod fieret, si ex ea occasionem propria voluntate faciendam, aut impatientia occasionem sumeres.

XIII. Si dolent, se in communitate vivere non posse, narret illis, quid Christus S. Gertrudi similem querelam proponenti responderit; Num tibi Sponsus videtur minùs delectari in Sponsa, quando familiari ejus conversatione potitur in domo, quàm cum gloriatur ipsam ornatam procedere ad spectaculum vulgi? ex quo intellexit animam, quando à communi conversatione corporalibus molestiis impeditur, tunc quasi in conclavi quiescere cum Sponso, quia tunc delectamentis propriorum sensuum privata soli divinæ relinquitur voluntati. Et inde Dominus in homine tantò magis delectatur, quantò minùs invenit, unde vanè possit gloriari.

XIV. Si duri & inspidi cibi videntur ægris, suadeat, ut consilium sequantur adolescenti cuiquam à Christo datum, dum de vili & insipido victu querenti respondit: omne asperum intinge in latus meum, & erit tibi dulce.

§. VII.

Quomodo occupare debeat ægrotos Operarius.

Quatuor sunt præcipuæ occupationes, quibus ægroti, quantum infirmitas eorum permittit, occupari, atque ab otio defendi possunt, scilicet pia cogitatio, devota oratio, consolatoria lectio, amica collocutio; nam labor aliquis corporalis, quem rarò morbi constitutio permittit, vix inter occupationes Infirmorum numerari meretur, quamquam & ipse negligi non debeat, si sine gravi molestia aut periculo Infirmorum assumi queat.

II. Prima igitur occupatio Ægrotorum pia cogitatio est; cum enim ex una parte Infirmi nec diu vocaliter orare possint, nec lectione longiore fatigari debeant, nec amicos habeant, quibuscum fructuosè & jucundè colloqui queant; ex altera verò parte animus humanus sine cogitationibus esse non possit, necessariò sequitur, ut Infirmi, ipsà morbi violentià impellente ac dictante, tristes ac melancholicas cogitationes, non sine grandi sæpe periculo, ipsorumque dolorum & morborum incremento concipiant, nisi aliis piis cogitatio-

gitationibus se fructuosius occupare, ac consolari doceantur. Porro pro ejusmodi piis cogitationibus variz præscribuntur materiæ ab Authoribus. 1. Sacratissima Passio Christi; sic namque S. Paulus ad Hebr. 12. monuit dicens: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis, vestris deficientes.* Et verò etiam exemplo suo docuit S. Bernardus S. 43. in Cant. de seipso confessus: *Et ego, Fratres, ab ineunte aetate mea ac conversione pro acervo meritorum, (& solationum) quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei &c. memoriam abundantia suavitatis horum eructabo, quoad vixero.* Unde aliqui hortantur, ut Infirmi sibi totam Christi Passionem velut amoenissimum hortum singulis mysteriis velut florentibus areolis distinctum imaginentur, ad quem à Christo illis Sponsi Cant. c. 5. & 6. verbis invitentur: *Veni in hortum meum, Soror mea Sponsa; messui myrrham cum aromatibus; & dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum.* Ne autem crebrior hæc Passionis cogitatio fastidium pariat, possunt varietatis gratiâ diversis modis ejus mysteria percurrri, scilicet interdum primaria duntaxat ejusdem mysteria ruminando, et videlicet, quæ in Rosario doloroso recoluntur, ut sunt agonia Christi, flagellatio, coronatio, crucis baiulatio, crucifixio; aliàs septem Sanguinis effusiones, in circumcissione, horto, flagellatione, coronatione, vestium avulsione, crucifixione, lateris apertione factas: aut cruenta Christi itinera ex canaculo in hortum, ex hortum ad Annam, ab hoc ad Caipham, à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode iterum ad Pilatum, ex domo Pilati denique ad montem Calvariz: aut septem Verba Christi, videlicet *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt: Hodie mecum eris in Paradiso: Ecce Filius tuus, Ecce mater tua: DEVS, DEVS meus, ut quid dereliquisti me? Sitio: consummatum est: In manus tuas commendo Spiritum meum:* Interdum totam Passionem eocordin, quo contigit, percurrando. Quæ quidem cogitationes eut practicè, rectèque concipiuntur, duo specialiter observanda sunt, nempe ut suaviter, & absque violentia fiat hoc exercitium. Deinde ut breves & pijs affectus compassio-

doloris de peccatis, gratiarum actionis, amoris, fiducia &c. efficiantur, uti Ecclesia exemplo docet, dum istam & similes orationes usurpat: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.* Item: *Domine IESV Christe, Fili Dei vivi, pone passionem, crucem, & mortem tuam, inter iudicium tuum, & animam meam nunc & in hora mortis meae.* 2. SS. ejusdem Christi vulnera, de quibus S. Bernardus ait: *Voluit Christus oculos in sua sustolli vulnera, ut exemplo suo reddat ad tolerandum fortiores; non enim sentit sua vulnera miles, qui ducis sui vulnera intuetur.* Et S. Augustinus *Tuta & firma requies est Infirmis in vulneribus Salvatoris securus illic habito.* Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi: cum Diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordissimi Domini mei, & recedit à me. In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi: in illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Hinc saepe aegroti illam S. Francisci Xaverij aspirationem usurpare debent, quâ dicebat ad Christum: *O IESV Christe, DEVS cordis mei, obsecro te per quinque vulnera illa, quæ tibi in cruce nostri amor inflixit, famulis tuis subveni, quos pretioso sanguine tuo redemisti.* 3. B. Virgo, quæ ipsamet S. Birgittæ l. 1. revel. c. 29. revelavit, se, quamvis sublimis sedeat in cælis, audire tamè amicos suos in terra existentes, eosque in morte præcipuè visitare, ut consolationem & refrigerium habeant. Unde Infirmi præcipuè sibi applicare debent illud S. Bernardi monitum: *In periculis, in angustia morborum præcipuè, & ipsius mortis) in rebus dubiis MARIAM cogita, MARIAM invoca. Non recedat à corde, non recedat ab ore.* Possunt autem de ea considerari vel dolores illius potissimi, quorum septem sequentes numerantur, scilicet circumcisio Filij, fuga in Ægyptum, amissio Filij, valetudo eantis ad passionem, bajulatio Crucis, crucifixio, depositio, & hæc interponi suspiria: *Eja Mater fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum fugeam. Tui Nati vulnerati, tam dignati pro me pati pœnas mecum divide:*

vide. Fac me verè tecum flere, Crucifixo condolere, de-
 nec ego vixero. Iuxta crucem tecum stare, te libenter
 sociare in planctu desidero. Vel potiores tituli, ob quos
 ab ægris præcipuè invocari debet, quales sunt, quòd sit ma-
 ter DEI, & Hominum, refugium peccatorum, consolatrix
 afflictorum, advocata nostra &c. ob quos meritò ad ipsam
 usurpari debeant verba illa Ecclesiæ: *Sub tuum præsidium con-
 fugimus. S. Dei Genitrix, nostros deprecationes ne despicias
 in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos
 Virgo semper gloriosa & benedicta.* 4. Angelici Spiritus,
 præcipuè SS. Angeli Custodes Infirmorù, de quibus confide-
 randù, quòd, licet sint creaturæ nobilissimæ, & Aulici DEI, sint
 tamen etiam administratorij Spiritus missi in ministerium
 propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; sed & Conci-
 ves hominum, per quos suæ ruinæ scissuras, ut loquitur S. Au-
 gustinus, restaurari expectant, ideòq; magna cura & vigilan-
 tiæ studio adsunt nobis, omnibus horis & locis nobis succur-
 rentes, quã ob causam meritò Infirmi illa S. Bernardi super Ps.
 90. verba sibi applicent: *Quid sub tantis Custodibus timeamus?
 nec superari, nec seduci, minùs autem seducere possunt nos, qui
 custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes
 sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantùm sequamur eos,
 adhæreamus eis, & in protectione DEI cali commoremur. Quæ-
 ties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio ve-
 hemens imminere, invoca Custodem tuum, Ductorem tuum,
 Adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione, in clamo-
 rem, & dic: Domine, salva nos, perimus. aut: Angele DEI,
 qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, in hæc &
 mortis horã illumina, custodi, rege, gubernas. Quem in finem
 narrare potest Infirmis, quod P. Georgius Menzius p. 1. l. 2.
 c. 10. de arte compatiendi scribit S. Gualberto evenisse, quòd
 scilicet eidem agonizanti Angelus in specie Fratris sui adfit-
 terit, rogatusque nomen responderit, se *Benignum de monte
 DEI* vocari, ad demonstrandam benignitatem, amorèmq; quo
 & DEUS missionem & custodiam hominum decrevit, &
 ipse suscepit. Item quòd interdum conspecti sint locis & le-
 ctis, in quibus morituri decumbebant, benedicere. Hinc
 P. Carolus Garnier Presbyter è Societate JESU in odium fidei
 à Bar-*

Barbaris interfectus solebat eorum, quos ad mortem dispo-
 nebat, Custodes Angelos invocare, unde visus est ab agro sti-
 parator lateris ejus Juvenis coruscus, qui ad obediendum Patri
 Clientem hortaretur. 5. Reliqui Caelites; ad quos tantò
 major fiducia concipienda, quantò magis experti sunt mise-
 rias nostras, sciuntque, in quibus periculis versemur; unde
 consideranda eorum multitudo, dignitas, potentia ad quid-
 vis impetrandum, & charitas, quâ Clientes suos amplectun-
 tur, sæpèque animæ dicendum: *Noli timere, plures enim pro
 nobis sunt, quàm contra nos.* Sed & ad ipsos Sanctos Caelites
 exemplo P. Nicolai Gaudani S. I. apud Mentzium l. c. recurren-
 dum ac dicendum: *Traiectus quidem nobis restat terribilis, sed
 vos, ô Apostoli Domini, Vos, ô Martyrum agmina, Vos Confesso-
 rum & Virginum candidatarum turma, poteritis vestris preci-
 bus imbecillam animam meam ex mari tam turbulento in caele-
 stem portum transvehere, poteritis sanè DEI clementiâ.* 6. Cæ-
 lestia gaudia: in quibus præcipuè consideranda multitudo,
 magnitudo, perennitas, indèque cum admiratione excla-
 mandum; *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine,
 quam abscondisti tementibus te. Ps. 30. aut: Quàm dilecta ta-
 bernacula tua, Domine virtutum, Concupiscit & deficit ani-
 ma mea in atria Domini.* In specie verò hæc gaudia sunt, te-
 ste Hugone l. 4. de anim. *Vivere vitâ sine fine, sine omni ad-
 versitate: Sapere, id est, scire omnia, quæ voluerit, præcipuè
 essentiam DEI, ejusdemque consilia & judicia, item causas &
 origines rerum. Amare intensissimè DEUM, Caelites, &
 seipsum. Gaudere de DEI, Sanctorum, & sua felicitate. Lau-
 dare DEUM sine fastidio, sine fine. Tunc nempe verificabi-
 tur illud Apoc. 21. *Et absterget omnem lacrymam ab oculis eo-
 rum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque
 dolor erit ultra, quia prima (id est, miserix vitæ humanæ) ab-
 terunt, & dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.*
 Verbo: *Mercès Sanctorum, teste S. Bernardo l. de consol.
 tam magna est, quòd non potest mensurari: tam copiosa, quòd
 non potest finire: tum pretiosa, quòd non potest aestimari.* Si er-
 go Diabolus olim dixit, se libenter omnia Inferni tormenta
 usque ad diem judicij toleraturum, ut vel unico momento
 DEUM videre, & frui illa beatitudine posset, cur Infirmi suos
 dolores non patienter ferant, ut DEUM per totam æternita-*



UNIVERSITÄTS-
 BIBLIOTHEK
 PADERBORN

rem videant, & fruantur. 7. Inferni & Purgatorij tormenta; in quibus considerata poena sensus, poena damni, & de-
 ratio, quæ omnia tanta sunt, teste S. Thoma & aliis, ut mi-
 nima poena superet omnes poenas & tormenta, quæ ab intel-
 lectu humano excogitari potest; ut merito dixerit Thomas
 Kemp. l. 1. c. 24. *Ibi erit una hora gravior in poena, quam
 hic centum anni in amarissima poenitentia*; uti expertus est æ-
 ger ille, qui optione data ab Angelo, an per tres horas in pur-
 gatorio, an verò per triennium decumbere mallet, electo pur-
 gatorio, mox poenitentiam ductus reduci petiit, & non tan-
 tum tribus, sed trecentis annis libentius gravissimos morbos
 tormenta tolerare se velle dixit, quam unam adhuc horam purga-
 torios ignes experiri, uti fusiùs Joannes Major in Spec. Exempla-
 v. Infirmis ex 7. refert. Merito ergo in consideratione ta-
 lium tormentorum recreabitur æger, & nihili faciens dolores
 suos dicet cum S. Augustino: Domine, hinc ure, hinc seca, mo-
 do parcas in æternum. 8. Infirmi & Captivi in terris exi-
 stentes, circa quos considerari potest, quod & plura, & gra-
 viora, & diuturniora patiantur, atque adeò sibi iterum pro-
 solatio occinendum ab ægro: Potuerunt isti, & istæ, & tu
 non poteris? *Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem
 reducere, ut levius feras tua minima*, inquit rectè Thomas
 Kemp. l. 3. c. 19.

III. secunda Infirmi occupatio Oratio merito censetur,
 ut quæ condimentum miseriarum rectè appellatur, ideoque
 farinulæ illi comparatur, de qua Sacræ paginæ 4. Reg. 4.
 memorant, quod olus, in quo ob amaritudinem mors cibus
 redebatur, ex insipido sapidissimum effecerit; hinc & ipse
 Christus tum in monte Oliveti, tum in cruce per eandem se
 consolari & animare studuit. Porro quanam orationes ab
 Infirmo usurpandæ sint, difficile est determinare, cum, sicut in
 corporalibus cibis sumendis diversi sunt appetitus & gustus,
 ita & in orationibus peragendis varij sint affectus devotio-
 nis. In genere tamen sequentes tres regulas iterum obser-
 vandas putarem, nempe ut consueta atque à legibus privati
 sui status præscripta exercitia matutinæ oblationis, nocturnæ
 discussionis, Missæ auditionis (spirituali saltem præsentia
 factæ) Canonici pensent, si morbi qualitas patiatur, nunquam
 omittantur; deinde ut preces, quas Ecclesia vel ipsa in Ri-
 tuali-

tualibus præscripsit, vel in aliis libris approbavit, aliis arbitriis præferantur, utpote ab ipso Spiritu Sancto approbatae, ex quibus proinde merito major etiam fructus & consolatio sperari potest; & tandem, ut potius breviores frequentius assumantur, quam longiores cum fastidio continentur. In specie verò sequentes servire possunt 1. Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Apostolorum; quæ quia ab ipso Spiritu S. Christo, Ecclesia sunt facta, primum merito locum sibi vendicant; unde Card. Bellarminus sibi præ aliis has elegit; maximè verò efficaciam singularem habere creduntur, si per secundum & tertium modum orandi recitentur, & variis affectibus intermixtis condiantur. 2. Psalmi Davidici, præcipuè Pœnitentiales, aut alii, quos ipse sibi Infirmi eligere possunt. 3. Officia varia, præsertim paruum B. Virginis, aut de Immaculata Conceptione, aut de Cruce, aut pro defunctis. 4. Litanix variæ, præsertim Lauretanæ, de omnibus Sanctis, de Passione Christi, & SS. nomine JESU; imò possunt facillè etiam Litanix pro ægris, pro variis virtutibus amoris, patientiæ, & resignationis fieri, ut suo loco ostendetur. 5. Rosaria diversa, præsertim B. Virginis 63. salutationibus constans; vel Christi 33. orationes Dominicæ complectens; vel Psalterium B. V. ex 150. salutationibus & 15. Dominicis orationibus confectum; Vel SS. Trinitatis, in quo pro tribus primis granis dicitur Litaniarum initium, videlicet Pater de cælis Deus &c. pro majoribus globulis oratio Dom. & salutatio Angelica, pro minoribus vel *Gloria Patri &c.* vel *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEVS Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius*, quo Rosariolo à P. Nicolao Serario usurpato Cornelius de Lapide Comm. in Matiam c. 6. v. 3. dicit, nihil sanctius, nihil Deo dignius, & gratius, nihil homini utilius ab eo orari posse. Vel de SS. nomine JESU, ita ut omnes quidem orationes, prout in corona B. V. recitentur, in quavis tamen decade post salutationem Angelicam unus ex sequentibus versibus immisceatur: *Cujus nomen vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur: Cui Deus donavit nomen, quod est super omne nomen: In cujus nomine flectitur omne genu celestium: In cujus nomine flectitur omne genu terrestrium:*

In cuius nomine flectitur omne genu Infernorum. In cuius pretioso nomine nos oportet salvos fieri. Vel pro defunctis, dicendo ad majores globulos Psalmum *De profundis*, ad minores *Requiem aeternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis.* 6. Varij Jubili & Hymni, quales præcipue sunt Jubilus S. Bernardi, Hymnus *Omni die die* MARIÆ à S. Casimiro compositus, & Hymnus *Ad perennis vitæ fontem* &c. à S. Petro Damiani collectus, Sequentia *Dies ira, dies illa* &c. ab Ecclesia usurpari solita. 7. Preces aliæ ad DEUM & Cælitates, quibus eorum auxilium & assistentia imploratur, quales, ne in hoc loco per ejusmodi preces materia interrumpatur, in calce hujus libelli assignabuntur. 8. Et præcipue usurpari fructuosè possunt ab ægro jaculatoriæ preces, & cæmaximè, quæ varios fidei, spei, charitatis, patientiæ, contentionis, & resignationis actus continent, de quibus infra speciali paragrapho agetur; hæ enim orationes præ reliquis aptæ sunt ad finem orationibus præfixum consequendum, tum quia hoc ipso, quòd breves sint, magnam attentionem non exigunt: tum quia nullam specialem connexionem requirunt, atque adeò ab ipso ægro pro libitu formari possunt.

IV. Tertia occupatio ægrotorū, quæ Lectio spiritualis est, non modicum illis solatium afferet, si ritè instituatur; cum enim Lectio talis sit velut Epistola à DEO, aut etiam Zealosis Apostolis, qui ejusmodi libros conscripserunt, missa fieri vix potest, ut non insigne robur & solatium Infirmi accipiant, si medium istud ritè usurpaverint, sicut suo exemplo plurimi Sancti cōfirmarunt. Porro ut utiliter lectio hæc instituatur, duo specialiter observanda, & duo cavenda sunt. Observanda sunt materia & modus legendi. Pro materia ijdem ferè libelli, quos supra pro Captivis assignavi, assumi possunt, videlicet Vita & Passio Christi, & Sanctorum, eorum maximè, qui per patientiam in morbis vel cruciatibus pulchriora exempla reliquerunt, qualia Voglerus in fonte Consolationum l. 1. c. 5. & alius liber Schola sublimis Infirmorum inscriptus plurima afferunt; item Prodromus, Gymnasium Patientiæ, Heliotropium & Job P. Hieremiæ Drexelij, Monile ac Consolatio Pusillanimum R. P. Ludovici Blossij. Apothecæ R. D. Georgij Pistorij & similes, præcipue tamen Libellus de imita

De Imit. Christi l. 1. c. 23. l. 2. c. 11. & 12. l. 3. c. 6. 18. 19. 37. 47. 48. 49. 50. 52. 56. 59. Modum verò legendi idem P. Drexelius c. 2. prodr. §. 15. sequentibus verbis indicat; legendum est ægris, sicut comedendum, parùm scilicet, & per vices de Medicorum suafu. Insuper non glutiesdum statim, quod editur, sed mandendum, masticandumque prius, ut cibus benè in ore velut primo in stomacho antè concoquatur; ita quod legitur, non oscitanter transiliendum est, sed uni, alterive sententiolæ immorandum, cum gustu quodam eam expendendo & velut digerendo; aliter enim legere penè est negligere, aut tædium, nauseamve lectionis in se provocare. Cavendum verò est, ne obvia statim etiam in his libris materia aut caput arripiatur, sed tale seligatur, quod spectando presentem ægrorum statum iisdem excitandis aptissimum videatur. Præterea ut non diu continetur, sed interdum apto colloquio interrumpatur. Quia verò sæpe in domibus Infirmorum tales libri non habentur, ideo Operarius ipse deberet tales libros domi habere, quos interdum ægris ad tempus commodare posset.

V. Quarta denique occupatio ægrorum fructuosa & consolatoria allocutio est, quæ quidem ut talis sit, sequentia observari debent ab Operario. 1. Ut sit *opportuna*, atque admodum diligenter attendatur, an non ob vehementiam dolorum fastidio potius sit Infirmis futura allocutio, quàm consolatio. 2. Ut sit *solida*, id est, ad instruendam (quâ ratione scilicet morbum fructuosè sustinere debeant) & consolandos Infirmos apposita. 3. Ut sit *discreta*; ipsis etiam Infirmis spatium de suis doloribus, aliisque afflictionibus loquendi concedens; item interdum ad alios adstantes se convertens, ut majori cum fructu ad ipsos Infirmos redeat. 4. Ut sit *brevis*; si enim de rebus spiritualibus instituatur, & longa sit, non modicè gravabit ægros; si autem de rebus prophanis discurrat, parùm ædificabit illos. 5. Ut sit *suavis*, & incunctans, ipso scilicet loquendi modo sinceram charitatem & condolentiam, promptitudinemque juvandi ostendens. Quia verò non ipse duntaxat Operarius, sed alij etiam cum ipsis colloquantur, ideo monere interdum proderit eos, quibus ægrorum cura commissa est, ut & ipsi, quantum fieri potest, has conditiones observent, nec facillè aut ipsi loquantur, aut alios loqui

loqui fiant de rebus, quæ ipsorum afflictiones augere possunt, quam minuere queant.

§. VIII.

Quomodo ægri ad varias virtutes exercendas sint excitandi, & adjuvandi.

I. **D**uplici modo excitari possunt Infirmi ad virtutum exercitium. 1. Ut una vice pluribus simul exercendis insistant. 2. Ut in una duntaxat per varios actus exercenda occupentur, quod maximè suadendum est, si diutius ægrotent, & frequentius ab Operario visitentur. De utroque modo, quoniam hoc exercitium præ aliis conducit ad meritum & solatium ægrorum augendum, hoc loco breviter agendum est.

M E M B R U M I.

Quomodo ad plures simul actus virtutum excitandus sit æger.

I. **D**uplex ferè modus assignari potest virtutes plures excipiendi. Primus est, ut quævis virtus solitariè accepta directè & formaliter exerceatur hoc vel simili modo.

Quis ego sum, ô Domine, ut contradicam supremæ veracitati & revelationi tuæ? Credo, Domine, credo, quidquid revelare dignatus es.

Quis unquam speravit in te, Domine, & confusus est? Spero itaque & ego, ô Domine, quidquid promittere dignatus es.

Quid mihi est in cælo, & à te, mi Deus, quid volui super terram? nihil, nihil, ô Deus, te ergo amo super omnia, & amabo in æternum.

Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontes lacrymarum, ut defleam peccata mea? doleo, mi Deus, doleo, quia te summum bonum toties offendi.

Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Laudo & benedico te, Domine, & superexaltabo in sæcula.

Quid

Quis mihi det, ut patiar pro te, Redemptor mi JESU? Patiar tecum, ô JESU? Patiar tecum, ô JESU, patiar libenter: auge dolores, auge patientiam.

Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam in te, Deus meus, & omnia. Cupio ergo, ah cupio dissolvi, & esse tecum, ô dulcissime mi JESU.

Quis ego sum, ut contradicam Domino meo? omne, quod erit ante oculos ejus bonum & optimum, faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. Fiat, ergo, ô Domine, fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.

II. Alter modus est, ut per quæstiones ægris præbeatur occasio varias virtutes exercendi hoc modo.

Age, Fili dilecte, credisne firmiter, quod DEUS velut suprema veritas per Ecclesiam credendum proposuit? R. æget. Credo. Adauge, ô DEUS, hanc fidem meam.

Num vitam æternam speras, te non quidem ob merita tua, sed tamen per misericordiam DEI, & merita JESU Christi Redemptoris tui, & B. Virginis, aliorumque Sanctorum intercessionem obtenturum? R. Spero, ô Deus, confirma me in fiducia mea.

Num verò Deum ex toto corde, & ex totis viribus diligis, & quidem propterea solùm, quia ob supremam bonitatem super omnia diligere meretur? R. Diligo, & diligam deinceps. O Deus, conserva me in charitate tua.

An verò propterea doles ex animo, quòd tam bonum Dominum tam graviter offenderis, ideòque suppliciter veniam petis? R. Ah doleo, & peto. Misere te mei Deus secundum magnam misericordiam tuam!

Num autem & firmum habes propositum, peccata omnia pro viribus devitandi, & dignam pro præteritis peccatis satisfactionem præstandi, vitamque tuam seriò emendandi? R. Sic statuo, sic volo. Confirma, ô Deus, quod operatus es in me.

An verò ignoscis ex animo omnibus, qui te unquam offenderunt, sicut tibi ignosci cupis à DEO? *R.* Ignosco ex animo. Ah Deus, & tu ignosce illis, & mihi, quia nescivimus, quid fecerimus.

Credísne, quòd Deus tanquam fidus & benignus Pater pro te sollicitus sit, & ideo te totum providentiæ illius gubernandum committis, ut statuatur tecum, quodcumque illi placuerit? *R.* Ah committo me, resigno me cum summa fiducia. Fiat, ó Domine, voluntas tua sicut in cælo, ita & in terra.

Num beneficia ab illo hæcenus collata agnoscis, & ideo ex animo desideras, ut pro illis gratissimum exhibere te possis? *R.* Agnosco, & gratias ago, & æternum gratus esse desidero.

An verò paratus es tantum Benefactorem non tantum prosperitatis, sed etiam adversitatis tempore laudare, & benedicere, idèque hunc morbum cum summa patientia & constantia, quamdiu ipsi placuerit, sufferre desideras? *R.* Paratus sum; si enim bona de manu Domini suscepti, mala cur non suscipiam?

Num autem agnoscis, te dolores hos propriis viribus sufferre non posse, atque adèò Deo, in quo te omnia posse confidis, demissè pro sua gratia supplicas? *R.* Confiteor, & rogo, quantum possum. O Deus exaudi humiles preces meas.

An denique hanc intentionem, afflictionem, & dolores tuos cum affectionibus & passione Christi Redemptoris tui uniri, & per ista, quod tuis actionibus deest, suppleri desideras? *R.* Ah desidero eas uniri! Suscipe, quæso illas, ó DEUS, & ut tibi acceptæ sint, respice non in me, sed in faciem Filij tui.

M E M B R V M I I.

Quomodo ad quamvis virtutem separatim excitandi sint Infirmi.

I. **M**ultæ quidem sunt virtutes, ad quas Infirmi excitari possunt, verùm earum aliquæ plerumque in exercitiis primariarum virtutum, de quibus mox diceretur, velut Ministræ & Ancillæ, immisceri solent; unde non opus est, hoc loco specialiter de illis aliquid indicare, sed sufficiet, si ostendatur quomodo ad primarias virtutes excitari debeant Infirmi. *Qua-*

Quales sunt præcipue Fides, Spes, Charitas, Contritio seu dolor de peccatis, & Resignatio; hæ namque virtutes sunt quasi limpidissimi illi quinque lapides, quos Infirmus velut verus David, & vir secundum cor DEI, ex torrente infinitæ bonitatis DEI petere, iisque infernalem Goliathum per illarum asiduum exercitium velut fundam superare debet.

II. Porro quatuor sunt modi præcipui, se in his virtutibus exercendi. Primus est, ut objectum seu motivum illius virtutis ægro proponatur, eaque occasione ad quinque sequentes actus circa illam eliciendos excitetur.

O mi amantissime DEVS, gaudeo ex toto corde, quod hætenus per hujus virtutis N. exercitium tantopere fueris glorificatus & honoratus, & proque ex animo, ut honor iste & gloria quotidie magis, magisque augeatur.

O mi dilectissime DEVS, gratias tibi amplissimas ago pro omni auxilio, quod ulli unquam Angelo aut Homini ad hanc virtutem exercendam contulisti, & in gratiarum actionem offero tibi omnes actus hujus virtutis, qui unquam elicitum sunt, aut eliciendi per totam æternitatem.

O mi benignissime DEVS, agnosco & confiteor negligentiam in hujus virtutis exercitio commissam; detestor illam proinde ex animo propter te summum bonum tantopere per hanc scordiam offensum, veniamque à te suppliciter per infinita Filij tui merita, & perfectissimam N. (hæc nomina virtutem, de qua agitur) rogo.

O mi clementissime DEVS, ecce jam nunc corripo errorem meum, & propter infinitam bonitatem tuam diligo te ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus meis (si alia virtus præ manibus habetur, illius actus ex formali motivo eliciendus est) ô utinam tam perfecte

fectè diligere possem, quàm ulla tua rationalis creatura, ipsèque Filius tuus Christus te amavit.

O mi pijsime DEVS, agnosco me per proprias vires hanc virtutem exercere, & comparare non posse, sed à te omne datum optimum, & donum perfectum virtutum descendere; rogo te proinde per infinitam misericordiam tuam, ut gratiam mihi efficacem ad hanc virtutem acquirendam, conservandam, & augendam largiaris. Propter quod benedicam & laudabo te in sæcula.

Simili modo hi actus circa quamvis aliàm virtutem exerceri possunt, quem in finem non parùm serviet libellus parvus à Ludovico Palma Clerico Regulari compositus, qui vocatur *Theaurus indeficiens, seu Actus interni virtutum, quibus animo facile ad perfectionem provehitur.*

III. Secundus modus per varias quæstiones fieri potest, cujus circa patientiæ virtutem tantopere ægris necessaria hoc exemplum esse potest.

Dilecte Fili, quandoquidem patientiæ virtutem ægris tantopere necessariam esse nôsti, age, in ea paululùm ferventiùs abundantiusque nos exercemus. Dic ergo, ô Fili mi dilectissime, credisne, quòd omnes homines oporteat per multas tribulationes introire in regnum DEI, atque adeò per eandem crucis viam tu quoque eò tendere, & pervenire desideras? R. Ah credo, ah desidero.

Credisne, quòd Dominum DEVM tuum frequenter offenderis, atque adeò paratus es hanc paternam correctionem æquo animo suscipere, & sustinere? R. Ah credo, & paratus sum.

Credisne, quòd DEVS hanc infirmitatem etiam ad probationem tuæ virtutis obtingere permiserit, atque adeò status profectum tuum per singularem patientiam & fortitudinem demonstrare? R. Ah credo, & statuo.

Credisne, quòd Christus Servator tuus, & Caput tuum ad tuam salutem, & exemplum tot tantàque perpessus sit, atque adeò ipsius Socius in passione esse desideras, ut eidem in gloria quoque olim associari merearis? R. Ah credo, ah desidero.

Credi-

Credisne, quòd DEVS per eiusmodi tribulationes patienter toleratas specialiter glorificetur, in iisque summè sibi complaceat, atque adeò & tu hoc titulo eas tam generosè perpetuè conaberis? R. Ah credo, & conabor.

Credisne, quòd per eiusmodi tribulationes tibi & aliis plurimas gratias & dona promereri queas, ideòque omnes dolores, & actus, quos in hoc morbo durante patieris vel elicies, cum summa demissione DEO velut generali Remuneratori offers, ut omnibus Amicis, Inimicis, & Benefactoribus tuis, aliisque, pro quibus orare teneris, aut soles gratiam bene vivendi, sanctèque moriendi largiri dignetur? R. Ah credo, offero.

IV. Tertius modus per Litaniarum morem fieri potest, hoc vel simili modo.

Kyrie &c. Christe audi nos &c.

Pater de cælis DEVS. Patientiam da nobis.

(vel aliam virtutem, pro qua oratur.)

S. MARIA Mater DEI. Patientiam exora nobis.

S. MARIA exemplum Patientiæ. Patientiam exora nobis.

S. Angele Custos. Patientiam &c.

Omnes SS. Beatorum Spirituum Ordines. Patientiam exorate nobis.

Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ.

Et sic de reliquis, Apostolis nempe, Martyribus &c. ut supra.

Propitius esto. Parce nobis Domine.

Ab omni impatientia. Libera nos Domine.

Ab insidiis Diaboli.

Per patientiam Sanctorum Omnium.

Per Crucem & Passionem tuam.

Peccatores. Te rogamus audi nos.

Vt culpam impatientiæ remittere digneris.

Vt pœnam impatientiæ debitam condonare digneris.

Q 3

Vt

Vt veram patientiæ virtutem nobis largiri digneris.

Vt promissum Patientibus præmium largiri nobis digneris.

Vt omnibus Fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris.

Vt nos exaudire digneris.

Agnus DEI &c.

ψ. Domine exaudi Orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te perveniat.

Oremus.

DEVS Virtutum Author & Custos, te supplices exoramus, ut & veram nobis patientiæ virtutem largiaris, & promissu patientibus præmium in celo olim concedas. Per Christum Dominum nostrum.

Simili modo Litanæ de alijs etiam virtutibus conficiuntur, interdum Sancti singulares, qui in ea præcipuè excelluerunt, inferi possunt.

V. Quartus denique modus est virtutem aliquam per varias aspirationes seu preces jaculatorias eliciendi; quod quidem quâ ratione fieri possit, sequentia membra ostendent.

M E M B R U M III.

Quâ ratione Actus Fidei eliciendi sint.

I. Variis modis elici possunt actus Fidei ab Infirmis, sed sequentibus præcipuè 1. *Profitendo*; quod fieri potest vel recitando ipsum Symbolum, si scilicet æger satis adhuc robustus ad hoc officium videatur, vel certe respondendo præeunti Sacerdoti, & varios fidei articulos per modum interrogationis proponenti.

II. Per modum orationis, faciendo quasi Litanias ex ipsi articulis, & dicendo; Pater de cælis DEVS, miserere nobis, JESU Christe Fili DEI, Redemptor meus, miserere nobis &c.

III. Per modum Adorationis coram aliquo Crucifixo

aut alia imagine, quam possit venerari, osculari, amplecti, & super caput suum, aut pectus ponere dicendo, v. g. Adoro te Christe, qui per sanctam Crucem tuam redemisti mundum; qui natus, crucifixus, sepultus es pro me, miserere mei.

IV. Per modum gratiarum actionis, dicendo: v. g. Gratias ago tibi, ô SS. Trinitas, quòd me Christianum, & Catholicæ Ecclesiæ tuæ membrum feceris, quòd mihi fidem dederis, quâ te agnoscerem: & sic per potiores fidei articulos progrediendo?

V. Aliquando exercendi sunt proprii actus fidei dicendo: v. g. Credo Domine, quòd sis Unus in essentia & Trinus in Personis, quia tu, DEVS meus, summè verax, & prima veritas hoc revelâsti: quòd sis infinitus in tua essentia, & sapientia, bonitate &c. Credo Domine, sed adjuva incredulitatem meam, & adauge mihi fidem. Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEVM Salvatorem meum.

VI. Per modum ponderationis, dicendo, v. g. Ecce mihi Charissime, credis in DEVM Patrem Omnipotentem; memor ergo esto, qualem Patrem nactus sis; nimirum talem, qui non corpus duntaxat, sed etiam animam dedit; qui paternè te usque ad hanc horam enutrivit, & conservavit; qui talem tibi hæreditatem in cælis præparavit. Et en jam obvijs ulnis te expectat in patria; age, propera in amplexus Patris charissimi, & si cum prodigo filio dissipâsti bona tua, prode ad pedes eius, & dic: Pater, peccavi in cælum, & coram te, & jam non sum dignus nominari filius tuus. Fac me unum de mercenarijs tuis.

M E M B R U M IV.

Quâ ratione actus spei eliciendi sint.

Hæc excitanda est circa res omnes, quæ sunt ejus materia, scilicet circa veniam peccatorum, gratiam Dei, & vir-

& virtutes, donum perseverantiæ, & coronam gloriæ; fundari autem potest in varijs titulis. 1. Eò quòd Deus sit talis, cujus gloria est, ignoscere, & salvare: Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. 2. Propter bonitatem & misericordiam ejus; Salvum me fecit, quia voluit me. 3. Quia promissum daturum, quidquid ab eo petetur: Petite, & accipietis; pulsate, & aperietur vobis. 4. Quia pignus dedit infinitum: Qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia nobis cum illo donabit? 5. Quia novit imbecillitatem nostram. Quomodo enim miseretur filiorum, sic misertus est omnibus timentibus eum. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam pulvis sumus. 6. Quia ipse invitat nos: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et jam hoc ipsum actu in multis millibus peccatorum præstitit, Nemo enim in eo speravit, & confusus est. 7. Potentia & Charitas tot Advocatorum Christi scilicet, B. Virginis, & omnium Sanctorum Patronorum. Dicat ergo audacter infirmus: Quare tristis es Anima mea, & quare conturbas me? Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor ei, salutare vultus mei, & Deus, meus. In te Domine speravi, non confundat in æternum: etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Mihi adhærere Deo meo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. Domine miserere nostri, te enim expectavimus, esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. Pars mea Dominus, dixit Anima mea, propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum.

Ad hos & similes actus eliciendos proderit, si Operarius cum
quan-

quandòque per Sententiam aliquam ex S. Scriptura excitet, dicendo v. g. Expectate Dominum, viriliter agite, qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus: sperantem in Domino misericordia circumdabit. Qui sperat in Domino, salvabitur. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se. In silentio & spe erit fortitudo vestra. Qui fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & possidebit montem sanctum meum.

Præcipuè tamen monendus est, ut circa beatitudinem æternam, tanquam circa primarium spei objectum, varios actus eliciat æger. v. g. Spero Domine, mihi remissum iri peccata mea, & vitam datum iri æternam per merita tua infinita, quia verè bonus, potens, & misericors, & fidelis es in promissis. Aliquando quidem per modum desiderij ad eam aspirando v. g. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, & deficit Anima mea in atria Domini. Domine quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est. Cupio dissolvi, & esse cum Christo. O quàm sordet mihi terra, cum cælum (mente) aspicio &c.

Aliquando per modum petitionis spes patriæ cælestis elici potest dicendo, v. g. Educ de custodia Animam meam ad confitendum nomini tuo. Domine Deus virtutum converte nos, ostende faciem tuam, & salvi erimus.

mus. Aliquando per modum gaudij spes elici potest. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atrij tuis Jerusalem.*

Aliquando per modum admirationis dicendo: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Ut autem hoc desiderium tantò vehementiùs excite-
tur in ægro, proderit, si Sacerdos ei magnitudinem cœlestis beati-
tudinis paulò clariùs demonstrat, ostendendo, quòd ibi Deus
abstergat omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, neque ul-
lus ampliùs luctus & dolor sit reperiendus; quòd inebriandi
sint ab ubertate domus Dei, & torrente voluntatis potandi
quòd talia gaudia percepturi, quæ nec oculus vidit, nec au-
ris audivit, nec in cor hominis descenderunt. Quæ ipsa po-
terunt exemplis confirmari, v. g. illius, qui 200. annis eman-
sit, putans se unico tantum cibo convivij cœlestis per qua-
drantem interfuisse. Item illius, qui imaginari sibi non po-
tens, quomodo coram Domino mille anni forent, sicut dies
hesterna, quæ præterijt, seductus ab aviculæ cantu 300. an-
nis emansit, uti Joan. Major in Spec. Exempl. V. cœl. gloria
ex. 8. & 9. narrat. Ne verò tam facilè omittat hæc deside-
ria, proderit ex Bloffio c. 13. Monil. spirit. narrasse, quòd B.
Virgo S. Brigittæ pro quodam Eremita oranti dixit, scilicet
eum detineri in purgatorio desiderij, eò quòd in morte perfec-
tum desiderium pertingendi ad præsentiam Dei, ejusque vie-
sionem non habuerit.

M E M B R U M V.

Quâ ratione actus Charitatis exercendi sint.

- I. **A**D hanc exercendam peculiari studio excitare ægrum
conabitur, ut dicere de ipso infirmo Christus in judi-
cio possit; remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit
multum. Quem in finem primò ei motiva aliqua amoris
proponat, qualia sunt. 1. Bonitas illius; si ergo tantopere
dilexit æger Uxorem, vel Liberos, vel alium hominem, aut
creaturam, quantò magis diligere oportet Deum, qui infini-
ta

perfectius hæc omnia continet? 2. Amor, quo prævenit
 nos; cuius omnia indicia exhibuit perfectissime, nam si esse
 semper velle cum alio, ei munera copiosa largiri, animam
 pro eo ponere, indicia sunt certissima amoris, quis non sum-
 mum dicat amorem Christi, qui, ut esset semper nobiscum,
 SS. Eucharistiam instituit, qui se & omnia sua dedit, qui vi-
 tam pro nobis per tot cruciatus posuit? 3. Beneficia collata,
 maximè Vocationis ad fidem, Justificationis, Redemptionis,
 Glorificationis; de quibus S. Augustinus quondam dixit:
 Domine, qui te non amat, quia creatus est, infer-
 num meruit; sed qui te non amat, quia redemptus
 est, meretur, ut novus pro eo infernus fiat. Uxor
 Tygranis, teste Xenophonte, noluit ad alium hominem ocu-
 los convertere, quàm ad maritum, postquam audivit, quòd
 maritus vitam pro ejus redemptione dare paratus esset; quid
 faciet anima, quæ scit, Christum non obtulisse tantum, sed
 posuisse vitam pro ea? An non exclamabit cum S. Davide:
 Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retri-
 buit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen
 Domini invocabo, Ps. 115. 4. Quia Deus est finis noster,
 & centrum, ac solus satiare potest Animæ desiderium. Hinc
 S. Augustinus l. 1. Confess. ait: Fecisti nos, Domine, ad
 te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat
 in te. O quàm velociter & potenter res creatæ ad centrum
 tendunt suum; quantò magis hoc fieri ab homine convenit?
 Quia Amor omnia levia facit. Hinc S. Jacobo 24. anni
 in laboribus & molestijs gravissimis consumpti videbantur
 dies pauci præ amoris multitudine. Sponsa quoque Cant. 8. ait:
 Aquæ multæ (tribulationum) non poterunt extingue-
 re charitatem. 6. Exempla S. Paulus; Quis me sepa-
 rabit à charitate Dei? vivo autem jam non ego, vi-
 vit verò in me Christus, S. Franciscus assiduò dicebat:
 Deus meus, & omnia. Et quandoque in his verbis pon-
 derandis integras noctes consumebat. S. Augustinus dicebat,
 si ego essem Deus, & tu Augustinus, vellem ego fieri Augu-
 stinus, ut tu Deus esses. S. Ignatius Martyr in corde SS. Jesu
 nomen

nomen insculptum habebat. Joannes Rusbrochius ita n^o debat præ amore, ut arborem, sub qua sedebat, accenderet calore. Baptista Santius ex Societate Jesu dicebat, si cerib^o sciret, se adhuc per unum diem victurum, adeoque adhuc privatum iri visione Dei, fore, ut præ nimio mœrore moreretur, uti in vita P. Balthasari Alvarez c. 17. refertur. B. Aloysius tanto Dei amore flagrabat, ut, quoties ejus mentio fiebat, ita inflammaretur, ut in vultu etiam signa emicarent. B. Stanislaus ita diligebat Deum, ut quandoque linteo frigido cor & pectus refrigerari debuerint, uti utriusque vita testatur. S. Nicolaa nata in Picardia, ut suum erga Deum amorem testaretur, petivit instanter, ut posset fieri particeps Passionis Christi & SS. Martyrum, ut posset quasi fieri theatrum dolorum; unde factum, ut per 50. annos varijs morbis & cruciatibus torqueretur, singulis diebus inflabatur caro, & residebat cum maximo dolore: Quandóque per octo dies vehementissimè pungebatur in capite: stomachus sæpe calores tantos sentiebat, ut ardere videretur: lectus videbatur clavis aut spinis refertus: Festis diebus augebantur miris modis dolores: præterea sæpe eosdem in corpore dolores per vicissitudinem sentiebat, quos S. Laurentius, S. Bartholomæus, & alij Martyres sentiebant. Quotidie tamen ad sacrum itabat, obijicientibus autem, quòd aliquando in itinere moritura sis, respondit: Moriar, dummodo inter brachia dilectissimi Jesu.

II. Porro actus Charitatis per sequentes aspirationes elicere possunt.

Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Diligam te Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad te, Deus.

Domine tu dixisti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua.

te tua, & ex totis viribus tuis. Da ergo Domine, quod jubes, & jube, quod vis.

Quis mihi tribuat, ut perfectè diligam te Bonitas infinita? quando occupabis cor meum totum? quando totus ero tuus, sicut totum me tibi debeo? Veni Sancte Spiritus, & tui in me amoris ignem accende.

Domine Jesu, qui dixisti; Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? accende, quæso, hunc ignem in corde meo, & illud in cinerem ac favillas redige.

Domine J E S U Christe, qui perpetuâ charitate dilexisti me; quâ, cum non essem, creâsti me; quâ, cum perditus essem, reparâsti me; quâ ad vitæ gratiam resuscitâsti me; quâ te ipsum totum dedisti mihi; adde, quæso, hoc beneficijs tuis, ut sine modo & purissimo amore diligam te nunc & in sempiternum: quia summum meum bonum es.

O mi amantissime Deus, utinam infinito amore posses diligere te? quia summum, & maximum meum bonum es.

O quàm gaudeo, mi Deus, quòd tu es, qui es, infinite bonus & potens! O utinam homines accendere posses amore tui!

O mi Deus, hanc unam ob causam rogo, ne in infernum præcipites me; ne debeam ibi audire blasphemias conjectas in te.

O Domine, etsi in æternum projicere me velis à conspectu tuo, non desinam tamen amare te.

Jesu mi bone, sentiam amoris tui copiam, da mihi per præsentiam, tuam videre gloriam.

Tua Jesu dilectio, grata mentis refectio, replens sine fastidio, dans famem desiderio.

Qui

Qui te gustant, esuriunt: qui bibunt, adhuc sitiunt: desiderare nesciunt, nisi Jesum, quem diligunt.

Quem tuus amor ebriat, novit, quid Jesus sapiat: quàm felix est, quem satiat, non est ultra, quod cupiat.

O Jesu, desidero te millies: mi Jesu, quando venies? me lætum quando facies? me de te quando saties. Amor tuus continuus, mihi languor assiduus, mihi fructus mellifluus est, & vitæ perpetuus.

O Beatum incendium! O ardens desiderium! O dulce refrigerium, amare Dei filium.

Bonum mihi diligere Jesum, nil ultra quaerere, mihi prorsus deficere, ut illi queam vivere, &c.

M E M B R U M V I.

Quâ ratione actus Contritionis eliciendi sint.

I. **A**D hanc ab ægro eliciendam parata habeat Operarius motiva, quæ opportunè suggerat, qualia sunt potissimum, infinita amabilitas Dei, incomprehensibilitas amoris Dei, magnitudo beneficiorum, sanguis & passio Christi conculcata, dolores, & mors Christo accersita per peccatum, Deus & Christus vilissimæ voluptati postpositus. Porro actus contritionis varijs modis elici possunt. 1. Ipsum dolorem exercendo hoc modo. Ah mi Deus, pœnitet me ex toto corde, quòd te summum meum bonum, quod super omnia diligo, toties, & tam graviter offenderim. O Deus! tu Dominus meus, & summus Benefactor meus, quem super omnia diligo. O quàm doleo, me beneficiis tuis tam ingratum fuisse.

Pater, peccavi in cœlum, & coram te, & jam non sum dignus nominari filius tuus.

Domine, peccavi: super numerum arenæ maris multi-

multiplicatae sunt iniquitates meae, & non sum dignus aspicere altitudinem caeli pro multitudine iniquitatum mearum.

Deus propitius esto mihi maximo peccatori.

Delicta Juventutis meae, & ignorantias meas ne memineris, Domine,

Domine, vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Tibi soli, Domine, peccavi, & malum coram te feci.

Domine, ne memineris iniquitatum mearum antiquarum, cito anticipet me misericordia tua, quia peccator factus sum nimis.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.

Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te, Domine.

II. Optando talem dolorem, & dicendo: O utinam mihi Deus, infinitum dolorem elicere possem, quia totum bonum Dominum, & infinitum bonum te offendi!

O utinam, mi Jesu, nunquam offendissem te tantum Benefactorem meum!

Ah Servator mi Jesu, Jesu mi Servator, quis dicitur mori pro te, & charitate tantam operiam multitudinem peccatorum meorum?

O Jesu, utinam vel guttulam haberem doloris illius, quem de nostris peccatis habuisti! ⊙

O utinam, mi Jesu, omnia tormenta veniant læta me, ut satisfaceret tam graviter læsæ Justitiæ tuæ.

Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontes lacrymarum, ut defleam tam grandia peccata mea?

III. Petendo à Deo talem dolorem, v. g. Domine converte me, & convertar ad te. Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Redde mihi, Domine, lætitiã salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Ah domine, da mihi aquam lacrymarum salientem in vitam æternam.

Domine, qui jussisti, ut revertamur ad te: da, quod jubes, & jube, quod vis.

Domine, qui invitasti nos ad te, dicens: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, ne repelle venientem ad te, & mandato tuo obedientem.

M E M B R U M VII.

Quã ratione actus resignationis eliciendi sint.

I. **A**D hanc etiam tantò vehementius ab Operario incitandus est æger, quantò gratius est Deo exercitiũ virtutis hujus ab ipso susceptum, ipsique etiam ægro utilis est. Ergo exerceri potest per modum Obedientiæ, dicendo v. g. Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.

Dominus est, quod bonum est in oculis ejus, hec faciat.

Domine, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum?

Dominus præcepit morbo, ut vexaret me; & quis est, qui contradicat ei?

Tribulatio & angustia invenerunt me, mandata
tua meditatio mea est.

Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum
verbum tuum.

II. Per modum Oblationis, v. g. dicendo: In manus
tuas Domine commendo spiritum meum.

Paratum Cor meum Deus, paratum cor meum ad
omnia, quæ tibi placent, ut agam, vel patiar,

Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam
mandata tua.

In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus
voluntatem tuam, tunc dixi: Ecce venio.

Ecce mancipium Domini, fiat mihi secundum
verbum tuum.

Domine, descendi (in hunc lectum) non ut faciam
voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.

III. Per modum Desiderij ac Petitionis, v. g. Pater, si
possibile est, transeat à me calix iste; veruntamen non
mea, sed tua voluntas fiat.

Abba Pater, omnia tibi possible sunt: si vis, trans-
fer calicem hunc à me; veruntamen non quod ego
nolo, sed quod tu.

Doce me, quæso, Domine facere voluntatem
tuam.

Domine, da mihi cor, ut colam te, & faciam vo-
luntatem tuam corde magno, & animo volenti.

Unam petij à Domino, hanc requiram, ut videam
voluntatem Domini, quoniam vita in voluntate
est.

IV. Per modum Actus patientiæ, v. g. Pater sancte,
amarus est calix, sed tamen amore tui paratus sum
bibere illum: auge dolorem, auge patientiam.

Instruct. III.

R

Pro-

Proba me, Domine, & tenta me, ure renes meos,
& cor meum.

Domine, hinc ure, hinc seca, modò fiat in me voluntas tua.

Domine omnes dolores arbitratus sum, ut gaudia, ut perficiam sanctum Beneplacitum tuum,

Domine, hæc mihi sit consolatio, libenter care-
re velle omni solatio. Et si tua defuerit consolatio,
sit mihi tua voluntas, & iusta probatio pro summo
solatio.

O Jesu, mi patientissime, trahere me post te, ut cur-
ram in odorem sanctæ patientiæ tuæ.

Domine, etiam si oportuerit me commori tibi, non
te negabo, aut contradicam voluntati tuæ.

V. Per modum Gratiarum Actionis, v. g. Benedicite
frigus & æstus Domino, benedicite sitis & æstus Do-
mino, laudate & superexaltate eum in sæcula,

Benedicant te Domine, vita & mors, laudent &
superexaltent te in sæcula.

Absit mihi gloriari, nisi in cruce tua, Domine mi
Jesu Christe.

Quid retribuam Domino pro omnibus dolori-
bus, quos tribuit mihi? calicem Salutaris accipiam.

O Domine, laudent te omnes Angeli propter cru-
ciatus, quos misisti mihi.

VI. Per modum Humiliationis, v. g. Domine, quis
ego sum, ut venias ad me, & per tribulationes visi-
tes me?

Exi à me, Domine, quia homo peccator sum, &
indignus tanto favore tuo.

Domine, quid est homo, quia innotuisti ei; aut
filius hominis, quia visitas eum?

Bonum

Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me, ut di-
scam justificationes tuas.

Non est, O Domine, servus major Domino suo,
neque discipulus supra Magistrum. Si ergo te oportet
pati, & ita intrare in gloriam tuam, quanto
magis me pati conveniet? nam ego quidem justè
hæc patior, tu verò, mi Domine Jesu, quid fecisti?

§. IX.

Quidnam Operarius, cum discedit ab Infirmis,
observare debeat.

Tria sunt præcipuè, quæ Operarius ab ægris discessu-
rus observare debet. Primum est, ut, quemadmodum
Rituale Romanum & pleraque Ritualia Diœcesana monent,
prius aliquas preces in dictis Ritualibus præscriptas, & in fi-
ne libelli ponendas recitet, utpote quæ hoc ipso, quòd ab Ec-
clesia præscriptæ sunt, singularem meritò efficaciam habi-
tate creduntur. Certè dolendum est, aliquos interdum Ope-
rarios diu apud Infirmos hære, nec tamen aut ipsosmet pro
ipsis orare, aut ipsos ad orationem peragendam incitare, cum
tamen ejusmodi orationes non parùm tum ad ædificationem
adstantium, tum ad solatium & auxilium Infirmorum condu-
cere videantur.

II. Alterum est, ut, quemadmodum idem Rituale Roma-
num monet, consolatur Infirmos, dicens, se pro ijs in Sacri-
ficio Missæ, & aliis precibus oraturum, curaturumque, ut
alij idem pro eis faciant, idque re ipsa præstet. Deinde non
modicè hoc solatium augebit, si jubeat illos bono animo esse,
horteturque, ut doctrinas à se datas, præcipuè illam, quam
illis magis necessariam esse judicaverit, diligenter obser-
vent, addatque, se eos in tutelam omnium SS. Patrono-
rum, in sinum B. Matris Virginis, & SS. Christi vulnera
commendare, qui velut sexaginta fortissimi Milites lectulum
iporum circumstant.

III. Tertium denique est, ut sacram eis aquam, simulque
etiam benedictionem largiatur, dicens, prout in memorati
libello præscribitur: **Benedictio Dei Omnipotentis,**

R 2

Patris

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, descendat super te, & maneat semper. Amen. Quòd si interdum varietatis gratia placeat aliam ex subjunctis seligere: Benedicat te Deus Pater, qui te creavit: Benedicat te Deus Filius, qui te redemit: Benedicat te Spiritus Sanctus, qui justificavit te. Aut: Benedicat te Sacrosancta Trinitas, & hinc quidem charitatem & patientiam, ibi verò vitam æternam largiatur. Amen. Vel: Benedicat te SS. Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nunc & in hora mortis tuæ. Amen. Vel: Dominus noster JESUS Christus te per suum sacratissimum Sanguinem abluat & purificet: per dolores suos confortet: per SS. Vulnera sua protegat: & per mortem suam ab æterna morte custodiat, atque ad gaudia sempiterna perducatur. Amen. Vel: Dominus noster JESUS Christus per suam sanctissimam Passionem & mortem te consoletur & roboret, ut morbum & dolores tuos ad illius exemplum patienter sustinere, & ab iisdem feliciter liberari valeas. Amen. Aut: Tristis JESUS soletur te: Cruentus JESUS abluat te: Vulneratus JESUS sanet te: Infirmus JESUS confortet te: Crucifixus JESUS defendat te: Moriens JESUS liberet te, & ad vitam æternam perducatur. Amen.

§. X.

Quomodo Infirmi inducendi sint, ut disponant domui suæ.

Cùm ex una parte nulla sit gravior necessitas aut periculum, quàm mortis subeundæ alea, uti sapius ostendit: et altera verò parte crebra ostendat experientia, perægrè Infirmos induci ad ea, quæ tali articulo conveniunt, præstandum meritò laborare summo opere debet Zelosus Operarius, ut, ubi primùm comperit, mortis periculū alicui imminere (id quod ex Me-

Medicis præcipuè cognosci potest) prudenter & suaviter, absque ullo respectu aut timore periculum hoc illi denunciet, aptisque verbis & motiuis inducere eum conetur, ut domui suæ dispoat, eumque in finem omnia alia negotia sepoat, certò sibi persuadens, nunc negotium negotiorum omnium maximum præ manibus esse, atque adeò mentem, necque omnes eidem soli ritè perficiendo impendendas, uti videlicet exemplo suo Pius V. Pontifex probavit, qui, cum in supremo morbo varia negotia proponerentur, omnia rejecit dicens: *Iam gravius mihi negotium peragendū est. An fortè vos huius momenti negotiū putatis, animam ad extremam horam etiam preparare?* Idem S. Franciscus Borgia fecit, qui, cum infirmitatem suam magis, magisque augeri adverteret, & aliquot Cardinales & Legati ipsum visitare vellent, excusari se iussit, eò quòd nunc cum illo Domino agendum sit, qui vitæ & mortis habet arbitrium. Hinc & Hugo Gratianopolitanus Episcopus non patiebatur quidquam ludicrum coram se hoc tempore dici, aut tractari, sed omnes ad bona opera hortabatur, dicens, hoc tempus pœnitentiæ cum fletu, & non cum risu, & ociosis colloquiis transigendum esse. Porro quatuor sunt præcipuè capita, ad quæ Infirmi disponi debent, videlicet: Confessio, Communio seu Viaticum, Extrema Unctio, & Testamenti confectio, de quorum singulis ordiæ eodem nunc agendum est.

M E M B R U M I.

Quomodo Infirmi ad Confessionem induci debeant.

Circa hanc duo potissimùm præstanda sunt Operatio, scilicet ut persuadeat Infirmum ad eam faciendam; & eandem juvet ad fructuosè faciendam Confessionem. Ad primum caput obtinendum sequentes observet industrias. Ante omnia ei Confessionis necessitatem, æquitatèque Christi verbis Matt. 5. demonstret: *Esto consentiens Adversario tuo, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te Adversarius Iudici, & Iudex tradat te Ministro, & in carcerem mittaris.* Eum in finem afferat etiam memorabilem S. Augustini sententiam, qui dicere solebat: *Nemo quamvis sanctus & perfectus hinc decedere debet, nisi sit antè de peccatis suis confessus,*

& Dominici Corporis Viatico instructus. Cui consentiens S.
 Gregorius l. 13. moral. *Electorum mentes*, ait, quò amplius
 aeterno Iudicij appropinquare se sentiunt, eò ad discutiendos se-
 ipsos terribilius excitantur, ac properant, quia propinquum sibi
 iudicium iugiter suspicantur. 2. Exemplo uno, alteròve o-
 stendat, quam solliciti fuerint, etiam sanctissimi Viri de vera
 pœnitentia in morte agenda. Sic enim S. Augustinus psal-
 mos descriptos in lecto affigi voluit, eorùmque recitatione
 assidua se ad pœnitentiam excitavit, ut in vita illius legitur.
 Sic Galla Symachi Senatoris Romani Filia, cum post Mariti
 obitum Sacræ Religioni se dicasset, & circa ultimū vitæ tempus
 à S. Paulo visitaretur, hoc solum petijt, an sibi peccata re-
 missa essent. Hinc & Job c. 10. ad DEVM dixit: *Numquid*
non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me
in plangam paululùm dolorem meum, antequam vadam, & non
revertar, ad terram renebrofam, & operam mortis caliginem.
 3. Utilitatem & lætitiã, quam ex tali confessione perci-
 pient, ostendat, illam videlicet, quam Ecclesiasticus c. 17. in-
 dicavit, dum dixit: *Non demoreris in errore impiorum. Ante*
mortem confitere. Confiteberis vivens, vivus & sanus confite-
beris, & laudabis DEVM, & gloriaberis in miserationibus il-
lius. Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius
convergentibus ad se! Si æger obstinato animo confiteri
 nollet, orandum pro illo est imprimis, & varia bona opera
 offerenda; subinde submittendus aliquis, qui multum apud
 illum valet autoritate & gratiã, ut eum ad officium suum fa-
 ciendum amicè hortetur, tum ipse etiam Sacerdos accedat,
 & quàm humanissimè potest, cum illo de variis rebus, quas
 ipsi gratas esse censuerit, colloquatur, nullam mentionem fa-
 ciens de confessione, quousque benevolum fatiis ipsum se ha-
 bere adverterit: proderit etiam laudare illum de sollicitu-
 dine & charitate, quam erga domesticos hactenus ostendit,
 sperare se proinde, quòd laudem hanc minimè corrupturus
 sit, sed tantò majorem potiùs sui curam hoc tempore habitu-
 rus, quantò prior est propria salus, quàm aliena; quid enim
 prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò
 suæ detrimentum patiatur? Si mediã hæc nihil proficiant,
 inquiri causa poterit, cur confiteri nolit; an fortè hæresis li-
 teat? an desperatio? an pactum cum dæmone? an affectus erga
 aliquod

aliquid peccatum, aut rem aliquam terrenam? an acedia & difficultatis horror? Inventâ hâc radice curandum est, ut aptis medijs ea evellatur. Denique explicari poterit, quàm DEVS secum joculari non patiat, atque adeò nunc dicat, quod olim infelici Udoni per somnium dictum est: Udo, Udo, cessa à ludo; si ergo non resipuerit, timendum esse, ne impleatur, quòd DEVS per Salomonem minatus est dicens: *Non tardes conversionis ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Eccl. 5. Pari modo explicandum est, quàm infelix status peccatores in altera vita maneat, quàmque adeò nihil detrectandum sit homini, ut illum statum effugiat: certè hîc occini potest, quòd olim Naamo servi illius dixerunt 4. Reg. c. 5. *Pater, si rem grandem tibi dixisset Propheta, certè facere debueras; quanto magis, quia nunc dixit tibi: Lavare & mundaberis?*

II. Alterum caput, scilicet fructuosam Confessionem ut obtineat. I. Ante omnia laborandum est, ut, cum ægri non semper sint satis dispositi ad veram contritionem eliciendam, ipse eosdem ad talem contritionem aptis motivis propositis excitare studeat, præcipuè tamen ostendendo, quantum dilectionem DEVS per Creationem, Redemptionem, & Vocationem ad fidem &c. ostenderit, quàmque adeò meritò plus, quàm ullus Pater diligi mereatur, & tamen per peccatum tam graviter offensus sit. In quem finem proderit referre, quod Pistorius in apoth. spir. c. 2. refert, scilicet Oeniponti in PP. Franciscanorum templo statuam esse, quæ Equitem nobilem repræsenter, qui, cum proprium Parentem in bello, licet non agnitum occidisset, ubi postea ex certis indiciis, hastæ videlicet cuspidem in Patris pectore conspectâ, id comperit, tantum inde dolorem concepit, ut mortuus conciderit. Inde colligere jubeat Infirmum, quantum ipse dolorem concipere debeat, qui talem Patrem deliberatâ voluntate, & tam crudeli morte, qualis fuit crucifixio Christi, interemerit. Hortetur item, ut Christum Crucifixum ante oculos sibi statuatur, & sequentibus S. Bernardi verbis se alloquentem imaginetur: *O homo, vide, qua pro te patior: non est dolor, sicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior: Vide pœnas, quibus afficior: vide clavos, quibus confodior, cum sit tantus dolor exterior, interior est planctus gravior, cum te tam ingratum experior.*

R 4

III. Por-

III. Porro in ipso actu contritionis eliciendo variis modis dirigere potest Infirmum Operarius. Primus & optimus tam pro hoc Sacramento, quam pro aliis recipiendis est, si per actus Theologicarum virtutum elicitos ad ea disponatur hoc vel simili modo.

O Amantissime mi Redemptor, ac Domine JESU Christe, credo firmissimè, te hoc Sacramentum Pœnitentiæ pro mea salute instituisse. Statuo proinde illud cum ardentissimo honoris tui, & salutis meæ desiderio suscipere.

O JESU mi pijsime, scio, quòd sicut voluntatem largitus es, ita etiam perficiendi gratiam concedere paratus sis. Confido proin in infinita bonitate tua, rogòque per amorem, quo Sacramentum hoc constituisti, ut, sicut occasionem & desiderium confitendi benignissimè largitus es, ita ad eam etiam fructuosè peragendam, gratiam uberem largiaris.

O amabilissime JESU, agnosco infinitam charitatem tuam, quam in Sacramento Confessionis instituendo erga me demonstrasti, gratias proinde tibi ago, quàm possum, maximas, & vicissim diligo te ex corde meo, doleòque ex animo, quod te Dominum meum ac Deum meum, Redemptorem ac Benefactorem meum tantopere dilectum unquam offenderim.

O Clementissime JESU, detestor omnia peccata mea propter te, & vel nunc ea per SS. Pœnitentiæ Sacramentum penitus delebo. Ah miserere mei secundum magnâ misericordiam tuam; & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

IV. Alter modus est, ut per consuetam contritionis Formulam dirigatur hoc modo.

Domine JESU Christe, verus DEUS & Homo

Crea-

Creator ac Redemptor meus, quoniam tu es is, qui es, & quia amo te super omnia, pœnitet me ex toto corde, quòd te offenderim, & propono firmissimè, nunquam ampliùs peccare, & omnes peccandi occasiones evitare, confiteri, & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit injuncta. Condono simul amore tui ex corde omnes offensas, quibus unquam læsus sum; & si quispiam habet aliquid contra me, unde jure coram te queratur, propono, illi me proximâ occasione satisfacturum. Omnia denique opera mea, & afflictiones, ac totam vitam meam tibi offero in satisfactionem peccatorum meorum. Et quemadmodum suppliciter à te peto, sic confido in bonitate tua, & misericordiâ infinita, quòd ea merito pretiosæ tuæ passionis & mortis mihi remissurus, & gratiam largiturus sis ad me emendandum, & ad perseverandum usque ad mortem. Amen.

V. Tertius modus est pro eo tempore, quo periculum Infirmi non pateretur contritionem supradictis modis longiùs elici; tunc enim breviter sic concipi posset. O mi DEUS, in te credo, in te spero, te diligo ex corde, ideòque detestor omnia peccata mea, & firmiter cavere propono. Ah dimitte mihi debita mea; sicut & ego dimitto debitoribus meis.

VI. In ipsa confessione magnam charitatem & suavitatem ostendat Operarius, juvètque prudenter quæstionibus ad integritatem confessionis.

VII. Pro satisfactione seu pœnitentia, quæ modica hoc tempore esse debet, poterit monere Infirmum, ut suos dolores, & ipsam, si placet, mortem offerat. Quòd si restitutio aliqua facienda sit, aut inimicitia tollenda, sedulò laboret, ut in hoc genere partes suas perfectè expleat Infirmus, caveat tamen etiam, ne majus ipsi, quàm oporteat, onus imponat, aut inanes scrupulos ingeneret.

VIII. Peractâ confessione hortetur illum breviter, ut se
perinde nunc, atque olim Magdalenæ dictum credat à ser-
vatore: *Remittuntur tibi peccata tua. Vade in pace.* Jubeat pro-
inde læto animo esse, & dicere cum Davide: Eruiisti, Do-
mine, animam meam, ne periret. Projecisti post ter-
gum tuum omnia peccata mea. Dirupisti, Domi-
ne, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Ju-
ravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.

IX. Denique post absolutionem impertitam det Operam,
ut pro tanto beneficio gratum se exhibeat Infirmus, & ipso
præeunte, in ejusmodi affectus se effundat.

O benignissime JESU, Redemptor & Consolator
meus, quid retribuam tibi pro tanta charitate, quâ
non solum hoc Sacramentum instituisti, sed fructum
etiam illius toties mihi applicuisti.

O Utinam propter hoc beneficium infinites te
laudare, benedicere, & amare possem! Ah piissime
JESU, da mihi, obsecro, per infinitam misericor-
diam tuam gratiam istam, ut divinam majestatem
tuam deinceps nunquam amplius deliberatè of-
fendam.

Ignosce quoque, quidquid in hac confessione aut
unquam aliàs deliqui, sicut & ego amore tui igno-
sco omnibus, qui me unquam offenderunt, precor-
que illis eandem gratiam, quam mihi ipsi exopto.

Ah JESU mi dilectissime, in sanctissima passione
& vulneribus tuis omnis spes mea reposita est. Fac
ergo, obsecro, ut virtute illorum de omnibus vitiis
triumphem, & quantò plura per te mihi remissa
sunt debita, tantò ardentiori te DEUM meum amo-
re complectar. Qui vivis & regnas in sæcula sæcu-
lorum. Amen.

O sanctissima & immaculatè concepta Virgo MA-
RIA, & vos omnes SS. Patroni mei, intercedite, quæ-
so, pro

so, pro me, & optatam peccatorum veniam, veramque vitæ emendationem mihi, aliisque Peccatoribus impetrate. Amen.

M E M B R U M II.

Quomodo ad Communionem disponendi sint Infirmi.

I. Etiam hinc duo curanda sunt Operario, scilicet ut & desiderium excitet S. Viatici in Infirmo; & ut eundem iure in illo dignè ac fructuosè sumendo.

II. Pro desiderio obtinendo sequentia observabit 1. Necessitatem illius pro hoc maxime tempore ostendet; cum enim jam ex Ægypto hujus mundi abeundum illi sit, prius oportet Agnum Paschalem sumere, ut eodem confortatus, iter suum lætus & securus ingrediatur, & per mare rubrum SS. Passionis Christi salvatus, ad ripam alterius vitæ securus transeat. Præterea dum cum Elia ad montem Horeb, id est, cæli pergit, imaginetur sibi adstantem S. Angelum Custodem, & dicentem: *Surge, & comede; magna enim tibi restat via.* Tandem hoc tempore certamen maximum & periculosissimum est suscipiendum, ergo accedendum est ad mentem, quam, teste S. David, paravit DEUS in conspectu suo adversus eos, qui tribulant nos; ergo in subsidium vocandus est is, qui fortis est, & potens; si enim Deus pro nobis, quis contra nos? si consurgant adversum nos castra, non timebit cor nostrum. 2. Utilitatem quoque hujus S. Viatici ex illa Ecclesiæ Antiphona demonstrabit: *O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur (vel Dux, Consolator, & Protector in ultimo itinere futurus) recolitur memoria passionis eius (ut & ipse excitetur ad protegendum & roborandum Infirmum, ne pereat tantum pretium pro ipso expensum) mens impletur gratia (& quidem tantò copiosius, quantò magis se disposuerit per desiderium ad illam recipiendam) & futura gloria pignus datur;* quis autem tam pretiosum pignus non libenter accipiat, maxime hoc tempore, in quo gravissimum æterni naufragij periculum subeundum est, atque adeò merito, sicut Albuquerquez in periculo materialis naufragij constitutus, Infantem suum arripuit, & versus cælum tollens rogavit Deum, ut vel propter innocentiam hujus Infantis parcere omnibus

in navi versantibus dignaretur, ita & ipse æger ad averte-
dum spiritualis naufragij gravius periculum Christum Fi-
lium æterno Patri offert.

III. Pro actuali verò communionē fructuosè peragenda
sequentia observet Operarius. 1. Ut per pios aliquot actus
disponat Infirmum ad sacrum viaticum digniùs suscipien-
dum. Quales e. g. iterum sequentes esse possunt.

O dilectissime Domine JESU Christe, credo fir-
missimè, te in hoc Sacramento cum corpore & ani-
ma, cum Divinitate & Humanitate præsentem esse,
adoro te proinde, & veneror omni possibili reveren-
tia & submissione, optòque, ut ab omnibus Homi-
nibus summus tibi in hoc Sacramento honor, cultus-
que exhibeatur.

O pijsissime JESU, agnosco cum summa gratitudi-
ne, & gaudeo, quòd ad me diverti desideres. Desi-
dero proinde & ego te summa cum reverentia & pu-
ritate suscipere.

O JESU benignissime, ecce cum profundissima
demissione offero tibi cor meum, & universa mem-
bra mea, rogòque, ut illa secundum beneplacitum
tuum adornes, dignamque in ijs tibi habitationem
constituas.

O Mitissime JESU, quemadmodum desiderat cer-
vus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad
te. Veni ergo, ô desiderium animæ meæ, & noli
tardare.

O JESU amantissime, diligo te ex toto corde meo,
quia tu me tantopere amâsti, & in pignus amoris
tui sanctissimum corpus & sanguinem dare digna-
tus es.

O JESU potentissime, mihi adhærere tibi DEO
meo bonum est, & ponere in te spem meam. Ah ve-
ni, ut non confundar.

O JE-

O JESU dilectissime, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.

IV. Ubi SS. Sacramentum allatum fuerit, hortetur, ut illud salutet sequentibus verbis:

Ave verum corpus, natum ex MARIA Virgine, verè passum, immolatum in cruce pro homine; cuius latus perforatum fluxit undâ sanguine, esto mihi prægustatum mortis in examine. O dulcis, ô pie, O JESU Fili MARIÆ, miserere mei. JESU, quem velatum nunc aspicio, oro, fiat illud, quod tam sitio, ut te revelata cernens facie, visu sim beatus tuæ gloriæ.

V. Si Infirmus pro solatio suo petat, ut Sacerdos antè, quam Sacram Hostiam illi porrigat, nonnihil eam teneat, ut vel Symbolum Apostolorum, vel formulam Votorum, aut aliud quid recitare possit, non erit ei deneganda hæc devotio, utpote quæ & ipsi solatio, & aliis non modicæ ædificationi esse possit.

VI. Sumpto Sacro Viatico, hortetur illum, ut in pios affectus erumpat (nisi ipse per se id facturum sciatur, tunc enim nonnihil in quiete relinquendus est.) dicatque v. g. Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Mane nobiscum Domine, quoniam ad vesperascat.

O Anima Christi sanctifica me, corpus Christi salva me, sanguis Christi inebria me, aqua lateris Christi lava me, Passio Christi conforta me, ô bone JESU exaudi me, intra vulnera tua absconde me, ne permittas me separari à te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem & glorificem te in sæcula sæculorum. Amen.

VII.

VII. His dictis vel ab ipso ægro, vel Operario præcuncto, si voluerit Infirmus parùm alloqui adstantes, qui SS. Sacramentum sunt comitati, poterit ipsi permitti, de quo tamen ante adventum S. Viatici quærendus est. Quòd si ipsimet hoc facere non placeat, aut ob infirmitatem non possit, non parùm fortè prodesset ad ægri solatium, & adstantium ædificationem, si Operarius hoc vel simili modo eos alloqueretur (si quidem mox etiam extrema Unctio non sit danda; alioqui enim post hanc absolutam id facere posset) Per dilecti Christiani, cum præsens Infirmus ob Infirmitatem suam officium suum facere commodè non possit, me, ut vices ejus supplerem, rogavit. Agit ergo inprimis omnibus & singulis tum præsentibus, tum etiam absentibus summas gratias pro omnibus beneficiis, quæ unquam ipsi aliàs, & nunc etiam per extremum hoc charitatis Christianæ officium præstiterunt. Subinde veniam ab omnibus demissè petit, si illorum ullum quacunque tandem ratione unquam offendit, & vicissim omnibus & singulis ex corde ignoscit, si quis ipsum unquam quomodocunque offendit. Denique, quoniam nunc in eo statu constitutum se videt, in quo vel maximè aliorum auxilio indigeat, impensè se omnium devotis precibus commendat, ut per eas felicem ipsi ex hac vita transitum impetrare conentur; spondetque vicissim, se quoque hoc beneficium compensaturum, & ubi ad optatum DEI conspectum venerit, pro omnibus sedulò DEUM rogaturum, ut & ipsi secundum ipsius sanctissimam voluntatem vitam suam christianè transigere, & sanctè, pièque claudere possint.

VIII. Post hæc juvare poterit ægrum in gratijs pro S. Viatico agendis, quod hoc vel simili modo præstare potest:

O dilectissime mi Domine JESU Christe, credo iterum firmissimè, quòd apud me verè diverti, meque tuâ divinissimâ præsentia sanctificare dignatus sis. Adoro proinde te, laudo, & glorifico te summâ, quâ possum, submissione ac reverentia, omnesque sanctos, ut idem mecum faciant, meosque defectus suppleant, invito.

O JESU mi piissime, gratias tibi amplissimas ago, quòd

quòd non solùm hoc Sacramentum instituire, sed
me etiam toties & hodie maximè SS. corpore tuo re-
ficere dignatus sis; atque in debitam gratiarum actio-
nem offero tibi hoc ipsum sanctissimum corpus tuum
cum omnibus Sacrificiis & Communionibus, quæ
unquam hæctenus peractæ sunt, aut deinceps pera-
gendæ; uti & me ipsum cum omnibus, quæ habeo &
possideo, rogòque demissè, ut hanc oblationem
benignè acceptare, atque acceptam habere velis.

O JESU amantissime, nunc iterum agnosco inef-
fabilem charitatem tuam, firmiterque statuo, te vi-
cissim ex corde toto diligere, atque ideo jam nunc
omni iterum peccato, & occasione peccandi penitus
renuncio.

O JESU benignissime, in te omnis mea spes ac fi-
ducia reposita est, per amorem igitur, quo hoc Sa-
cramentum instituisti, meque jam iterum eodem
refecisti, rogo te, ut, quidquid ad tuam majorem
gloriam, meamque salutem magis expedire cogno-
veris, mihi largiri, præcipuè verò verum pecca-
ti odium, virtutis amorem, patientiam in adver-
sitate, & felicem ex hac vita transitum concedere di-
gneris.

O JESU mi clementissime, commendo tibi etiam
omnes vivos & defunctos, præcipuè meos Superio-
res, Benefactores, Consanguineos, Amicos, & Ini-
micos, & eos, qui se meis precibus commendave-
runt, aut meæ curæ commissi fuerunt, & iterum
suppliciter rogo per SS. corpus & sanguinem tuum,
ut defunctis quidem requiem, viventibus autem ve-
rum hujus SS. Sacramenti amorem, & omne id, quod
ad salutem corporis, animæque illis expedire judica-
veris, largiri benignissimè digneris. O JE-

O JESU mi suavissime, non dimittam te, nisi mihi & omnibus, quos tibi nunc commendavi, benedixeris.

Benedicta sit SS. Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Benedictus Christus sub hoc SS. Sacramento absconditus & latens. Benedicta sit immaculata Virgo MARIA, quæ nobis hoc Christi corpus peperit. Benedicti sint omnes Cælitæ, qui unquam hoc Sacramentum dignè sumpserunt, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

M E M B R U M I I I.

Quomodo Infirmi ad S. Unctionem disponendi sint.

I. **Q**uæ circa priora duo Sacramenta Operario observanda dixi, eadem etiam circa hoc observare oportet, scilicet ut & desiderium excitare ad hoc SS. Sacramentum, & ad illud fructuosè suscipiendum juvare dignetur.

II. Ad desiderium excitandum, sequentes observet induftrias. 1. Ostendat fructus, quos secum id affert; quosque S. Jacobus c. 5. indicavit, dum dixit: *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungent eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quos effectus paulò fusiùs aut clariùs ei explicet, & per exempla confirmet. Et primò quidem ostendat, multos per extremam unctionem corporis etiam sanitatem adeptos fuisse; & verò etiam ipsum certò obtenturum, si conducatur ad ipsius salutem. Deinde ostendat, peccata eidem remitti, uti & peccatam peccatis debitam, si non totam, certè ex parte. Tandem verò robur ad morbi dolores fortiter sustinendos, uti & ipsum dæmonis impetum, atque tentationes superandas concedi. Hinc Maria Oegniacensis, quoties ægri ungebantur, vidit Christum cum innumeris Cælitibus cubiculum ægroti ingredi, & infirmum roborare, dæmones pellere, animam mundare, eamque mirè illuminare, uti Surius in vita illius refert. 2. Ostendat illi modum, quomodo cum fr-

Quia hoc Sacramentum suscipere debeat, videlicet cum vera fide, spe, religione, reverentia, atque submissione. 3. Explicet illi parum preces ab Ecclesia in hoc Sacramento admittendo adhiberi solitas, simulque ostendat, quantum ex illis solatium haurire possit, & debeat. In horum confirmationem proderit afferre exemplum Ruperti Cæsaris, qui, cum diu recusasset hoc Sacramentum suscipere, timens, ne citius moreretur, propè abfuit à lapsu, sed persuasus tandem, ut susciperet, dixit, si scivissem, quantum hoc Sacramentum conducere ad corporis & animæ salutem, citius illud petissem. Accepit ergo illud, & paulò post sanatus multis adhuc annis regnavit. Bzovius Tom. 5. annal. 4. Ad majorem hujus Sacramenti æstimationem conciliandam, majusque desiderium excitandum non parum conducet ostendere, quanti ipse etiam Christus fecerit usum hujus Sacramenti, dum S. Lydwina post 38. annos in gravissimis morbis & doloribus consumptos ipsemet cum Matre sua & Apostolis visitavit, & Sacramentali habitu assumpto, illam usitato Ecclesiæ more inunxit, cereumque in manus inseruit. Surius in vita 7. April. S. Mariæ quoque, quòd feminam sine hoc Sacramento mori permisisset, eam precibus suis à morte suscitavit, ut eam inungere posset; quæ mox convaleuit, & aliquot annis vixit, uti Bernardus in ejus vita testatur. 5. Denique proderit ostendere, quàm severè DEVS puniat eos, qui in hoc Sacramento suscipiendo fuerunt negligentes. Quem in finem concinet narratio de homine illo cæteroquin pio, qui, quia suscipere hoc Sacramentum metu mortis accelerandæ recusavit, post mortem ad purgatorium centum annorum condemnatus est, uti ipse narravit resuscitatus, dum ad sepulturam deferendus, ubi etiam addidit, se, si suscepisset hoc Sacramentum, sanandum fuisse; neque enim illud mortem, sed vitam afferre, uti Daurolt. in floribus exempl. c. 5. tit. 57. et. 4. narrat.

III. Porro ut fructuosè suscipiat hoc Sacramentum Infirmus, hæc ei suggerere proderit. 1. Hortetur, ut per pia aliquot suspiria præparet se ad dignam sumptionem, id quod hoc vel simili modo fieri potest.

O amantissime Domine JESV, credo firmissimè,
Instruct. III. S te

te hoc Sacramentum ad corporis, animæque salutem, ac solatiū instituisse; desidero proinde illud cum omni possibili reverentia ac devotione suscipere, demissè rogans, ut eisdem effectus mihi juxta SS. tuum beneplacitum concedere digneris. Veni ergo, ô vere Samaritane, & oleo tuæ misericordiæ, ac vino charitatis unge, & sana me.

IV. Pariter hortetur, ut etiam sub ipsa sacra Unctione pios affectus excitare conetur, illos præcipuè, quos ipsa forma Sacramenti suggerit, ut scilicet demissè roget, ut, quidquid per unum quemque particularem sensum deliquit, id per istam sacram Unctionem, & infinitam misericordiam suam remittere DEVS dignetur.

V. Post acceptam sacram Unctionem moneat, ut hoc beneficium grato animo velut singularem gratiam, quam multi non acceperunt, agnoscat, ideoque secum hanc vel aliam similem Orationem recitet.

O amantissime mi Domine JESV Christe, ego indignus Famulus & creatura tua summas iterum tibi ago gratias, quòd hoc Sacramentum non solum instituere, sed me etiam illius participem facere volueris; simulque demissè rogo, ut virtute illius reliquias peccatorum meorum penitus delere, & vel sanitatem corporis, si ad tuam gloriam & meam salutem expedire noveris, restituere, vel ad extremam luctam gratiâ tuâ sic roborare digneris, ut vitam meam feliciter claudere, & pro hoc, & alijs beneficijs Te cum omnibus Sanctis in æternum benedicere possim. Amen.

VI. His precibus finitis hortetur ægrum, ut bono animo, & tanto præsidio munitus intrepidè prælietur prælia Domini, dicatque cum S. Davide ps. 22. *Si ambulavero in umbra mortis, non timebo, quoniam tu mecum es.* Alloquatur quoque eundem istis S. Pauli 1. ad Tim. verbis: *Tu autem homo DEI, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.*

nom, in qua vocatus es, Et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Aut illam S. Chrysoctomi in l. de Martyr. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in pralio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum, quod spondidisti: militiam, cui nomen dedisti.

M E M B R U M I V.

Quomodo Infirmi ad Testamentum faciendum disponendi sint.

Quartum caput, ad quod Infirmi disponendi sunt, est Testamenti confectio, & aliarum rerum dispositio, circa quod sequentia observet Operarius. 1. Admoneat ægrum, ut, si quam habuit administrationem, circa quam aliquid dicendum occurrat, ex cujus neglectu grave damnum irri posset, ut illud maturè ijs, quorum interest, significet. 2. Ut de bonis disponat per Testamentum justum & pium, aut si jam priùs id fecerit, an non aliquid justis de causis immutandum occurrat? 3. Hortetur, ut, si facultas id ferat, amicos sibi faciat pauperes, & animas purgatorij, eumque in finem legata quædam pia faciat. Circa quæ tamen hæc tria bene observari ab ægro curet.

I. Primum est, ut in statu gratiæ faciat hanc dispositionem, ne merito per peccatum mortale privetur; quòd si olim fecisset æger dispositionem in peccato mortali, suadet illi, ut nunc renovet intentionem, seduloque caveat, ne in talibus legatis faciendis vanam aliquam laudem ab hominibus, aut nominis, famæque perpetuitatem sectetur.

II. Secundum est, ut, nisi necessitas præsens aliquorum pauperum aliter suadeat, ijs pauperibus magis legata faciat, à quibus majus auxilium, & majorem gratitudinem expectare potest, quales sunt Religiosi S. Francisci, S. Domitici, aliorumque Ordinum mendicantium. Pari modo ut potius fundationes perpetuas cum præcipua intentione cultus divini & salutis Proximorum, quam eleemosynas brevi tempore expendendas decernat; specialiter verò curet, ut ne magnus in humando funere luxus & pompa instituat, sed potius major pars sumptuum in subsidium animæ conferatur. Unde laudari potest exemplum illius Domini, qui ordi-

nario modo funus sepeliri, sed mox 200. vel 300. sacra pro se legi curavit.

IV. Tertium est, ut, quæ vivens exequi potest in animæ suæ salutem, non facillè hæredibus committat, quem in finè narrasse proderit, quod teste Fabro Conc. 5. in Domin. 5. post Pent. litt. C. olim Filius quidam Patri suo responderat; cum enim Pater, qui magnam Liberis hæreditatem relicturus erat, ante mortem quæretet ex illis, quid quilibet post mortem Patris in animæ abeuntis solatium acturus esset, & iste missas tot legi se curaturum, alius tantam eleëmofynam sedaturum, alius alia facturum se polliceretur, tandem minimus illorum; nihil ego, inquit, promitto; si enim tu, dum Dominus es divitiarum & bonorum tuorum, nihil pro salute animæ tuæ decernis, multò minùs à Liberis, quorum quilibet partem tantum bonorum acquireret, sperare poteris.

§. XI.

Quomodo Infirmi contra Tentationes muniendi sint.

PLures quidem tentationes Infirmis occurrere solent, sed quæ omnes ad octo ferè species revocari possunt, de quibus proinde hoc loco agendum est.

M E M B R U M I.

De prima Tentatione contra Fidem.

I. PRIMA tentatio & periculosa satis illa meritò censetur, quæ contra Fidem in animo Infirmi exoritur; cum enim bene sciat Stygius Veterator, fidem esse basin totius spiritualis ædificij, eò omnia sua machinamenta dirigit, ut hominem à tutissima Fidei statione in periculosum vacillationis pelagus deiiciat. Unde meritò monet Ecclesia cum D. Petro 1. c. 5. Adversarius vester tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui resistite fortes in fide. Quare etiam Operarius diligentiam omnem adhibeat, ut Infirmus scutum Fidei firmiter teneat, eaque S. Thomæ verba sæpe repetat: *Credo, quicquid dixit Dei Filius: nil hoc verbo verius, fac me tibi semper magis credere, in te spem habere, te diligere.* Præterea verò has etiam industrias adhibeat.

II. Et I. quidem, si sit Catholicus, cæteroqui bonus, sed tantum circa aliquorum mysteriorum altiorum veritatem tentetur, monendus est, ut nullo modo disputet cum dæmone, sed hoc solum illi semper opponat scutum: Credo, quidquid credit S. Mater Ecclesia. Ad majorem verò confirmationem poterit recitare magno affectu, vel Symbolum Apostolorum, vel sequentem protestationem: Protestor coram DEO, & universa curia cælesti, & nominatim coram S. Angelo meo Custode, & coram vobis astantibus, quòd in hac fide S. Romanæ Ecclesiæ vivere, & mori velim; & si per delirium aliquod verbum ab ore meo excideret, quod aliter sonaret, protestor, quòd illud non sit meum, sed hoc tantum, quod protestatus sum. Sic me DEVS adjuvet, & sancta DEI Evangelia. Eundem in finem proderit frequenter per breves aspirationes confirmationem in fide à DEO petere v. g. cum Apostolis dicendo: *Domine, adauge nobis fidem.*

III. Si de veritate totius fidei Catholicæ dubitet, poterit sequentibus potissimum rationibus juvari; nimirum ut ostendatur illi, quòd hæc fides sit illa, quam tot Sancti, tot Doctores tenuerunt, quam tot Martyres sanguine per tanta martyria fuso confirmarunt, quam tot miracula probarunt, quæ sola per totum orbem propagata est, quâ Apostoli homines tam rudes, & alij eorum sectatores totum propè mundum subjugarunt, quam legis ejus perfectio & sanctitas commendat; ex quibus omnibus tandem hoc dilemma confici potest, non parum efficax ad pertinacem intellectum ægri conviandum: vel putas, quòd salutem consequi possint ij, qui hanc Catholicam fidem tenent, vel negas id fieri posse? si secundum: absurdum planè est, tot, tamque sanctos homines & tanta ex purissimo DEI amore perpeffos credere damnatos esse. Si primum; ergo cum per te salvi fieri possint Catholici, per nos autem nullus salvus fieri possit extra fidem Catholicam, æquum est, ut in tanti momenti negotio, à quo æterna felicitas, vel miseria pendet, securiori viâ incedas, quam scilicet omnes ad beatitudinem ducere concedunt, qualis est Catholica

Fides.

S 3

MEM-

MEMBRUM II.

De Diffidentia & Desperationis tentatione.

I. SECUNDA est tentatio diffidentia & desperationis, contra quam sic muniendus est æger. I. Si oriatur ex affectu odij, vindictæ, aut affectus ad peccatum, aut peccato non explicato, removeantur hæ radices, tum per confessionem, tum medijs supra assignatis pro Inimicitia tollenda.

II. Si oriatur ex pusillanimitate, vel peccatorum multitudinem ac magnitudine, ostendatur, quàm Pater æternus, Pater misericordiarum, cujus miserationis non est numerus; sit paratus Filium prodigum recipere; quàm paratus sit Filius DEI Pastor animarum ad ovem perditam suscipiendam; quàm amicè Pater filium errantem receperit, pro inimicis in cruce rogaverit &c. Ostendatur in SS. Christi vulneribus latere illud mare rubrum, in quo Diabolus cum toto exercitu, peccatis scilicet ægri, submergendus sit. Narretur, quid Christus Carpo petenti, ut duo peccatores in infernum præcipitarentur, dixerit, nimirum se paratum esse, iterum pro peccatoribus mori. Demonstretur, quàm ipse etiam Spiritus Sanctus paratus sit recipere peccatores, exemplo Juvenis à Patre & Filio rejecti, & à Spiritu sancto recepti, uti in Spec. Exempl. V. Miseric. Dei. ex. 1. fusiùs videre est. Ostendatur, quàm tota Trinitas parata sit recipere peccatores exemplo tot peccatorum, qui è statu pessimo ad summam perfectionem & vitæ sanctitatem pervenerunt. Quales fuerunt S. Maria Magdalena, S. Ægyptiaca, Pelagia, Thais meretrix, S. Augustinus, David, Latro, Theophilus, Nicolaus S. Andreae auxilio conversus, Moyses latro. Præterea etiam suffragia sanctorum Patronorum parata, maximè B. V. in memoriam revocari possunt, simulque illud S. Bonaventuræ solatio plenissimum dictum proponi. *Sicut à te despectus est & aversus necesse est, ut pereat, ita à te respectus est & conversus, impossibile est, ut pereat.* l. 1. Pharetr. c. 5. Unde S. Bernardus dicitur: *Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea fiducia, hæc tota ratio Spei mea.* In confirmationem hujus fiducia poterit exemplum Theophili, B. Ægidij Monachi ex potestate demonis cepti, variorum latronum, qui ob unum, alterumve opus misericordiam præter spem invenerunt, proponi, simulque inferri

tantò majorem ipse æger fiduciam concipere debeat, qui tot
 pia obsequia per vitam misericordie Matri exhibuerit. Juverit
 etiam promissiones DEI ob oculos ponere & dicere: Ecce
 Charissime, si DEVS tibi litteras dedisset, quibus tibi veniam
 omnium peccatorum promitteret, num in tali casu diffideres
 misericordie & veritati illius? Ecce tales litteras per Pro-
 phetam Ezechielem c. 18. offert dicens: *Si Impius egerit pœni-
 tentiam ab omnibus peccatis suis &c. vitam vivet, & non morietur.
 Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Sed & ipse Christus similes tibi obtulit litteras, dum
 dixit Matth. c. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, di-
 mitteret & vobis Pater vester caelestis delicta vestra;* atqui tu di-
 misisti Proximo tuo omnia peccata sua, ergo & tibi DEVS
 omnia libens dimittet. Denique revocet illi in memoriam,
 quàm grata sit DEO spes de misericordia eius. Sic enim ipse
 Christus aliquando, ut videre est apud Blossum in Monil. spir.
 c. 9. S. Mechtildi dixit: *Mihi valde gratum est, ut homines in
 bonitate mea confidant, & de me praesumant. Nam quisquis in
 me humiliter confisus fuerit, ac mihi bene crediderit; ego & in
 hac vita illi adero, & post mortem supra omnia meritum ei bene-
 faciam. Quantum mihi quis credere, & de bonitate mea præ-
 sumere potest, tantum, & in infinitum amplius obtinebit, quia
 impossibile est hominem non percipere, quòd sanctè credidit, &
 speravit.* Dum verò S. Mechtildis quæreret, quid potissi-
 mum de ipsius bonitate credere deberet, respondit Christus:
*Certâ fide crede, quòd ego te post mortem suscipiam, sicut Pater
 Filium suum charissimum, quòdque nullus unquam Pater tam
 fideliter cum unico nato suo hereditatem suam diviserit, sicut
 ego omnia bona mea & me ipsum tibi communicabo. Quicumque
 hoc de bonitate mea firmiter & cum humili charitate crediderit,
 salvus erit.*

III. Quàm verò placet DEO spes de bonitate ejus, tam
 cum offendit desperatio; hinc S. Catharinæ Senensi quondam
 dixit: *Peccatores, qui in mortis extremitate desperant de mise-
 ricordia mea, multò gravius me offendunt, & magis mihi displi-
 cent hoc uno peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas
 unquam commiserunt. Qui enim desperat, contemnit aperte
 ipsam misericordiam, & perversè existimat, iniquitatem suam
 maiorem esse, quàm sit eadem misericordia & bonitas mea.*

Vnde detentius huiusmodi peccato non dolet de offensa in me amissa, sed dolet de irremediabili damno suo. Qui si in veritate doleret, quòd me offendisset, atque contempsisset, & in misericordia mea fideliter speraret, ipse eam certissime inveniret, quoniam in infinitum maior est ipsa misericordia mea, quàm sint omnia peccata, quae unquam fuerunt commissa, vel quae committi possunt ab aliqua creatura.

M E M B R U M III.

De Tentatione ex Vitæ amittendæ timore orta.

I. Tertia tentatio est vitæ amittendæ timor; contra quam sic munitur ægrum. Primò ostendat ex Apostolo ad Heb. c. 9. statutum esse omnibus hominibus semel mori; si ergo aliquando moriendum est, nunquam melius morietur, quam quando DEUS mortem illi decernit; Nam, ut S. Chrysostomus ait, *Boni tuuc decedunt ex hac vita, cum meliores sunt; mali, cum minus mali, quàm futuri essent, si adhuc viverent.* Si ergo sanguinem emissuri illud tempus optimum credimus, quod Medici assignant, quòd magis animam emissuri illud tempus eligemus, quod DEUS optimum iudicat?

II. Secundò declaret, quòd anima in corpore sit tanquam in carcere, & tanquam in exilio; cur ergo non libenter acceptet mortem, quæ carceri januam aperit; & vincula dissolvit, ut in patriam omni genere deliciarum abundantem transire possit? an non filij ex Academijs in patriam ad vacationem anhelant? an non Sponsa peregrè profecta desiderat amplexus & præsentiam Sponsi? an non Operarius gaudet abire ex vinea in domum Patrisfamilias, ubi denarium diurnum recipiat? an non ipsa Jumenta magis cursum accelerant, & elementa velociùs moventur, quando propiora stabulo vel centro esse sese advertunt? An non miles desiderat manu miti, & partem prædam cum gaudio possidere?

III. Tertiò demonstret, quòd si DEO ita videatur, etiam invitum mori debeat; suadeat ergo illi, ut ex necessitate virtutem faciat, & cum magno suo merito & beneplacito DEI promptè mortem accipiat, quam si repugnans acceptaret, magis ab

gis ab ea torqueretur, meritum ingens amitteret, & pœnam purgatorij gravissimam accerferet.

IV. Quartò narret illi, quòd sicut P. Petrus Faber specialem post mortem gloriam obtinuit, eò quod ex obedientia mortuus esset, ita & ipse non minus præmium sperare possit, si in hoc casu obedientem sese DEO præbuerit. Certè qui reliquerit animam propter me, inquit Christus, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

V. Quintò proderit etiam unum alterúmve Exemplum afferre eorum, qui mortem vehementer desiderârunt, v. g. S. Davidis exclamantis: *Heu mihi, quia Incolatus meus prolongatus est!* S. Pauli dicentis: *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* S. Praxedis, quæ rogavit DEUM, ut se ab hac vita liberaret, ne tot mala videret. S. Cypriani, qui in serm. de mortalitate ait: *Quis anxius est de egressu ab hac vita, nisi qui in fide dubius est, & spe vacuus? Illius est mortem timere, qui non vult Christi Societatem, & eius est, talem recusare societatem, qui non credit, quòd debeat regnare cum Christo.* Coëpiscopus quidam S. Augustini quæsitus, an libenter moreretur? respondit, si aliquando moriendum est, cur non modò? Conradus unus ex Discipulis S. Dominici dixit ad adstantes: *Scitote, Fratres, quòd moriar fideliter, quia in fide Christi & Ecclesiæ: libenter, quia cum bona conscientia, & in DEI gratia: fiducialiter, quia spero, me in gaudium Domini intraturum: hilariter: quia ad requiem propero.* Reginaldus Polus Cardinalis, cùm Rex Angliæ insidias vitæ illius strueret, dicebat, vitam alicui adimere perinde esse, ac si quis dormire volenti vestes detrahat. Sander l. 1. Schism. Angl. S. Nicolaa Virgo vitam suam his verbis finijt: *O quam bene cadit ille, qui cadit in DEI brachia. Bona nox, ô munde; bona nox, ô vita; omnibus bona nox.* Sur. to. 6. Hortetur ergo ægrum, ut cum Christo dicat: *Pater, si possibile est, transeat calix iste à me; veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Matth. 26. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.*

S

MEM-

MEMBRUM IV.

De Tentatione ex amore possessorum
honorum orta.

I. **Q**uarta tentatio oritur ex possessorum honorum amore, quæ proinde difficulter relinquit Infirmus; contra quam tentationem sic eum munit Operarius. Et I. ostendat hanc esse conditionem humanæ vitæ, ut sicut nudi egressi sumus ex utero matris, ita & nudi revertamur illuc.

II. Ostendat hæc bona tantum ipsi commodata esse, tristari proin eum non debere, si Dominus, qui ea ad tempus concessit, repetat iterum, sed potius dicere cum S. Jobo debere: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Job. 1.

III. Ostendat, quantum meliora bona in altera vita eum maneat; jamque DEUM quodammodo ad ipsum dicere: *Veni, ego ostendam tibi omne bonum.* Quidni ergo omnia terrena arbitretur ut stercore, & contemnat, ut Christum & DEUM lucrifaciat?

IV. Ostendat etiam ipsum Christum nudum in Cruce mortuum fuisse, neque adeo detrectandam esse servo conditionem, quam ipse Dominus prior subierit.

V. Ostendat etiam in ipsius potestate esse, bona ista per manus pauperum in caelos præmittere, aut certè cum melioribus permutare; non esse proin, cur de eorum amissione doleat.

MEMBRUM V.

De Tentatione orta ex sollicitudine de Conjugibus & Liberis.

I. **Q**uinta tentatio ex sollicitudine de superstitibus Conjugibus & Liberis oritur, contra quam sic Infirmum munit Operarius. I. Ostendat, quod, si in caelos sit venturus, plus illis possit precibus prodesse; quam si in vita maneret.

II. Ostendat DEUM non minus eos amare, quam ipse amaverit; si ergo ipse deserturus suos non fuisset, multo minus DEUM eos deserturum; illi enim derelictus est pauper, & ipse Orphano erit adjutor, teste Davide.

III. Ostendat, quod, cum ab ipso in timore Domini edu-

cati sint, non debeat illis timere inopiam; non enim esse inopiam timentibus eum.

I V. Ostendat, si tantam curam de Liberis & Coniuge habet, ut temporaliter vivere possint corpore, multo æquius esse, ut de seipso & de sua vita spirituali ac æterna sollicitus sit; cum ergo illa cura hanc impediatur, merito eam abijciendam, & solam de seipso curam suscipiendam. Projiciat ergo omnem sollicitudinem suorum in Dominum, quoniam illi cura est de ipsis.

MEMBRUM VI.

De Tentatione Impatientiæ.

I. **S**exta tentatio est Impatientia, contra quam sic munitur. I. Assiduo hortetur ad Passionem Christi præ oculis habendam; non enim sentit dolores servus, qui Domini sui dolores intuetur; imaginetur ergo sibi Christum in cruce pendentem, & ad se dicentem: *Venite ad me omnes, qui laboratis (tali vel tali morbo) & onerati estis (doloribus corporis & animi) & ego reficiam vos (recordatione & virtute dolorum meorum) O vos omnes, qui transitis (aut consideratis passionem meam) attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Thren. I.

II. Hortetur eum, ut frequenter meminerit cælestium gaudiorum aut pœnarum inferni, modo supra de tribulationibus in communi assignato; imò certo sibi persuadeat, hoc esse purgatorium suum; meminerit proinde ægri illius, qui, cum ab initio imprudentet elegisset, triduum magis in purgatorio, quam triennium in lecto inter dolores graves conlumere, postea facti pœnitens dixit, malle se 300. annis dolores morbi, quam uno quadrante Purgatorij pœnas sustinere. Spec. Exempl. V. Infirmi. ex. 7.

III. Ostendat illi, lectum, in quo jacet, locum certaminis & scholam virtutum esse, omnibus proin viribus conandum, ut tam insignem laudis & præmij amplissimi obtinendi occasionem è manibus labi non sinat.

IV. Ostendat illi, quam brevis sit hic dolor cum æternitate comparatus; sicut ergo S. Athanasius in tribulationibus dicere solebat: *Secedamus paululum, quia nebula aut pluvia brevis (ein Übergänge) imminet, ita eodem modo ægrum sese jubeat solari,*

V. Exem-

V. Exempla Sanctorum afferat v. g. in antiquo Testamento S. Tobia, S. Jobi. In novo Testamento S. Clara, quae Suario teste, 28. annos gravissimis morbis excruciatu est; S. Lydwina, quae 38. annis extraordinarios dolores perpessa est, & 30. annis lecto ita affixa fuit, ut nec tangere terram pedes potuerit: uti idem Surius testatur. Beniamini, qui alios oleo & precibus curabat; non autem seipsum ab hydrope, sed solum dicebat: Orate DEUM pro anima, de corpore nihil solliciti, quando & illud sano mihi in re nulla unquam commo-
davit, uti in Eccl. hist. p. 2. l. 6. c. 2. narratur. Illius monachi, qui quæsitus cur fieret? respondit, biennium jam esse, ex quo DEUS nullum illi morbum immisisset, & ideo mundum, Diabolum & Carnem ipsi magis infestos esse, quos nunquam melius potuerit subjugare, quam quando corpus ægrum in lecto jacuisset. S. Francisci oculorum dolore cruciati, de quo supra mentio facta: S. Bonæ Virginis, cujus ubera vermes depascebantur, de qua etiam supra dictum; S. Petri, qui cum alios sanasset umbram suam, nolebat tamen Petroniam filiam sanare, nisi ad horam, ut ostenderet, posse se & illam sanare, si vellet, sed nolle facere, quia magis ipsi infirmitas expediret: S. Catharinæ Senensis spineam coronam eligentis præ aurea, & capiti imprimentis: Servuli, qui à primæ vilitate paralyticus nunquam sedere, nunquam ad latus declinare, nunquam manum ad os admoveere potuit, semper tamen in accessione dolorum DEO gratias agebat. Unde & in morte cantu Angelorum recreatus est.

VI. Ostendat illi, quam paratus sit Christus juvare eos, qui gravi morbo vexantur; ita, ut S. Paulus 2. Corint. 12. dixerit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Item, cum infirmor, tunc potens sum. Dicat ergo æger cum S. Augustino: *Domine, hæc ure, hæc secum, meum parcas in aeternum.*

M E M B R U M VII.

De tentatione ex metu Purgatorij orta.

I. Septima tentatio ex metu purgatorij oritur, contra quam sic muniat Infirmum Operarius, imprimis offerat illi, si potest, indulgentias, vel ostendat illi, quomodo ratione Congregationis, si cui nomen dedit, lucrari eas possit.

II. Pro

II. Promittat, se pro illo sedulo oraturum, sed & amicos idem facturos, curaturisque, ut plures pro ipso Missæ offerantur.

III. Declaret, quòd, si patienter & fortiter sustineat dolores suos, eosque DEO in satisfactionem offerat, purgatorij loco sint futuri; si enim S. Bernardus teste Cantiprat. l. 2. apud c. 5. p. 2. fratri cuidam laboranti dixit: Perge frater, quia nullum aliud post hanc vitam purgatorium habebis; quantò magis hoc patienti dici poterit? si Monachus ille, apud Cæsar. l. 12. c. 51. qui tantum recordatus est Passionis Dominicæ (quando crucem transibat) & rogabat per amaritudinem, quam Christus in morte sustinuit, ut sui quoque in agone recordetur, ab omni purgatorio liberatus est, quantò magis hanc gratiam sperare poterit, qui Christi SS. Passionem non verbo, sed opere; non recordando, sed imitando venerari conatus est? Martyres certè purgatorium non patiuntur; atqui teste S. Gregorio homil. 35. in Evangel. *sine ferro & sanguine martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus.* Hinc aliquando Christus S. Ludgardii apparuit, monuitque, ut cæcitatem suam patienter sustineat, sic enim liberam fore à purgatorio.

IV. Ostendat insuper, quòd, si iustissimo DEI judicio in purgatorium mittendus esset, spem tamen optimam concipere possit, se non diu ibi relinquendum, tum, quia ipse misericors erga animas purgatorij semper fuit, atque adeò parem juxta Servatoris promissum misericordiam est consecuturus; tum quia specialiter cultui Beatissimæ Virginis fuit addictus, quæ aliquando S. Brigittæ dixit: *Ego sum Mater DEI, & Mater omnium, qui sunt in purgatorio; quia omnes pœna, qua deventur purgandis pro peccatis eorum, per preces meas quâlibet horâ aliquo modo mitigantur, uti l. 4. Revel. c. 138. recitatur.*

MEMBRUM VIII.

De Tentatione ex pœnitentiæ agendæ desiderio orta.

Octava Tentatio est Desiderium vitæ protrahendæ ad seriam emendationem vitæ instituendam, meritâque agenda. Contra quam sic munitur ipsum Operarius. 1. Ostendat;

stendat, quàm incertum sit, num hoc facturus esset; quoties proponant homines emendationem, & tandem exequi omittant; & ideo fortè ipsum DEUM disponere, ut jam moriatur, ne deterior factus in periculum salutis se conjiciat.

II. Ostendat, meliorem esse obedientiam, quàm victimanam, adeoque gratius fore DEO, si voluntati illius se resignet, quàm si vivus juxta voluntatem propriam relinqueretur, & sanctissimè viveret.

III. Declaret illi, quantùm mereri possit, si propter DEI amorem libenter carere velit merito, quod per longiorem vitam obtinere posset; si enim, qui terrena bona relinquit propter DEVM, centuplum accepturus, & vitam æternam possessurus est, quid sperare poterit, qui propter eundem DEVM æterna & supernaturalia bona dimittit?

IV. Ostendat etiam, quantùm conducatur ad satisfactionem, si patienter mortem excipiat: si enim satisfacere DEO plenissimè nonnulli censentur, qui temporalia bona sibi eripi patiuntur, aut ipsi pauperibus tribuunt, ut adeò etiam Daniel suaserit Nabuchodonosori, ut peccata sua elemosinis redimeret, quantò magis satisfaciet, qui vitam ipsam omnium rerum charissimam, & gloriam, quam per vitam longiorem sibi præparare potuisset, eo sine libenter dimittit, ut tam graviter à se offenso DEO quàm plenissimè satisfaciat?

V. Declaret illi, voluntatem DEI tanti esse faciendam, ut si omnia Sanctorum merita solus possidere posset, tamen voluntatem DEI præferre deberet, utpote, quâ ipsi etiam Beati plus, quàm suâ felicitate delectantur; quantò magis ergo longè minora illa commoda, quæ per vitam sperare longiorem posset, DEI beneplacito postponenda, & contemnenda erunt? maximè cum commoda, quæ propter DEI amorem & beneplacitum negliguntur, per idem Dei beneplacitum abundantius recuperentur.

§. XII.

An permittendum sit Infirmis, ut alios alloquantur, & exhortentur ante mortem.

I. Cùm experientia crebra ostendat, illa dicta, quæ à moribundis proferuntur, multò altiùs plerumque penetrare, ideo non oberit interdum (si circumstantia Personarum

rum non obftet,) si moribundus brevem exhortatiunculam ad adstantes habeat, vel si ipse id non possit, Operarius quasi vices ipsius suppleat, & alloquatur. Possunt autem triplicis generis Personæ distingui, ad quas talis sermo institui queat, videlicet Conjuges, Liberi, Amici vel Consanguinei, de quibus breviter ostendendum est, quomodo eos alloqui possit Infirmus, vel Operarius.

M E M B R U M I.

Quomodo Maritus Conjugem alloqui possit.

I. **H**Æc allocutio tunc tantum permittenda est, quando Uxor creditur non immodicè ejulatura, & moribundi dolorem auctura; quod idem etiam de Liberorum adhortatione dicendum est. Sic ergo Maritus Uxorem alloqui possit.

II. Perdilecta uxor, adesse videtur tempus, quo, sicut olim juxta voluntatem DEI conjuncti sumus, ita juxta eandem quoque ab invicem iterum separemur. Quapropter extremum te nunc allocuturus, gratias imprimis tibi ago pro fidelissimis obsequiis, quæ mihi, totique Familiæ, quamdiu conjuncti fuimus, præstitisti. Veniam quoque peto omnium molestiarum & offensarum, quibus unquam te dilectissimam consortem offendi: sicut & ego ignosco tibi ex corde, quidquid ulla in re peccasse in me videbaris.

III. De reliquo, sicut Christus in cruce S. Joannem suæ dilectissimæ Matri commendavit, ita & ego tibi, quam possum, vehementissimè commendo Liberos nostros, hortorque, ut illos in timore DEI, pietate, aliisque virtutibus Christianis sic instituas, ut aliquando in cælis eos nobiscum videre, gaudiumque ex illis perpetuum haurire possimus.

IV. Commendo tibi etiam meipsum, corpusque & animam meam, petoque, ut corpus quidem more Christiano, sed absque singulari pompa terræ mandari cures, animæ vero meæ potiore curam suscipias, atque adeò tum per preces proprias, tum per alienas, aliisque pia opera, præcipuè vero sancta Missæ sacrificia eidem fideliter succurras. Hoc enim est ultimum obsequium, quod à te tantò impensius peto, quanto sincerius me à te in vita amatum fuisse memini.

V. Vale

V. Vale ergo Uxor dilectissima, & sic vive, ut cum gaudio iterum in cælis mutuò videamus. Noli tristari immòdè propter obitum meum, sed memento, te mortalem Maritum duxisse, atque adeò ægrè ferre non debere, si mortis debitum persolvat. Dominus me tibi dedit, Dominus nunc iterum me aufert. Sicut ipsi placuerit, sic fiat. Sit nomen ejus benedictum. Ille te & Liberos nostros benedicat, custodiat, & ad vitam perducatur æternam. Amen.

M E M B R U M I I.

Quomodo Parens Liberos alloqui possit.

I. **P**erdilecti Liberi, appropinquat tempus, quo discedere à vobis, alterique vos Patri relinquere debebo. Audite proin ultima Patris vestri verba, & cordi vestro profundè inscribite, ut suo tempore optatum ex illis fructum referatis.

II. Inprimis ergo, quantum pro paterna mea apud vos autoritate ac dilectione valeo, adhortor vos, ut Dominum DEVM ex toto corde timeatis, & ametis, certòque vobis persuadeatis, hanc optimam esse hæreditatem, quam vobis relinquere possum; hanc quippe si possideatis, nihil deerit vobis, ut ipse DEVS non semel promisit.

III. Secundò vos hortor, ut singularem quoque cultum & amorem Sanctissimæ Christi, imò & vestræ cœlesti Matri semper exhibeatis, & ad eandem in omnibus vestris necessitatibus recurratis, cum firma spe, quòd, sicut per eam mundus totus salutem invenit, ita vos quoque per ejusdem maternum amorem & sollicitudinem ad optatum felicitatis portum sitis perducendi.

IV. Tertiò adhortor vos, ut pariter omnem amorem, reverentiam, & obedientiam secundæ vestræ Matri Spiritualis, nempe Ecclesiæ Catholicæ exhibeatis, ideòque veram & vivificam fidem, in qua hæctenus à me educati & instructi tam sollicitè fuistis, totis viribus propugnetis, & conservetis; omnibus quoque Ecclesiæ Ministris debitam reverentiam & obedientiam præstetis, & institutas ab eadem cæremonias, & præcipuè sanctissima Sacramenta cum summa veneratione recipiatis, & frequenter ac devotè usurpetis.

V. Quartò adhortor vos, ut etiam carnalis vestræ Matri beneficia grato animo agnoscatis, ideòque filialem amorem & obe-

& obedientiam constanter illi exhibeatis, firmiter credentes, quod per hoc & DEO & mihi singularem delectationem creaturi, vobis autem vitæ prolongationem, & copiosam benedictionem sitis obtenturi.

VI. Quintò adhortor vos, & quidem, ut hanc doctrinam tantò studiosius observetis, ipsius Christi verbis, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos; nam sic DEVS inter vos habitabit, & vos ac bona vestra contra omnes hostium insidias potenter defendet.

VII. Sextò adhortor vos, ut etiam cum aliis hominibus pacem & concordiam semper servare studeatis, accepta beneficia grato animo agnoscatis, & compensetis, illatas injurias Christiana charitate ac patientia supportetis, & quidquid vultis, ut faciant, vel non faciant vobis homines, id ipsum etiam vos vel faciatis, vel caveatis.

VIII. Septimò misericordiam quoque erga Defunctos & Viventes specialiter vobis commendo, certòq; vobis persuadeatis, opto, quòd, quantò vos liberaliores erga DEVM in Pauperibus exhibebitis, tantò liberaliorem quoque ipsum erga vos sitis experturi.

IX. Octavò singulariter quoque vos adhortor, ut propriæ vestræ salutis speciali studio invigiletis, ideòque omnia media ad eandem assecurandam necessaria sedulò adhibeatis, hunc namque ob finem à DEO creati, & à me procreati estis. Si ergo DEVM & me diligitis, desiderium meum implete, & sic vitam vestram instituite, ut hinc quidem laudabilem mei in vobis memoriam conservare, & in altera vita vos iterum cum gaudio excipere, & per vestram gloriam meam quoque felicitatis non leve augmentum obtinere valeam.

X. Accedite ergo, o dilecti Liberi, & postremum à Patre vestro osculum accipite, quo testemur, quantopere habemus invicem dileximus, & per totam olim æternitatem sumus dilecturi. Ego quidem, quemadmodum hæc monita paterna singulari vobis affectu tradidi, ita confido, quòd filii quoque amore & obedientia excepturi, operèque completuri sitis. Nihil proinde aliud superest, quàm ut paternam opto valedictione benedictionem vobis impertiar, Deamque suppliciter rogem, & obtester, ut in suam vos custodiam paternè suscipiat, abundantemque gratiam concedat, quâ san-

gratissimam ejus voluntatem sollicitè indagare, atque perfectè implere studeatis, sicque digni efficiamini promissam mecum in cælis hæreditatem accipere, quam vobis & mihi clementer concedere dignetur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

M E M B R U M I I I.

Quomodo Infirmus alios Homines adstantes alloqui possit.

I. **P**erdilecti Amici & Fratres in Christo, cum jamjam ingrediar viam, per quam omnes ad alteram vitam transire oportet, neque sciam, quâ horâ Dominus noster venturus, meque à gratissima vestra Societate abstracturus sit, liceat mihi cum vestra venia ante abitum meum, animi mei vobis sensa, desideriaque explicare.

II. Inprimis ergo confiteor, me, dum jamjam supremo judicio me sistendum credidi, ideoque vitam & opera mea accuratius examinavi, in ijs omnibus nihil reperisse, nisi vanitatem & afflictionem animi, solis illis operibus exceptis, quæ ad debitum DEO amorem, servitiûmque præstandum direxi. Omnes proinde adhortor, ut commodis ac salutem vestram melius prospiciatis, & totos vos divino cultui, servitiôque divino consecretis, ne serò olim errorem vestrum agnoscere, & sine spe correctionis deplorare cogamini.

III. Secundò confiteor, me in omnibus meis adversitatibus, & præcipuè in hac ultima mea necessitate nullum melius solatium, ac robur animi invenisse, quàm spem atque fiduciam, quam in meritis acerbissimæ Passionis & Mortis JESU Christi Domini mei collocavi, & patientiam, per quam me ipsi conformare studui. Quapropter & vos adhortor, ut similem fiduciam in his sanctissimis & infinitis meritis collocetis, & quidquid DEVS pro vestra salute permiserit, cum magna patientia, gaudiôque accipiat, ut in altera vita tantò copiosius gaudium percipere possitis.

IV. Tertiò confiteor potissimam spem & securitatem meæ salutis in præsentem statu mihi oriri per exiguam quidem, sed constantem devotionem, quam erga SS. DEI Matrem, S. Angelum Custodem, & reliquos Patronos hætenus ostendis, per quorum proinde auxilium & intercessionem, sicut ego

modò veniam meorum peccatorum, defensionem contra hostes, & felicem ex hac vita transitum me impetraturum confido, ita vos quoque adhortor, ut in cultu horum Patronorum constanter pergatis, & per hoc tam efficax medium salutem vestram affecurare studeatis.

V. Quartò confiteor, quòd hoc tempore nullius rei magis me pœniteat, quàm peccatorum commissorum, & temporis tam malè impensì. Atque utinam mihi hoc tempus redimere liceret, ò quàm multò fructuosius illud impendere, singulàque momenta observare vellem! Vos ergo, Dilecti, damno meo respicite, & concessum vobis tam pretiosum & acceptabile tempus fructuosius impendere studete.

VI. Non minùs quintò confiteor, me tam à vobis, quàm ab aliis absentibus Amicis innumera beneficia accepisse, sed proh dolor parùm agnovisse, aut compensasse, omnes proinde, quos unquam offendi, demissè, ut ignoscant, rogo, simulque gratias amplissimas pro acceptis beneficiis persolvo, pollicorque, me in altera saltem vita DEVM pro ijs deprecaturum, ut tantam illis charitatem ac beneficentiam millecuplo fœnore compensare dignetur.

VII. Etsi verò ob hanc meam ingratitude indignum me agnoscam ulteriori vestro beneficio, confidens tamen Christianæ vestræ dilectioni, & misericordiæ, etiam atque etiam rogo, ut tria mea desideria & petitiones implere dignemini. Primò, ut, quoniam ego solus sufficiens non sum ad debitas DEO pro acceptis beneficiis gratias persolvendas, vos in hoc debito solvendo adjuvare, atque adeò meo quoque nomine copiosè pro tantis favoribus DEVM benedicere & laudare studeatis. Secundò, ut eà sollicitudine ac charitate ultimam meam voluntatem impleatis, & meos relictos Liberos, aliòsque Consanguineos foveatis, quò desideratis vestram eam in simili casu voluntatem impleri, & Consanguineos curari. Tertiò, ut tam in residuo vitæ meæ brevi tempore, quàm post mortem meam fideles vos Amicos ostendatis, & tam devotis precibus, tum alijs pijs operibus ita mihi succurratis, ut & vitam meam feliciter claudere, & sine diuturno purgatorio celeritèr ad optatam beatitudinem pervenire valeam; ubi & ego vestræ charitatis diligenter memorem me

T. 2. sup. ... futu-

futurum, precibusque meis, quantum potero, compensarum promitto.

VIII. Valet, Amici dilectissimi, & ita vivite, ut aliquando in æternum vivere valeatis. Ita voveo ex animo, Deumque suppliciter obtestor, ut hoc meum votum ad suam majorem gloriam, meumque ac vestrum solatium, ac salutem copiosè implere dignetur. Per Christum Dominum nostrum, cui cum Patre & Spiritu sancto sit sempiternus honor & gloria. Amen.

§. XIII.

Quibus medijs uti debeat Operarius ad moribundum animandum, & ad mortem ritè disponendum.

Cum ad finem vitæ propius accedere videretur æger, ante præparationem ad mortem impedire possunt, quales sunt plerumque Liberi, Coniunx, & similes, qui humanos potius affectus, quàm spirituales excitant. Postea verò ipse Operarius totis viribus se convertat ad animandum, prætegendum, ac adjuvandum moribundum, ut piè & christianè decedat, quem in finem Indulgentias, Aquam benedictam, Cereum sacrum, Crucifixi effigiem, sanctissima nomina JESUS & MARIA, & pias denique aspirationes potissimum adhibebit, de quorum singulis quid observandum sit, sequentia membra docebunt.

M E M B R U M I.

Quid circa Indulgentias moribundorum sit observandum.

I. Non est hîc animus de pluribus indulgentiis, quas ægri obtinere possunt, fusius differere, sed de ijs duntaxat, quæ propriæ sunt moribundis, de quibus tria præcipue observanda sunt ab Operario.

II. Primum est, ut sciat, quinam Indulgentias moribundorum lucrari possint. Pro quo intelligendo sciendum est, duplicis generis indulgentias moribundis solere concedi, alias, quæ ab alio applicari debent; alias, quæ nulla alterius applicatione indigent, quales esse concessæ censentur, si in

bulle non requiritur expressè applicatio ab alio facienda; & has posteriores Indulgentias lucrari possunt omnes, qui habent Indulgentias Quinque Sanctorum, S. Caroli Borromæi, Urbani Octavi, item Congregationis S. Rosarij, S. Francisci, S. Augustini, Annuntiæ Virginis, imò pleræque aliæ Congregationes secundum modernum stylum; item, qui in templis Societatis JESU Sacramenta frequentare, aut in vita SS. JESU nomen devotè pronunciare consueverunt, qui omnes hactenus recensiti possunt in articulo mortis plenarias Indulgentias obtinere, si per se aut alium ter pectus percutiant, aut SS. nomen JESU ore, vel, si hoc non possunt, mente pronuntient. Unde patet, vix ullum esse moribundum, qui hujusmodi Indulgentias non habeat.

III. Secundum est, ut, si quidem contingeret, ut moribundus nullum haberet titulum ejusmodi Indulgentias lucrandi, Operarius semper habeat Numisma quodpiam aut imaginem, aliùmve titulum, ratione cujus dictas Indulgentias applicare possit; quod ut legitimè faciat, sequentes Doctorum sententias nôsse debet. 1. Ejusmodi Indulgentias non perinde ac priores, quæ nulla applicatione indigent, vero mortis articulo (id est illi, quem revera mors sequitur) reservari, sed toties applicari posse, quoties novum mortis periculum adesse prudenter præsumitur. 2. Nullam pro hac applicatione certam verborum formulam requiri, sed sufficere voluntatem applicandi, uti Reginaldus ex communi apud P. Gobat p. 2. thes. c. 34. n. 623. docet. 3. Non esse necesse, ut Infirmus petierit hanc applicationem per Confessionem faciendam, uti Dian. p. 5. tr. 3. ref. 134. cum alijs sentit. 4. Non tantùm præsentem, sed etiam absentem applicari posse, uti idem Diana cum Trullench. ibid. docet. 5. Probabile esse, quòd in defectu Clerici etiam à Laicis applicari possint, uti idem Dian. l. c. cum pluribus iterum tradit, licet consultius sit, tutiusque, ut à Clericis, si fieri possit, applicentur. 6. Posse has Indulgentias etiam per alienum numisma aut metallum applicari, nisi speciatim id prohibeatur in bulle, uti P. Gobat p. 2. c. 34. n. 623. docet. 7. Consultum tamen esse, ut, si æger habeat duplicem titulum, ratione cujus possit binas Indulgentias in eo articulo lucrari, unam appli-

cer, aut applicari petat pro vero articulo, alteram pro præsumpto duntaxat. Ita idem l. c.

IV. Tertium est, ut sciat, quomodo practicè disponere debeat Infirmum ad Indulgentias obtinendas, nempe ut, cum sine remissione culpæ nulla sperari remissio pœna queat, ante omnia ægrum prius ad contritionem de peccatis eliciendam excitet, ac, quia plerumque ejusmodi Indulgentiæ per pronunciationem SS. nominum JESU & MARIÆ obtineri debent, ad devotam horum nominum prolationem suaviter impellat; imò & ad actnalem intentionem easdem lucrandi, eò quòd, licet virtualis vel interpretativa, vel habitualis juxta aliquos sufficiat, contraria tamen sententia actnalem intentionem requirens, multò tutior sit, atq; adeò in materia Indulgentiarum, in qua tutiorem partem plerumque sequendam esse contendunt Authores, merito præferatur.

M E M B R U M I I.

De Aqua benedicta.

I. **Q**UANTAS vires habeat Aqua benedicta ad Hostes tartareos pellendos, tum ex frequentibus historijs (illà maximè, quæ, teste Menzio l. 2. c. 10. §. 5. de arte compat. Neapoli contigisse fertur, dum Dæmon sub specie canis conspectus est, & dum locus ille aquâ lustrali conspersus est, ab uno loco ad alium confugit) tum ex ipsis Ecclesiæ precibus colligitur, quas in benedictione hujus Aquæ adhibere solet, dum ait: *Exorcizo te creatura aqua in nomine DEI Patris Omnipotentis, & in nomine IESU Christi Filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus Sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem Inimici, & ipsum Inimicum exorcizare & explantare valeas cum Angelis suis Apostaticis.* Et paulò post iterum rogat, ut aquam istam dignanter aspiciat, benignus illustret, & pietatis rore sanctificet, ut, ubicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti Nominis ejus omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terròrque venenosus ferpentis procul pellatur.

II. Quare sedulo curabit Operarius, ut semper ad lectum moribundi talis aqua benedicta adsit, eaque tum æget ipse,

ipse, tum lectus in variis partibus affiduo aspergatur, dicaturque: *Dominus te per virtutem huius aqua, & à cunctis tuis peccatis munda, & abluat, & contra omnes maligni hostis insidias potentiter defendat.*

MEMBRUM III.

De Cereo benedicto.

Triplex potissimum finis est, ob quem cereus iste moribundis offertur. Primus est, ut per illum in manibus portatum testentur, se in vera Catholica fide mori velle, quem finem P. Gonzalez Medeiros Societatis nostrae Presbyter indicavit, dum morti proximus cereum accendi iussit, & post fidei Symbolum recitatum dixit: *In hac fide institutus sum: in hac vixi: in hac moriar.* Et ut lumen hoc oculos illuminat corporis, sic ego credo in Domino JESU illuminari omnem hominem venientem in hunc mundum. Secundus est, ut per hunc cereum ostendant, se in Christo, qui est vera lux illuminans omnem hominem, omnem spem suam ponere, atque adeo per ipsum ad aeternam lucem perventuros, uti ipsemet promisit Jo. 8. dicens: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Tertius, ut testentur se paratos esse velut fideles DEI servos, Domini sui adventum praestolari; aut ad exemplum prudentum Virginum lampades oleo charitatis, & fidei luce instructas habere.

II. Unde triplex quoque officium circa hunc cereum ab Operario praestandum est moribundis. Primum est, ut usum & utilitatem hujus cerei ante, quam eo utantur, per occasionem illis ostendat. 2. Ut non exspectet horam ultimam, sed, quamprimum periculum propinquum mortis imminere advertit, eundem aegris porrigat, aut porrigi jubeat. 3. Ut, dum eundem Infirmis porrigit, etiam affectus convenientes suggerat, quales sunt v. g. *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Lumen ad revelationem Gentium &c.* Item: *Illumina, Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Aut: Vade Sathana: Abrenuncio tibi, & adhæreo Domino meo*

no meo JESU Christo. In hunc credo, in hunc spero, hunc diligo ex toto corde meo. Sed & ipsum moribundum alloqui poterit Operarius, & dicere: Age, mi Fili, imminet hora, quâ venturus creditur Dominus & Judex tuus, sint ergo lumbi tui per charitatem accincti, & lucerna Fidei ardens in manibus tuis. Aut: Ecce, Fili mi, Sponsus venit, exito ergo obviam illi, & accipe lampadem charitatis, & fidei, ut cum eo ad nuptias cœlestes admittaris.

MEMBRUM IV.

De Christi crucifixi imagine.

I. **Q**uam potens & efficax medium ad Infirmos animandos & roborandos sit hæc, de qua nunc loqui cœpi-mus, crucifixi Christi representatio, paucis hæc verbis fac-clare indicavit Philippus Servius in p. 1. c. 4. §. 4. Amici fi-delis: Momenti plurimum, inquit, ad exprimendos ab æ-gro fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum actus, in sa-lutiferæ crucis exhibitione situm esse existimo, si nempe Ami-cus fidelis Christi in ea pendentis membra sigillatim quasi lo-cos Rhetoricos excutiat, quique lateant in singulis pietatis sensus, quasi divini mellis latices, composita ad pietatem oratione eliciat; ita olim Hebræi sugebant mel de Petra, oleum de saxo durissimo, Petra autem erat Christus.

II. Porro triplex præcipue hujus representationis finis & fructus est, ad quem proinde obtinendum specialiter coop-erari debet Operarius. Primus est, ut per hanc Christi cruci-fixi effigiem velut potentissimum, ipsisque hostibus summe formidabile telum iidem hostes efficaciter arceantur. Unde has aut similes aspirationes Infirmis suggerere ad hunc finem oportet: Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda. Per virtutem Crucis de ini-micis nostris libera nos, Domine JESU Christe. Do-minus JESUS est illuminatio mea, & salus mea: quæ timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepi-dabo? si consistant adversum me castra, non time-bit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Si Dominus JESUS pro me, quis contra me?

III. Al-

III. Alter finis & fructus est, ut per representationem Christi crucifixi ad patientiam animentur Infirmi. Quem in finem similes affectus ipsis suggerere oportet: O JESU, nolo esse sine dolore, quando te video tantopere cruciatum. O JESU mi, non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum. O JESU, ego quidem justè hæc patior, tu verò quid fecisti? Absit mihi gloriari, nisi in cruce tua, Domine mi JESU Christe. Trahe me, O JESU, post te, ut curram in odorem patientiæ tuæ. Dominus meus in cruce pender, & ego de duritie lecti querar? Dominus meus felle & aceto potatus est, & ego calicem amarū morbi recusabo? O JESU Redemptor mi, Redemptor mi JESU, quis mihi det, ut moriar pro te?

IV. Tertius finis & fructus est, ut ad fiduciam erga Christum concipiendam exhortetur; quem in finem proderit eos verbis S. Augustini in lib. de Virg. alloqui: *Inspice vulnera pendens, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgens. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hac quanta sint, cogita: hæc in statera cordis appende, ut totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in cruce.* Præterea verò hi vel similes affectus & suspiria elici possunt.

Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem & sanguinem tuum redemisti mundum.

Domine JESU, pone passionem & mortem tuam inter judicium tuum & animam meam nunc & in hora mortis meæ.

Recordare JESU pie, quòd sum causa tuæ, ne me perdas ille die.

O piissime JESU, propter illam amaritudinem, quam sensit anima tua in egressu suo, deprecor te, miserere animæ meæ in exitu suo, & perduc eam in vitam æternam,

T S

O JE-

O JESU Christe, DEUS cordis mei, obsecro te per quinque vulnera tua, quæ tibi in cruce nostri amor infixit, famulo tuo subveni, quem pretioso corpore redemisti.

O benignissime JESU, commendo tibi vitam & mortem meam, sicut tu Patri æterno Spiritum tuum commendasti.

O clementissime JESU, per dolores, per vulnera, per sanguinem, per mortem tuam rogo te, memento, & miserere mei, nunc & in horâ mortis meæ.

M E M B R U M I V.

De SS. Nominibus JESUS & MARIA.

I. **E** Tiam hæc duo Sanctissima Nomina meritò inter præcipua media & instrumenta numerantur, quibus ægri & moribundi animari, & contra hostes infernales defendi possunt. Certè S. Antonius, teste S. Athanasio in illius vita, dicere solebat, quòd statim, atque Christiani nominant JESUM, maligni Spiritus fugiant. Imò Origenes ait, etsi à sacrilegis pronuncietur, mox tamen Spiritus suggestores fugare. Ut meritò Salomon Prov. 18. dixerit: *Turris fortissima nomen Domini; ad ipsam currit iustus, & iniustus.* & Joël Prophetæ c. 2, pronunciarit: *Et erit: omnis, qui invocaverit nomen Domini, Salvus erit.* Hinc & S. Bernardus S. 15, in Cant. hortatur: *Tristatur aliquis vestrum? veniat in cor IESVS, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum amne diffugit, redit serenum.*

II. Sed & de SS. MARIÆ nomine idem testatus est Idiota to. 3. Bibl. SS. PP. c. 5. his verbis: *Non est in ullo alio nomine, post nomen superbenedicti Filii tui tam potens adiutorium; nec est ullum aliud datum nomen sub cælo hominibus post dulce nomen IESV, ex quo tanta salus hominibus refundatur, quia super omnia sanctorum nomina reficit lapsos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, & iugum Diaboli extundit.* Sed & S. Bernardus teste S. Bonaventura in spec. ait: *Non sis timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aërea potestates MARIÆ*

vocabulum, patrocinium, exemplum. Fluunt, & pereunt, sicut
cera à facie ignis, ubicunque inveniunt huius nominis recorda-
tionem, devoram invocationem, sollicitam imitationem. Hinc
merito alibi hortatur: In periculis, in angustiis, in rebus du-
bii *MARIAM* cogita, *MARIAM* invoca; non recedat ab ore,
non recedat à corde.

III. Quare circa ipsam praxin & pronunciationem horum
SS. Nominum tria potissimum persuadere conabitur Infirmis.
1. Ut, ubi tristitia vel tentatio in ultimo articulo molesta
fuerit, eandem præcipuè horum nominum pronunciatione &
invocatione pellere, aut mitigare conentur. 2. Ut etiam,
cum tranquillus est animus, assiduò repetant hæc SS. nomina,
jungantque præcipuos virtutum Theologicarum actus, v. g.
dicendo: *O JESU & MARIA*, amores mei, in vos
credo, in vos spero, vos diligo super omnia.

O JESU & MARIA estote mecum in via.

O JESU, propter nomen sanctum tuum esto mihi
JESUS, & salva me.

O MARIA propter nomen sanctum tuum, esto
mihi stella maris, & ad portum salutis dirige me.

3. Præcipuè hortetur, ut, ubi vires deficere adverterint, fi-
nemque vitæ imminere, hæc SS. nomina, tum pro indulgen-
tiis lucrandis, tum pro solatio, mente saltem, si ore non pos-
sunt, proferant, ideòque prius hanc gratiam sæpe cum S. Ger-
mano Archiepiscopo Constantinopolitano petant, qui sic ora-
bat: *Domine IESU, idem tuum IESU & tua Matris MARIE*
nomen sit ultimus lingua loquentis motus, ut illud veluti oliva
ramum in ore ferens avolem, & requiescam, quemadmodum
columba in salutari arca Paradisi. Illuc enim etiam atque
etiam redire desidero. Sic sanè hanc gratiam obtinuit P. Theo-
doricus Canisius, qui, sicut ultimo vitæ septennio apoplexiâ
tactus, nihil aliud nisi hæc sacratissima duo nomina proferre
potuit, ita etiam in morte proferre conatus est, & dum primo
nomine prolato alterum dicere parat, dictâ syllabâ

Ma animam efflavit.

* * *

MEM-

MEMBRUM V.

De piis aspirationibus moribundo suggerendis.

I. **C**um nihil magis deceat moribundum, quam ut inter opios affectus & suspiria vitam suam finiat, & dum his occupatur, malignis hostium infernalium suggestionibus aditum ocludat, vel maximè laborare debet Operarius, ut hac in parte non desit moribundo, sed, cum ipse plerumque sufficiens non sit ad affectus ejusmodi concipiendos, ab Operario velut Custode suo terrestri inspiratos accipiat.

II. Porro ut fructuosè Officium hoc præstet Operarius, duo specialiter observare debet. Primū est, ut quemadmodū Scivius p. i. c. 5. rectè monet, paucis, tractim, articulatè, & interruptè eas pronunciet, quò iis perpendendis otium aliquod, aut respirandi certè tempus concedatur. Unde sedulò cavenda est illorū indiscretio, qui miseros agonizantes longis ac molestis exhortationibus ac clamoribus excruciant potius, quam solantur. Quod maximè circa spirituales, & in similibus affectibus magis exercitatas Personas observandum est, utpote quæ ipsæmet suas partes agere nōrunt. Et hanc fortè ob causam voluit Christus tempore mortis suæ tenebras cœlo suboriri, ut tantò quietius sibi soli relictus moreretur, quemadmodum Ludovicus de Ponte notat. Alterum est, ut ejusmodi affectus non temerè ex memoria sua aut libro accipiat, sed prius bene selectos, & ad præsentem moribundi statum bene accommodatos habeat; quem in finem ex ipso moribundo, eum adhuc paulò validior est, inquirere interdum proderit, quibus affectibus aut precibus potissimùm uti consueverit, aut quos sibi in agone inspirari desideret. Omnes autè eò potissimùm tendere debent, ut & gratias agat pro acceptis per totam vitam beneficiis; & veniam culpæ deprecetur; & actus virtutum Theologicarum eliciat; & denique Christi & sanctorum auxilium imploret, iisque supremum suum agonem ac spiritum commendat, id quod persequentes aspirationes fieri potest, quæ singulari studio ita collectæ ac dispositæ sunt, ut & si, uni affectui diutius insistere voluerit; & si varios suggerere placuerit, exemplar habeat.

Affectus

Affectus Gratitude.

Benedicta sit Sancta Trinitas, & indivisa unitas: confitebor ei, quia fecit mecum misericordiam suam.

Benedictus Pater, quia ex infinita sua misericordia creavit me, conservavit me, & ad vitam æternam prædestinavit me.

Benedictus sit Filius, quia ex infinita sua misericordia redemit me, SS. corpore & sanguine suo pavit me, & ad S. Ecclesiam suam (& Religionem, si Religiosus est) vocavit me,

Benedictus sit Spiritus Sanctus, quia ex infinita sua misericordia illuminavit me, justificavit me, & in Ecclesia (Religione) conservavit me.

Benedicta sit Sanctissima & admirabilis Mater DEI, quia ex ineffabili sua charitate in Filium suscepit, & tot beneficiis cumulavit me.

Benedictus sit S. Angelus Custos meus, qui ab ortu meo in Clientem suum suscepit, illuminavit, custodivit, & gubernavit me.

Benedicti sint omnes SS. Patroni mei, qui per totam vitam meam tam fideliter precibus, auxiliis, & beneficiis suis foverunt me.

Benedicti sint omnes sancti, qui tam constanter DEUM laudârunt, & orârunt pro me.

Affectus contritionis.

Domine, ne memineris iniquitatum mearum antiquarum, sed citò me anticipent misericordie tue.

Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit? quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te, Domine.

O JE-

O JESU Fili MARIE Virginis, plene misericordia & pietate, ô dulcis JESU secundum magnam misericordiam tuam miserere mei.

O MARIA Mater Fili DEI, advocata nostra, tu me, quæso, Filio reconcilia, tuo Filio me commenda, tuo Filio meam animam post mortem representa.

O omnes Sancti intercedite pro me, & veniam peccatorum à Clementissimo DEO meo mihi, omnibusque peccatoribus impetrate.

Affectus Desiderij.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. Ah educe de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo.

Desidero te millies, mi JESU, quando venies, me lætum quando facies, & totum tibi unies?

Eja Advocata nostra, misericordes tuos oculos ad me converte, & JESUM benedictum fructum ventis tui mihi post hoc exilium ostende.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Affectus mixti.

Scio, & credo, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Salvatorem meum.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor ei, salutare vultus mei, & DEUS meus.

Quid

Quid mihi est in cœlo? & à te, mi DEUS, quid volui super terram?

Quis me separabit à charitate Domini mei JESU Christi?

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris (& mortis) accipiam, & nomen Domini invocabo.

Delicta Juventutis, & ignorantias meas ne memineris, Domine.

Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

O Mater dilectissima, monstra te esse matrem, summat per te preces, qui pro nobis Natus tulit esse tuus.

O omnes Sancti Patroni intercedite, quæso, pro mea, omniumque salute.

Alij mixti.

Credo, Domine, quia tu es suprema veritas.

Spero, Domine, quia tu es suprema fidelitas.

Diligo te, Domine, quia es suprema bonitas.

Adoro te, Domine, quia es suprema majestas.

Benedico te, Domine, quia es suprema liberalitas.

Miserere mei, quia es suprema benignitas.

Resigno me tibi, quia es suprema æquitas.

Affectus invocationis.

Benedicat & custodiat nos Omnipotens DEUS, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

O JESU benignissime propter nomen sanctum tuum esto mihi JESUS, & salva me. O JESU, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua.

MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

O An-

O Angele mi Custos, defende me in prælio, ut non peream in tremendo iudicio.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, ô Amici & Patroni mei.

Alij affectus ejusdem invocationis.

Miserere mei DEUS secundùm magnam misericordiam tuam. Tibi namque soli peccavi, & malum coram te feci.

O benignissime JESU, miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore iudicandi.

Sub tuum præsidium confugio, sancta DEI Genitrix, meas deprecationes ne despicias in necessitatibus meis, sed à periculis cunctis libera me semper, ô virgo gloriosa & benedicta.

O Angele DEI, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hâc horâ illumina, custodi, rege, gubernâ.

O SS. Parroni mei, vigilate, orate, & pugnate pro me.

Alij ad omnes Sanctos.

O gloriosissima sanctorum omnium Regina, ah adjuva me, ut anima mea morte Justorum moriatur, & cum omnibus sanctis te in perpetuum laudet, & benedicat.

Omnes SS. Angeli, impetrate mihi, ut ad exemplum vestrum contra Luciferum & socios pugnem fortiter, & feliciter triumphem.

O omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ, impetrate mihi, ut vobiscum promissam beatitudinem firmiter sperem, & cum gaudio obtineam.

O omnes SS. Apostoli & Evangelistæ, impetrate mihi

mihî, ut fidem à vobis prædicatam ad finem usque
conseruem, & vobiscum DEUM à facie ad faciem
videre merear.

O omnes SS. Martyres, impetrate mihî, ut omnes
dolores & ipsam mortem vobiscum patienter susti-
neam, &, sicut socius Passionum extiti, ita & gloriæ
quoque socius esse merear.

O omnes SS. Confessores, impetrate mihî, ut vo-
biscum DEUM meum hîc dignè colere & amare, &
sibi æternùm frui possim.

O omnes SS. Virgines & Viduæ, impetrate mihî,
ut ad exemplum vestrum lampadem conscientia
meæ ritè aptare, & ad nuptias cœlestes intromitti
merear.

O omnes sancti & electi DEI, impetrate mihî, ut
vobiscum sanctè, feliciterque mori, & in æternum
vivere, Deumque laudare valeam.

Affectus Commendationis.

O SS. Patroni mei, commendate me, quæso, ama-
tissimæ matri ac Dominae meæ.

O Mater Christi amabilis, ostende, quæso, pro me
ubera tua dilecto Filio tuo.

O JESU, Fili DEI, & MARIAE Virginis, osten-
de, quæso, pro me vulnera tua dilectissimo Patri tuo.

O Pater clementissime, per vulnera dilecti Filij
tui, per ubera sanctissimæ Genitricis ejus, per omni-
um Patronorum meorum, & sanctorum merita, ro-
go te, propitius esto mihî maximo Peccatori.

Alij.

Subvenite sancti DEI, occurrite Angeli Domini,
suscipientes animam meam, & offerentes eam in
conspectu Altissimi.

Instruct. III.

V

O Ma-

O Mater mea dulcissima in tuum dulcissimum signum commendo spiritum meum.

O JESU mi piissime, in tua piissima vulnera commendo Spiritum meum.

O Pater sanctissime, in tuas sanctissimas manus commendo Spiritum meum.

JESUS, MARIA, ô amores mei, in vos credo, in vos spero, vos diligo, vobis corpus & animam, vitam & finem vitæ meæ commendo. JESUS MARIA,

§. XIV.

Quid agere debeat Operarius ad ægrum, qui mente parùm valet, vocatus.

I. **S**I vocetur Operarius ad talem ægrum, prima cura ipsius sit, omnem conatum adhibere, ut excitet ægrum; qui, si signum aliquod dederit, poterit dicere ad eum: Adverte, Praeter charissime, quòd mors tibi vicina admodum sit; oportet, ut excites te, & conscientiam expurges, agitur enim de æterna salute vel damnatione: visne confiteri peccata, & accipere reliqua Sacramenta, ut decet verum Christianum? si annuat, excludat Sacerdos circumstantes, & hortetur, ut quærenti sibi, si per linguam non possit, saltem per nutus respondeat. Id si fecerit, absolvat illum, & ulterius quærat, num aliquid habeat, quod restitui oporteat, & an velit per hæredes rem examinari, & solvi, quæ ipse debere cognoscetur. Si iterum annuat, vocentur hæredes, vel testes, & coram illis iterum quærat, num illis negotium hoc committat?

II. Si potest Sacramenta SS. Eucharistiæ, & extremæ Unctionis accipere, Operarius illa afferri curet, vel ipse afferat, conferatque. Si autem illud fumere non videretur posse, aut certè periculum vomitûs esset, jubeat saltem, ut adoret illud, & extremam Unctionem accipiat.

III. Si usu rationis penitus destitutus sit, quærat, an signum aliquod dederit contritionis, vel confessionem petierit; si dedit, absolvi potest, etiam si magnus antè peccator fuisset. Si nullum signum dedit, & spes sit ad se rediturum, expectet Operarius, aut, si abierit, moneat, ut revocetur, ubi æger

æger ad se redierit. Si neque spes sit rationis ab eo recuperanda, poterit illum absolvere sub conditione juxta sententiam probabilem, quæ docet, Christianos, qui prius bonæ vitæ fuisse comperti sunt, posse in agone absolvi, etiamsi nullum signum dederint, nisi tamen aliquo speciali præcepto praxis hujus sententiæ ipsi interdicta esset.

IV. Si jam confessus fuisset, qui sic dispositus invenitur, nec tamen sumplisset Sacramentum, petatur ab eo (si usum rationis sufficientem habet) an adhuc alicujus rei conscientia angatur: tum SS. Eucharistia ei conferatur, quæ ei dari potest, etiamsi non esset compos mentis, si absit periculum irreverentiæ, imò extrema etiam Unctio ei conferri potest, si prius eam vel in specie, vel in genere petierit.

V. Si nullum prorsus indicium rationis appareat, confugiat Operarius ad orationem, simulque etiam domesticos ad eandem pro ægro faciendam, uti & alia opera bona pro ipso offerenda hortetur.

§. XV.

Quid post mortem Infirmi facere debeat Operarius.

I. Postquam obierit Infirmus, mox in genua procidat Operarius, & sequentes ex Rituali Romano preces persolvat, & adstantes, ut itidem pro eo orent, hortetur.

Subvenite Sancti DEI, occurrite Angeli Domini, Suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. *Ps.* Suscipiat te Christus qui vocavit te, & in sinum Abrahamæ Angeli deducant te. *R.* Suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. *Ps.* Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conspectu Altissimi. *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ps.* Et ne nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos à malo. *Ps.* Requiem æternam dona ei Domine. *R.* Et lux perpetua luceat ei. *Ps.* A porta inferi. *R.* Erue Domine

animam ejus. *Ps.* Requiescat in pace. *R.* Amen,
Ps. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. *Ps.* Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo,

Oremus.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

II. Si domestici magnū ex morte amici mœrorē concipiant, soletur eos argumentis, quæ suprâ allata sunt, maximè verò ostendat, quam multa indicia æger amicus reliquerit, ob quæ meritò sperari possit, cum esse Sanctorum numero adscriptum. Præterea verò etiam ostendat, quàm parùm profittamenta, imò quantum nocent defuncto; quem in fine proderit narrare historiam de matre, quæ, cum filium suum mortuum sine cessatione deploraret, vidit juvenes aliquot cum ingenti gaudio ad cœlum tendentes, sed filium suum lento gradu subsequi, qui causam tarditatis roganti matri ostendit in toga magnum pondus aquarum, dixitque, has esse lacrymas matris, à quibus in itinere suo impediretur; ageret proin, & in Missa potiùs lacrymas funderet, aliâ que pia exercitia pro eo offerret; hæc enim meliùs sibi, quàm lacrymas, profutura.

III. Occasionem sumat astantibus revocandi in memoriam, vitæ brevitatem, vanitatem mundi, felicitatem benemorientium. Hortetur, ut ea media sedulò adhibeant, quibus beata mors obtinetur, qualia sunt frequens usus Sacramentorum, contritionis, memoria mortis, temporis cura diligens. Suadeat etiam, ut ita vitam instituunt, sicut in morte eam optarent instituisse.

IV. Ipse quoque Sacerdos memor sit defuncti, & præter preces S. Ecclesiæ, quas statim post mortem dicere convenit, alias pro eo orationes offerat, maximè autem in SS. Missæ Sacrificio illius memor sit. Tandem ubi digressus fuerit, examinet se, quomodo in hoc munere se gesserit, & ipse quoque

que se exciter ad religiosè vivendum, ut mortem vitæ simili-
lem consequi mereatur.

§. XVI.

Quomodo peste grassante Operarius
gerere se debeat.

Noverit obligatum se esse ex justitia, manere apud
suos Parochianos, nisi alium sibi substituatur; imò
etiam teneri, loca infecta adire ad Sacramenta administranda
in casibus, in quibus periculum animæ incurrunt Paro-
chiani curæ illius commissi, quales casus ferè sunt sequentes.
Primus, si infans natus esset, qui neminem haberet, à quo ba-
ptizari posset; si enim alius (etiam Laicus tantum) adesset,
non deberet se Sacerdos cum damno totius Communitatis in-
certum periculum conijcere, sed plurimum auxilio reservare.
Secundus est, si peste infectus ita rudis sit, ut meritò dubitari
possit, num contritionem de peccatis perfectam elicitorus sit,
tum enim tenetur ad confessionem ægri audiendam, nisi pro-
babile sit, illum (sive quia paulò antè, seu ante paucos dies
confessus est, sive quia aliàs timoratæ conscientia fuit) nulli
peccato mortali obnoxium esse. Potest tamen in tali casu, si
vel plures essent in eodem cubiculo, ut commodè unus sine al-
tero audiri non posset, vel certè periculum contagionis im-
mineret, ægrum absolvere, si unicum peccatum vel mortale,
vel veniale expressisset. Tertius est, si æger facultate lo-
quendi destitutus, & de quo dubium esse posset, num in statu
gratiæ sit, confiteri non posset, sed communicare tamen, tum
enim tenetur Sacerdos ei SS. Evcharistiam porrigere, tanquam
probabile medium gratiæ in tali casu obtinendæ, in qua ad-
ministratio non potest SS. Evcharistiam in mensa ponere,
ut ipse æger eam assumat, vel in orbe, aut patina illam offerre;
sed ordinario modo porrigere debet. Quartus est, si æger ra-
tione destitutus, & neque confessus, neque SS. Evcharistiã re-
fectus, probabiliter tamen in statu gratiæ esse crederetur, tum
enim juxta Tannerum, Filliutum, Granadum, Dianam, Præ-
positum teneretur etiam cum vitæ periculo Sacramentum
hoc illi administrare (licet Hurtado apud Dianam contrarium
sentiat) nisi ex morte sua certum & grave periculum toti
Communitati immineret, tunc enim privatim hujus ægri

commodum communi bono Communitatis postponendum esset.

II. Noverit, suas partes etiam esse pro concione Populum de sequentibus admonere. 1. Ut quilibet sibi persuadeat, se esse in manifesto periculo mortis, atque adeo per Sacramenta pie suscepta maturè sibi prospiciat. 2. Ut, cum pestis communiter à DEO propter peccata immittatur, quisque tum pro se, tum pro tota Communitate DEVM placare studeat, & convenientibus medijs justissimam hanc DEI iram avertere. 3. Ut ij, qui peste correpti sunt, intra domos suas sese contineant, ne alios etiam inficiant; sed & ij, qui sani sunt, non temerè cum infectis agant, & in periculum se conijciant. 4. Ut omnes, qui in templo consistunt, os non versus Sacerdotem, sed versus tabulam convertant, aut imaginem confessionali appensam; neque tunc alij pœnitentes propius accedant, ut liberiùs Sacerdos & Pœnitens cavere possint mutuam anhelitum & respirationem, neque ab astantibus audiantur. Quintò, ut, si vocaverint Sacerdotem ad ægrum, prius aperiant fenestras (nisi frigoris asperitas, aut nebulosus aër id impediatur) deinde igne ex odoriferis lignis, aut ramusculis excitato aërem prius purgent. Sextò, ut, si ex una parte nullius peccati gravioris sibi conscij sint; ex altera verò parte cogitare possint, Sacerdotem contagione corripicendum, si Sacramenta illis distribuat, sicque subsidium necessarium communitati subtrahendum, abstineant amore Proximi à petitione talium Sacramentorum, certòque sibi persuadeant, per hunc actum charitatis recuperaturos eos, quod ex Sacramentorum susceptione alioqui obtinissent. Septimò, ut, dum sani sunt, maturè se spiritualibus remedijs contra pestem muniant. Præ cæteris efficaciora videntur ista: dolor sincerus de peccatis, opera pœnitentiæ, certæ preces ad B. V. S. Sebastianum, S. Carolum Borromæum &c. maximè verò Litanie Lauretanæ, Rosarium, vel ipsa etiam salutatio Angelica recitata multis profuerunt ad pestem avertendam. Octavò juverit etiam ostendere, quam cautelam in cura ægrorum suscipienda adhibere, & quæ ordinariè media corporalia ab ipsiis etiam plebeis & pauperibus hominibus adhiberi possint.

III. Præter industrias spirituales supra recensitas, quibus utique Sacerdos se ante omnes alios munire debet, alia etiam

etiam media & industriæ sedulo ab ipso sunt adhibendæ, quæ
quidem à prudentibus viris sequentes plerumque censentur.
Prima est, ut summâ diligentia curet, ne unquam ad infectos
jejunos accedat; itaque convenit, ut maturè celebret, dein
jusculum, vel vinum medicatum sumat ex herba absynthij,
scordij, cardui Benedicti, dictamni Cretici, corticibus citri
exsiccati, radicibus pimpinellæ, ex quibus sacculus vino im-
positus conficitur. Secunda, ut infectos aditurus habeat ve-
stem attritam; laneæ enim novæ, vel villosæ pelles plus pe-
riculi habent; interiores magis convenit esse ex corio, quàm
laneas, omnes verò vestes postquam redierit, igne purgentur.
Tertia, ut manè aliquas partes corporis oleo scorpionum, vel
alio alexipharmaco illinat, v.g. circa cor sub axillis, retro au-
ticulas, ac denique ipsos pulsus. In ipso accessu ad ægrotum
extrema labia, nares, tempora balsamo vel aceto ad hunc
usum confecto inungi debent. Quarta est, ut, antequam ad
ægrum eat, manus & faciem aquâ lavet, cui permixtum
sit acetum vel vinum, in quo aliqua herbæ odoriferæ mace-
rata fuerint, quales sunt absynthium, salvia, rutha, melissa,
majoran, hyssopus, artemisia, spicanardus &c. eadem herbæ
si circa locum ægri sparsæ sint, & subinde moveantur, & con-
fricentur, mirè aërem infectum temperant. Idem præstat
acetum aspersum subinde lecto ægri. Quinta, ut, si infectus
adeò æger non sit, & regionis ac locorum consuetudo per-
mittat, ad januam domûs, vel aliquem locum parentiorem
cum deferri jubeat. Sexta. Curet, ut ante ingressum suum
æger in lecto ita componatur, ut comòdè confiteri possit. At-
tendat insuper, ne æger multùm se moveat in præsentia sua,
aut lectum aperiat. Non minùs ipse etiam Sacerdos ab omni
contactu ægri abstineat, ideòque nec manum salutandi gratiâ
porrigat, neque pulsus ægri exploret, neq; loca infecta & car-
bunculos cõrectet, nec etiam curiosè cupiat aspicere, ne fortè
inde horrorè concipiat. Septima. Sollicitè curandû est, ne
ægri anhelitum excipiat; ex hoc enim facillimè hauriri po-
test venenum. Itaque sequentes cautelas adhibeat. 1. Su-
pra ægrum se non inclinet; si proin lectus sit humilis, poterit
vel super ligneum scabellum sedere, vel flexis genibus audi-
re; sella autem ex panno villosa omnino non est admittenda,

propter pilos in ipsa inclusos. 2. Aures ei non admoveantur, sed potius ad vocem elatiorem ægrum hortetur. 3. Non ex adverso ægri, sed potius ad latus vel à tergo consistat. 4. Inter ipsum & confitentem non procul ab ore candela accensa intercedat. Probantur maximè illæ candelæ, quæ majorem ignem fovent; aliqui Medici ad hunc usum speciales confecerunt ex rebus odoriferis, quæ scilicet ignem foveant, & suffitum præstent. Apud ditiores proderit plures candelas circum lectum accensas habere. 5. Os & nares vel abluantur, vel sæpius tingantur strophio intincto in aceto Bezoartico, vel alio Alexipharmaco. Nona. Confessionem ita audiat, ut essentialiter quidem nihil intermittat, à supervacaneis tamen absteineat, ne longior mora sit necessaria. Quam ad rem juverit efficacia quædam diæta vel facta Sanctorum in promptu habere, quibus breviter & contritionem in ægris, & patientiam ad tolerandum malum possit excitare; quod si necessitas confessionis exigat longiorem moram, omnino juverit subinde aëris purioris recipiendi gratiâ fenestram vel alium patientiorem locum adire. Decima. Quam primùm aliqua pestilentiore aurâ se infatum senserit, statim sudorifero aliquo haustu, vel bolo, quales sunt ex Theriaca, ovo aureo, vel Bezoare sudorem eliciet; & cum sudore venenum propellat, quod etiam, cum nondum infectus est, quavis minimum hebdomade est faciendum. Undecima. Cum nonnunquam contingat, ut infecti etiam ad templum confessionis gratiâ penetrent, pro majori securitate semper studeat penes se habere amuleta, & aliis præservativis se munire; minimum verò tempora, os, nares inungat balsamo vel aceto, & perforatos nodulos penes se habeat, in quibus spongia aceto vel ex rutha vel oleo juniperi intincta sit, ut eorum odore spiritus subinde recreentur. Duodecima. Juverit, si Operarius animum prius corroboret, ne, si forsitan præter ipsius expectationem veniat infectus, subito & nimio terrore afficiatur, & periculum inde sibi creet. Ut verò tantò minus periculum moris timeat, sæpe ob oculos sibi ponat præstantiam hujus charitatis, quam ex eo satis colligere potest, quod talis mors ordinariè à Doctoribus Martyriò comparetur. Tertiadecima. Postquam infectum aliquem audivit, consultum videtur, aliud quasi agendo à Confessionali domum secedere.

& se ad ignem ramusculis juniperi excitatum purgare, faciem acetone aquâ mixto lavare, auram liberam captare; quâ re & sibi, & aliis consulat. Si necessitas non urgeat, expedit idem confessionale non reperere, donec populo dilapso sedes per ignem vel asperionem aut lotionem aquâ ex rutha purgetur. Quartadecima. Persona, quam constat esse infectam, moneatur, ut vel domum suam Confessarium vocet, vel eo tempore veniat, quo homines non sunt in templo, tunc enim extra confessionale eam audire posset in tanta distantia, quæ moraliter careret periculo. Quintadecima. Denique peste cessante, & se per divinam gratiam servato, gratias DEO debitas persolvat, eiq; humili animo omnia, quæ egit, accepta referat, seque ad ulteriores casus præparet, offeratque.

§. XVII.

Varia preces apud ægros & moribundos dicendæ.

Cum, ut supra monui, inter præcipua media, quibus ad solatium & auxilium Infirmorum & Moribundorum uti potest Operarius, meritò crebra & devota oratio censeatur, & ea maximè, quæ in Ritualibus ab Ecclesia præscribitur; talia autem Ritualia ad manus semper non haberi commodè queant, ideo rogatus ab aliquibus, ut eas libello huic infererem, ad calcem illius apponere commodissimum est visum.

M E M B R U M I.

Preces ab Operario, priusquam ab Infirmo discedat, recitandæ.

I. Quando discedere vult Operarius ab Infirmo unum ex Psalmis Quatuor prioribus Pœnitentialibus, vel Psalmum 90. Qui habitat &c. supra Infirmum dicere poterit, eiq; sequentes juxta Rituale Romanum subjungere.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c. *ψ.* Et ne nos inducas in tentationem. *℞.* Sed libera nos à malo. *ψ.* Salvum fac servum tuum. *℞.* Deus meus sperantem in te. *ψ.* Mitte ei Domine auxilium de sancto. *℞.* Et de Sion tuere eum. *ψ.* Nihil proficiat inimicus in eo. *℞.* Et filius

V s

ini-

iniquitatis non apponat nocere ei. *ψ.* Esto ei Domine turris fortitudinis. *℞.* Super lectum doloris ejus. *ψ.* Domine exaudi orationem meam. *℞.* Et clamor meus ad te veniat. *ψ.* Dominus vobiscum. *℞.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, cui proprium est misereri semper, & parcere: suscipe deprecationem nostram: ut nos, & hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium auxiliij tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur.

Concede hunc famulum tuum, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere; & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsentis liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. *℞.* Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠, & Filij, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. *℞.* Amen.

M E M B R U M II.

Psalmi & Evangelia cum Precibus pro temporis opportunitate & ægotantium pio desiderio, Operarii que arbitrio dicendæ.

Psalms 6.

Domine ne in furore tuo arguas me, *℞.* in fine Gloria Patri. Sicut erat. *ut sup. fol. 84.* Dominus vobiscum. *℞.* Et cum spiritu tuo. *ψ.* Sequentia sancti

sancti Evangelij secundum Matthæum. *R.* Gloria
tibi Domine.

D. *Sacerdos dicit: Sequentia sancti, &c. faciat
signum Crucis de more super se in fronte, ore, & in pe-
ctore, similiter super infirmum, si fuerit masculus, & is ob
infirmam non potest se signare.*

*Si autem fuerit femina, dum Sacerdos se signat, illa per
semetipsam in locis prædictis se signet, si potest; si verò non
potest, alia mulier eam signet, & hoc idem in sequentibus
Evangelijis servetur.*

Matth. 8.

In illo tempore: Cùm introisset JESUS Caphar-
naum, accessit ad eum Centurio rogans eum, &
dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyti-
cus, & malè torquetur. Et ait illi JESUS: Ego ve-
niam, & curabo eum. Et respondens Centurio
ait: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum
meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer
meus. Nam & ego homo sum sub potestate consti-
tutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade,
& vadit; & alij, Veni, & venit; & servo meo: Fac
hoc, & facit. Audiens autem JESUS miratus est,
& sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non in-
veni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod
multi ab Oriente & Occidente venient, & recum-
bent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cæ-
lorum: filij autem regni ejicientur in tenebras exte-
riores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit
JESUS Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.
Et sanatus est puer in illa hora.

Oremus.

Omnipotens sempiternus Deus, salus æterna cre-
dentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo

V 6

N. pro

N. pro quo misericordiae tuae imploramus auxilium,
ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua
referat actiones. Per Christum Dominum nostrum.
R. Amen.

Psalmus 124.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te.
Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bono-
rum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: mirificavit omnes
voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum postea acco-
leraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sangui-
nibus: nec memor ero nominum eorum per labia
mea.

Dominus pars hereditatis meae, & calicis mei: tu
es, qui restitues hereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in praecclaris: etenim hare-
ditas mea praecclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intelle-
ctum: insuper & usque ad noctem increpauerunt me
renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper
quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, & exultavit
lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in
inferno: neque dabis sanctum tuum videre corruptio-
nem.

Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laci-
tia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua us-
que in finem.

Gloria Patri. Sicut erat, &c.

v. Do-

✠. Dominus vobiscum. ✠. Et cum spiritu tuo.
✠. Sequentia sancti Evangelij secundum Marcum.
✠. Gloria tibi Domine.

Marc. 16.

IN illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis JESUS, & exprobavit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient: linguæ loquentur novis: serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super agròs manus imponent, & benè habebunt.

Oremus. Oratio.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo *N.* ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat. Per Christum Dominum nostrum. ✠. Amen.

Psalmus 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.
Mittat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificij tui: & holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.

Lata

Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potentibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.

Domine saluum fac regem: & exaudi nos in die qua invocaverimus te. Gloria Patri.

ψ. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.
ψ. Sequentia sancti Evangelij secundum Lucam.
R. Gloria tibi Domine.

Luc. 4.

IN illo tempore: Surgens JESUS de synagoga introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam imperavit febrim, & dimisit illam, & continuò surgens ministrabat illis. Cùm autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad JESUM. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

Oremus. *Oratio.*

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis, infusa virtutis tuæ dignatione, confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra & mentes vegetentur: super hunc famulum tuum propitius intende; ut omni necessitate corporeæ infirmitatis excludatæ, gratia

sa, gratia in eo pristinae sanitatis perfecte reparetur.
Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Psalms, 85.

Incлина Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. saluum fac servum tuum, Deus meus, speranteram in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die, lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis & mitis: & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine: & non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisi animam meam ex inferno inferiori.

Deus iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu tuo.

Et

Et tu Domine Deus miserator, & misericors: patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me, & miserere mei: da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Gloria Patri. Sicut erat.

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelij secundum Joannem.
℞. Gloria tibi Domine.

Ioan. 5.

IN illo tempore: Erat dies festus Judæorum, & ascendit JESUS Jerosolymam. Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethesda, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset JESUS jacentem, & cognovisset, quia multum jam tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei JESUS: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum

in die

in die illo. Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogaverunt ergo eum. Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. JESUS autem declinavit à turba constituta in loco. Postea invenit eum JESUS in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Oremus.

Respice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove, quam creasti, ut castigationibus emendatus, continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Psalmus 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicit Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu. & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Instruct. III.

X

Verum-

Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedat ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegem eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipsum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri, Sicut erat.

Oremus. *Oratio.*

OMnipotens sempiternus Deus, infirmitatem famuli tui propitius respice, atque ad protegendum eum dexteram tuæ majestatis extende. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Completa Oratione ultima, Sacerdos imponat dextram manum super caput infirmi, & dicat:

Super ægros manus imponent, & benè habebunt. **JESUS** Mariæ filius, mundi salus, & Dominus, meritis & intercessione sanctorum Apostolorum suorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, sit tibi clemens & propitius. Amen. *Postea dicat. V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.*

¶. Initium sancti Evangelij secundum Joannem.

¶. Gloria tibi Domine.

Ioan. 1.

IN principio erat Verbum : & Verbum erat apud Deum : & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat : & vita erat lux hominum : & lux in tenebris lucet , & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo , cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium , ut testimonium perhiberet de lumine : ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux , sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat : & mundus per ipsum factus est : & mundus eum non cognovit. In propria venit : & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum , dedit eis potestatem filios Dei fieri : his , qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus , neque ex voluntate carnis , neque ex voluntate viri : sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST :** & habitavit in nobis , (& vidimus gloriam ejus , gloriam quasi unigeniti à Patre ,) plenum gratiæ & veritatis. *℞. Deo gratias.*

Posteà benedicens infirmum subjungat , dicens :

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ , & Filij , & Spiritus sancti , descendat super te , & maneat semper. *℞. Amen.*

Deinde aspergat eum Aqua benedicta.

Si fuerint plures infirmi in eodem cubiculo vel loco , preces & orationes predictæ dicantur super eos in numero plurali.

X 2

Qua

Quae omnia etiam poterunt arbitrio Sacerdotis breviora fieri.

MEMBRUM III.

Ordo commendationis animæ.

KYrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Sancta Maria,

Ora pro eò.

Omnes sancti Angeli & Archangeli, Orate pro eò.

Sancte Abel,

ora.

Omnis chorus justorum,

orate.

Sancte Abraham,

ora.

Sancte Joannes Baptista,

ora.

Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ,

orate.

Sancte Petre,

ora.

Sancte Paule,

ora.

Sancte Andrea,

ora.

Sancte Joannes,

ora.

Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ,

orate.

Omnes sancti Discipuli Domini,

orate.

Omnes sancti Innocentes,

orate.

Sancte Stephane,

ora.

Sancte Laurenti,

ora.

Omnes sancti Martyres,

orate.

Sancte Silvester,

ora.

Sancte Gregori,

ora.

Sancte Augustine,

ora.

Omnes sancti Pontifices & Confessores,

orate.

Sancte Benedicte,

ora.

Sancte Francisce,

ora.

Omnes sancti Monachi & Eremitæ,

orate.

Sancta Maria Magdalena,

ora.

Sancta

Sancta Lucia,	ora.
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ,	orate.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei,	Intercedite pro eo.
Propitius esto,	Parce ei Domine.
Propitius esto,	Libera eum Domine.
Propitius esto,	Libera.
Ab ira tua,	Libera.
A periculo mortis,	Libera.
A mala morte,	Libera.
A pœnis inferni,	Libera.
Ab omni malo,	Libera.
A potestate diaboli,	Libera.
Per nativitatem tuam,	Libera.
Per crucem & passionem tuam,	Libera.
Per mortem & sepulturam tuam,	Libera.
Per gloriosam resurrectionem tuam,	Libera.
Per admirabilem ascensionem tuam,	Libera.
Per gratiam Spiritus sancti paracliti,	Libera.
In die iudicij,	Libera.
Peccatores,	Te rogamus audi nos.
Utei parcas,	Te rogamus.
Kyrie eleison.	Christe eleison.
Kyrie eleison.	

Deinde cum in agone sui exitus anima auxiliatur, dicantur sequentes Orationes.

Proficiscere anima Christiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: in nomine JESU Christi filij Dei vivi, qui pro te passus est: in nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est: in nomine Angelorum & Archangelorum: in nomine Thronorum & Dominationum: in nomine Principatum & Potestatum: in nomine Cherubim

X 3 & Se-

& Seraphim: in nomine Patriarcharum & Prophetarum: in nomine sanctorum Apostolorum & Evangelistarum: in nomine sanctorum Martyrum & Confessorum: in nomine sanctorum Monachorum & Eremitarum: in nomine sanctarum Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei: hodie sit in pace locus tuus, & habitatio tua in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. *ꝛ.* Amen.

Oratio.

DEUS misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata penitentium deles, & praeteritorum criminum culpas veniam remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum *N.* & remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est: & unitati corporis Ecclesiae membrum redemptionis annexte. Misere Domine gemitum, misere lacrymarum ejus: & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuae sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum, *ꝛ.* Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, charissime frater, & ei, cuius es creatura, committo: ut cum humanitatis debitum morte interveniente perolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terrae formaverat, revertaris. Egredienti itaque animae tuae de corpore splendidus Angelorum coetus occurrat: iudex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidato-
rum

rum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis atque festivus Christi JESU tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi terribissimus satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficient: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei: & justî epulentur, & exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur & erubescant omnes tartaræ legiones, & ministri satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te à cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus filius Dei vivi in paradisi sui semper amœna virentia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat; atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. *sc. Amen.*

X 4

Oratio.

Oratio.

Suscipe Domine servum tuum in locum sperande
sibi salvationis à misericordia tua. *R.* Amen. Li-
bera Domine animam servi tui ex omnibus periculis
infernì, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tri-
bulationibus. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Enoch & Eliam de cõmuni morte mundi. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Noë de diluvio. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Abraham de Vr Chaldæorum. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Job de passionibus suis. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Isaac de hostia, & de manu Patris sui Abraham. *R.*
Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Lot de Sodomis, & de flamma ignis. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Moysem de manu Pharaonis Regis Ægyptiorum. *R.*
Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Danielem de lacu leonum. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu
Regis iniqui. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Susannam de falso crimine. *R.* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
David de manu Regis Saul, & de manu Golia. *R.*
Amen.

Libe-

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti
Petrum & Paulum de carceribus. *R.* Amen.

Et sicut beatissimam Theclam Virginem & Mar-
tyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti,
sic liberare digneris animam huius servi tui, &
tecum facias in bonis congaudere caelestibus. *R.* A-
men.

Oratio.

Commendamus tibi Domine animam famuli tui
N. precamurque te, Domine JESU Christe, Sal-
vator mundi, ut propter quam ad terram misericor-
diter descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus in-
sinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam
tuam, non à dijs alienis creatam, sed à te solo DEO
vivo & vero: quia non est alius DEVS præter te, &
non est secundum opera tua. Latifica, Domine, ani-
mam ejus in conspectu tuo, & ne memineris iniqui-
tatum ejus antiquarum, & ebrietatum, quas suscita-
vit furor, sive fervor mali desiderij. Licet enim pec-
caverit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum san-
ctum non negavit, sed credidit, & zelum DEI in se
habuit, & DEVM, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oratio.

Delicta juventutis, & ignorantias ejus, quæsu-
mus, ne memineris Domine, sed secundum
magnam misericordiam tuam memor esto illius in
gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cæli, collaten-
tur illi Angeli. In regnum tuum Domine servum
tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michaël Arch-
angelus DEI, qui militiæ caelestis meruit principa-
tum. Veniant illi obviam sancti Angeli DEI, & per-
ducant eum in civitatem caelestem Jerusalem. Susci-
piat eum beatus Petrus Apostolus, cui à DEO claves
regni

X

regni

regni cælestis traditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Joannes electus DEI Apostolus, cui revelata sunt secreta cælestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti & Electi DEI, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni cælestis: præstante Domino nostro JESU Christo: Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. R., Amen.

M E M B R U M I V.

Tres piæ & utiles morientibus orationes cum tribus Pater & Ave in agone mortis recitandæ.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

Oratio.

Domine JESU Christe, per tuam sanctissimam agoniam & orationem, quâ orâsti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram; obsecro te, ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quem præ timoris angustia copiosissimè pro nobis effudisti, offerre & ostendere digneris DEO Patri omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum hujus famuli tui N. & libera eum in hac hora mortis suæ ab omnibus pœnis & angustiis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnas DEUS in sæcula sæculorum. R., Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

Oratio.

Oratio.

Domine JESU Christe, qui pro nobis mori dignatus es in cruce, obsecro te, ut omnes amaritudines passionum & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, maximè in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre & ostendere digneris DEO Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui *N.* & libera eum in hac hora mortis ab omnibus pœnis & passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas DEVS in sæcula sæculorum. *ꝛ.*
Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Ave Maria.

Oratio.

Domine JESU Christe, qui per os Prophetæ dixisti: In charitate perpetua dilexi te, ideo atraxi te miserans: obsecro te, ut eandem charitatem tuam, quæ te de cælis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre & ostendere digneris DEO Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui *N.* & libera eum ab omnibus passionibus & pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salva animam ejus in hac hora exitus sui. Aperi ei januam vitæ, & fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu pijsime Domine JESU Christe, qui redemisti nos pretiosissimo Sanguine tuo, miserere animæ hujus famuli tui, & eam introducere digneris ad semper virentia & amœna loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui à te, & ab Electis tuis nunquam separari potest.

potest. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas DEUS in saecula saeculorum. R. Amen.

M E M B R U M V.

Protestationes S. Caroli Borromæi utilissimè Infirmis prælegendæ

PROTESTATIO I.

IN nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritûs Sancti, ego, infelix & miser peccator, N. protestor in præsentia tuâ, ô Angele DEI, assignate mihi à Divinâ Majestate pro ductore, cum primum natus sum, velle & desiderare me mori in eâ solâ, verâ & Catholicâ fide, quam Sancta Romana, & Apostolica tenet, & profitetur Ecclesia, & in qua omnes sancti, quotquot fuerunt unquam uspiam, mortui sunt: nec desidero diutius vivere, quàm placeat Deo meo, cui omnem meam voluntatem integrè & ex toto subjicio.

PROTESTATIO II.

Protestor etiam, ô Angele DEI, desiderare & velle me sub tuâ sanctâ custodiâ ac protectione, discedere ex hâc vitâ, cum spe Divinæ misericordiæ sine ullâ titubatione in fide, non obstante quacunque multitudine, & gravitate peccatorum meorum: certò sciens, ac firmissimè credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi Sanguinis Domini nostri JESU Christi sufficientem futuram fuisse, non solum ut me salvaret, sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos, si ita placitum fuisset Divinæ suæ Majestati.

PROTESTATIO III.

Similiter protestor, ô Angele Sancte, petere me ex Sincero corde, participem fieri misericordiæ Redemptio-

demptoris, & Domini mei JESU, remissionemque omnium peccatorum meorum consequi, sciens, quod ipse eam nulli peccatori quantumvis gravi, & abominabili, neget, ritè contrito & confesso, idque per & propter merita amarissimæ suæ passionis, & mortis, & virtutem pretiosissimi sanguinis sui pro me indignissimo in ligno crucis copiosè effusi; per merita demum sanctissimæ matris suæ, Virginisque **MARIAE**, & omnium Sanctorum & Angelorum.

PROTESTATIO IV.

Iterum protestor, Sanctissime mi Custos supplicare me divinæ pietati, ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædestinavit in suam gloriam; etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio ad novissimum usque judicij diem, dummodo tandem per ipsius infinitam misericordiam, consequar vitam æternam.

PROTESTATIO V.

Sanctissime & vigilantissime custos, protestor deum, constituere me te procuratorem testamenti, & ultimæ voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi à Domino meo JESU tres gratias. Prima est, ut mihi donet unum solum lachrymosum suspirium ex infinitis illis, quæ habuit ipse, dum per tres horas vivus fuit in cruce, quorum efficaciam & virtutem mirigentur lacrymabiles illi singultus, cordisque pressuræ, & angustia, quibus in horâ mortis affligar. Et ut gloriosissima mater **DEI MARIA** dignetur me vel unico etiam aspectu ex ijs, quos ipsa sub cruce stans habuit, defigendo in unicum filium suum virginæ oculos; suscipiendo me in eorum numerum, qui ejus precibus, & meritis in die judicij obtinebunt

bunt

bunt salutem, & vitam sempiternam. Altera gratia est, ut tu, fidissime custos meus, in illâ potissimum horâ mihi succurras, quando anima mea separabitur à corpore meo, ut inveniam benignum iudicem, merito flagrantissimæ illius charitatis, quâ paternum ipsius pectus in cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. Ultima demum gratia est, ut tu idem piissime custos meus, animam meam tibi habeas commendatam, eamque de ergastulo corporis egressam, dextræ tuæ potentiâ redemptori meo offeras, ut eum unâ tecum, & sanctis omnibus in Cœli gaudiis videam, perfectè amem, eoque æternaliter fruam, cui sit laus, honor, & gloria in omnem æternitatem, Amen.

M E M B R U M VI.

Orationes pro moribundo dicendæ.

AD SS. TRINITATEM.

TE summa DEUS Trinitas, omnipotens æternæ DEUS, qui es semper, & per omnia Deus benedictus in sæcula, quem omnis spiritus laudat, suppliciter deprecamur, ut per meritum illius ineffabilis & excellentissimæ Charitatis, quâ dilectissimus Filius tuus Dominus noster JESUS Christus, homo fieri dignatus est: quæ etiam pro salute nostra, vincula, opprobria, convicia, flagella, sputa, alapas, coronam spineam, ac amarissimam mortem amorosè passus est: ac etiam per meritum gloriosissimæ, ac beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, qui tibi ab initio mundi placuerunt: nec non per virtutem clavium spiritualium, quas clementissimè, bone JESU, Ecclesiæ tuæ Ministris tradidisti, ut huic famulo tuo in extremis laboranti, misericorditer in-

ter indulgere digneris omnia peccata tua, quæ ab hora sacri baptismatis, usque ad præsens, quoquomodo, malitiâ, miseriâ, ignorantia, ac fragilitate commisit: & ipsum per sanctas indulgentias, & absolutiones ex thesauris tuæ immensæ Charitatis indultas, restituere digneris in illam puritatem, innocentiam ac spiritualem claritatem, quas in Baptismate donare dignatus es. Dignare etiam, suavissime Domine JESU Christe, ab omni aspectu & terrore Dæmonum eum tueri, & propter gloriosi nominis tui honorem, ipsum in conspectu Divinæ Majestatis tuæ gratum reddere, ut, dulcissime Pater ac amabilissime Redemptor bone JESU, & sanctissime Paraclete spiritus, merito omnium Sanctorum tuorum, & præsertim sacratissimæ passionis tuæ clementer suscipias, Te perenni jubilo in cælorum beatissimo regno æternaliter fruaturum. Amen.

AD PASSIONEM CHRISTI.

ψ. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.
✠. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

DEUS, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari; sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri; à falsis testibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari, sputis conspuï, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, & vestibus exui, cruci clavibus affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari: Tu Domine per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus

gnus

gnus recolo, & per sanctam crucem & mortem tuam libera me (vel, si alius dicit pro eo libera famulum tuum N.) à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD IESUM.

O Bone JESU, ô Pijsime Jesu, plene misericordiã, & pietate: O dulcis JESU, secundum magnam misericordiam tuam miserere huic famulo tuo infirmo: O Clementissime Jesu, te deprecamur per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates ipsius, & respicias in illum humiliter veniam deprecantem, & hoc Sanctum Nomen Jesus invocantem. O nomen Jesu, nomen delectabile, nomen Jesu, nomen confortans! Quid est enim Jesus, nisi Salvator? Ergo Jesu propter Nomen Sanctum tuum, esto ei JESUS, & salva eum: ne permittas eum damnari, quem de nihilo creasti: O dulcis Jesu recognosce, quod tuum est, & absterge, quod alienum est. O Benignissime Jesu, miserere ei, dum tempus est miserendi; & ne damnes eum in tempore judicandi. Non enim mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum. O amantissime Jesu, ô desideratissime Jesu, ô mitissime Jesu, ô Jesu salus in te credentium, ô JESU salus ad te confugientium, ô JESU dulcis remissio peccatorum omnium. O JESU Agnus DEI, ô JESU fili David, ô JESU fili Mariæ Virginis, libera famulum tuum ab omnibus tentationibus, quibus eum angustiatum esse cognoscis, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de celis,

lis, qui eum custodiat, foveat, protegat, visitet, & defendat, atque animam ipsius in horâ exitûs sui in Paradisum exultationis deducendum illico suscipiat.

✱. Amen.

ψ. Sit Nomen Domini Benedictum.

✱. Ex hoc, nunc & usque in sæculum.

AD B. VIRGINEM.

I. **V**irgo clementissima DEI genitrix MARIA, ob illius doloris gladium, qui tuam sacratissimam animam pertransivit, quando cernebas filium tuum nudum in cruce pendentem, clavis perforatum, cruore perfusum, plagis ac vulneribus laceratum, adjuva animam servi tui, ut compassionis tuæ gladio, divinique timoris, ac amoris lanceâ transverbere- tur, & sic omnis peccati humor noxius effluat, munda- tóque à vitijis pectore terrena despiciat, & toto af- fectu ad cælestia anhelet.

II. MARIA Virgo Sanctissima ob acerbum il- lum doloris sensum quem experta es, quando JE- SUM Filium tuum præ dolore clamantem, & te Jo- anni commendantem audivisti: Exaudi preces, quas ad aures tuæ pietatis, pro famulo tuo fundimus, ei- que in obitu suo subveni, & ejus spiritum clemen- tissimo Filio tuo commenda: ut maternâ tuâ inter- ventione à terroribus, & tormentis eruatur ad de- sideratam cælestis patriæ regionem te comitante per- veniat.

III. Beata Virgo MARIA, per terrorem, & hor- rorem illum gravissimum, quo maternum pectus tuum contremuit, quando filium tuum dilectissi- mum Dominum Nostrum JESUM Christum ab im- piis captum, ligatum, tractum ad supplicia, & ab

Instruct. III,

Y

omni-

omnibus derelictum inaudisti; adjuva famulum tuum in extremis constitutum, ut de præteritis delictis contritionem veram eliciat, ne fortè in hoc obitu suo adversarij occursum paveat, tremendique Judicis aspectum accusante conscientia contremiscat, sed potius ope tuâ desideratam ejus faciem in júbilo videat, & tecum gaudijs æternis perfruatur.

I V. Virgo dulcissima DEI genitrix MARIA, per cruciatus, & angustias tuas, quas sustinuit cor tuum, quando Filius tuus Dominus Noster JESUS Christus clamantibus Judæis: crucifige, crucifige: morti adjudicatus est, & supplicio crucis addictus, subveni huic famulo tuo in extremis laboranti, ne mortis æternæ contra eum sententia proferatur, sed potiùs ad vitam lætus te intercedente transeat sempiternam.

V. Intemerata & in æternum benedicta Virgo MARIA, famulo tuo in hoc extremæ necessitatis articulo subveni, illos tuos misericordes oculos ad illum converte: ostende illi dulcissimam faciem tuam, & in virtute S. crucis inimicos ejus omnes disperde. Libera eum ex omni angustia, ut tecum, & cum beatis spiritibus suis Redemptori suo æternas referat gratiarum actiones. Reminiscere miserationum tuarum, ô Mater misericordiæ, & secundùm multitudinem miserationum tuarum animæ illius optulare.

MARIA Mater gratiæ,

Mater misericordiæ.

Tueum ab hoste protege,

Et hora mortis suscipe. Amen.

AD S. MICHAELEM.

SAncte Michael Archangele, succurre huic animæ
 Sapud altissimum Judicem. O invictissime pugil,
 assiste

assiste huic famulo tuo in extremis laboranti, & eum potenter à dracone infernali defende, & à visione, fraudèque malorum spirituum. Insuper exoramus te, ut in hac extremâ horâ vitæ ipsius, animam ejus benignè suscipias, ac suaviter in sinum tuum recipias, illamque in locum refrigerij, lucis & pacis perducas cum Domino JESU æternalium regnaturam, Amen.

MEMBRUM VII.

Orationes pro felici morte obtinenda.

Ad IESUM in cruce expirantem.

Domine JESU Christe, per dolores ac cruciatus illos tremendos, quos sustinuisti pro me, maxime in illa hora, quâ sacratissima tua anima egressa est de corpore tuo benedicto, miserere peccatricis animæ meæ in egressu ejus.

Horâ mortis meus flatus

Intrret JESU tuum latus.

AD B. VIRGINEM MARIAM

Christo morienti adstantem.

Beatissima Virgo MARIA recordare tristissimæ illius horæ, quâ filio tuo adstitisti in cruce morienti.

Per dolorem hunc tam fortem

Et per nati tui mortem,

Per sacra ejus vulnera

Et sanguinis ejus merita.

2.

In hora mortis ultima

Adsis mihi charissima.

Horâ mortis meus flatus

Intrret JESU tuum latus.

Y 2

64

Ad SS. CHRISTO morienti adstantes.

S. Joannes, S. Joseph ab Arimathia, S. Nicodemus, S. Maria Magdalena, S. Maria Jacobi, S. Salome, S. Veronica, cæterique Sancti & Sanctæ DEI, qui adstitistis Christo in cruce morienti, orate pro me in hora mortis meæ.

Horâ mortis meus flatus
Intret JESU dulce latus.

Nota ad primam oratiunculam.

Fuit olim ex Ordine Cisterciensi devotus Cœnobita, qui morbo lethali oppressus, ubi primum vivis excessit, cœnobij sui superiorem coram conspicuus invisit: ac roganti, quò tenderet, hâc se horâ extinctum recto ad Cælum tramite tendere dixit: percunctanti, quî flammâs purgatorias evadat, respondit, id accidere, quòd crucifixi imaginem, quoties præterijt, elevatâ in Christum patientem mentem modo supra scripto orârit. Nec enim irritas cecidisse preces, vinculis se corporis solutum, pœnâ omnium liberum evolare in Cælum. Ita Cæsar. l. 12. c. 57.

Nota ad secundam.

Incessit aliquando cupido discipulum, quem dilexit, & cui matrem moriturus commendavit Jesus, assumptâ in Cælum virgine superstitem, ejusdem amabilissimo aspectu oculos in terris explendi: nec mora, abreptus in ecstasim, spectavit coram unâ cum Filio Virginem, quæ multis, tam de Filij tolerantis in cruce tormentis, quàm de sua ingenti erga illum commiseratione ubi disseruit, demum Filio supplicata rogavit, ut cæleste quoddam munus impertiretur ijs, qui piè horum dolorum meminissent. Annuit Matris precibus Filius, ac mox quatuor hæc dona spec

na sponndit. Primum, ut quisquis Virginem per ejus dolores precaretur, is ante obitum, verum de peccatis dolorem impetraret. Alterum, hunc eundem certo ipsius, maximè instante morte, præsidio munendum. Tertium, cordi ejus supplicia se sua inscripturum. Denique se matri jus omne concedere, & facultatem dare pro tali quidlibet obtinendi. Ita Pomerius l. 4. de B. V. M. p. 4. Kalend. Marian. 17. Decemb. P. Casparus Taufsch. de Mat. dolorosa praxi 1. §. 5.

Nota ad tertiam.

SI commemoratio JESU morientis, & sanctissimæ ejus Matris ad crucem adstantis, tam est JESU ac MARIE dolorosæ grata, ecquis dubitet, quin Sanctis, qui ad crucem adstiterunt, mirificè quoque accepta futura sit, vicissim suffragijs suis morientibus nobis opem lauraris.

Serviet etiam ad hos dolorosæ matris dolores, juxta mentem ejusdem recolendos hymnus, unà cum oratiunculis his appositis.

Hymnus.

STabat mater dolorosa
Juxta cruce[m] lacrymosa,
Dum pende[n]s Filius.
Cujus animam gementem,
Contristantem, & dolentem.
Pertransivit gladius:
O quàm tristis & afflicta,
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti!
Quæ mœrebat, & dolebat,
Et tremebat, cùm videbat
Nati pœnas inclyti.

Y 3

Con-

Quis est homo, qui non fletet,
Christi Matrem si videret

In tanto supplicio?

Quis non posset contristari,
Piam matrem contemplari,

Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suæ gentis

Vidit JESUM in tormentis,

Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum,

Morientem, desolatum,

Dum emisit spiritum.

Eja mater fons amoris,

Me sentire vim doloris,

Fac, ut tecum lugeam,

Fac, ut ardeat cor meum

In amando Christum DEVM,

Ut sibi complaceam.

Sancta Mater istud agas,

Crucifixi fige plagas,

Cordi meo validè;

Tui nati vulnerati,

Tam dignati pro me pati,

Pœnas mecum divide.

Fac me verè tecum flere,

Crucifixo condolere,

Donec ego vixero;

Juxta crucem tecum stare,

Te libenter sociare,

In planctu desidero.

Virgo virginum præclara,

Mihi jam non sis amara,

Fac me tecum plangere.

Fac, ut portem Christi mortem

Passionis fac consortem,

Et plagas recolare.

Fac me plagis vulnerari,

Cruce hâc inebriari,

Ob amorem Filij;

Inflammatum, & accensum,

Per te Virgo sum defensus

In die Judicij,

Fac me cruce custodiri,

Morte Christi præmuniri,

Confoveri gratiâ.

Quando corpus morietur,

Fac ut animæ donetur

Paradisi gloria. Amen.

ψ. Tuam ipsius animâ doloris gladius pertransivit.

℞. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oratio.

Interveniat pro nobis, quæsumus, Domine JESU
Christe, nunc & in hora mortis nostræ apud tuam
clementiam B. Virgo MARIA, cujus sacratissimam
animam doloris gladius pertransivit; per te JESU
Christe, Servator mundi, qui cum Patre & Spiritu
sancto vivis, & regnas DEVS in sæcula sæculorum.
Amen.

Alia Oratio.

Domine JESU Christe, qui è cruce depositus in-
ter sanctissima Genitricis tui brachia deponi
voluisti, concede propitius, ut & crucem meam,
quam mihi largiri pro tua bonitate volueris, nun-
quam in vita derelinquam, & in morte ex ea depo-
situs, per clementissimæ Matris tuæ manus, ante te
merear præsentari. Qui vivis & regnas &c.

ALIAE TRES ORATIONES S.

Mechtildi à B. Virgine præscriptæ.

I. **P**ost 1. *Ave Maria.* O Domina mea S. Maria, sicut Deus Pater per Omnipotentiam suam potentissimam effecit, ita mihi, quaeso, ad sis in hora mortis expellendo à me omnem contrariam potestatem.

II. *Post 2. Ave Maria.* O Domina mea S. Maria, sicut Filius Dei tantà te cognitione & claritate dignatus est, ut totum cœlum illumines, ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corrobore, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur.

III. *Post 3. Ave Maria.* O Domina mea S. Maria, sicut Spiritus S. suum amorem plenè tibi iufudit, ita tu in morte dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima. Amen.

MEMBRUM VIII.

Invocationes sanctorum in hora mortis
recitandæ.

AD B. VIRGINEM ORATIO

S. Augustini.

I.

OMater misericordiæ, & consolatrix eorum, qui ad tuam recurrunt clementiam! Per eandem supplico, ut impetres mihi gratiam, ut, antequam moriar, peccata mea confessione eluam, & dignè particeps fiam corporis & sanguinis dulcissimi Filii tui. O sanctissima virgo, per honorem & dignitatem tuæ maternitatis, & per puritatem tui sacri corporis, excipe hanc animam festinantem egredi ex mundo.

Libera

Libera eam, & defende manu potenti contra omnes accusatores, terrores, & quascunque diabolicas illusiones. Descende ad me, dulcissima Domina, cum cœlesti militia, miserere animæ meæ in ejus transitu, effice, ut tutum, & pervium iter habeam ad Filium tuum. Invoco amorem tuum per illum amorem, quo Sanctissima Trinitas excepit animam tuam purissimam, quando è carne tua virginali separabatur. Suppleat gratiosa tua pietas, quicquid meis deest meritis. Succurre mihi in hac hora ultima, ut non habeam obvium principem tenebrarum, ne me vincant, aut decipiant inimici mei.

*AD SS. ANGELOS ORATIO**Hieremiæ Drexelij.*

II.

OVos omnes purissimi Spiritus, SS. Angeli Dei, respicite in me. Hic ego jaceo gemens, & suspirans, quia manus Domini tetigit me. Mors mihi in oculis est: mortalium jam nemo amplius, vos soli potestis succurrere. Judicij dies jam mihi est indictus. Eheu! comparandum est coram summo Judice, & reddenda ratio de cogitatis, dictis, factisque omnibus. Scitis ô beatissimæ mentes, me vilem terræ vermiculum quotidie honori vestro dicere aliquid, aut facere consuetum esse. Ah! ne me deserite in his summis angustiis meis, in hac ultima necessitate; à qua tota mihi pendet æternitas. Momentum illud jam imminet, in quo salus mea jam omnis, aut perenne stat exitium. Ah! juvate, & ante Regem Regum pro me supplices procumbite, & meum mihi, obsecro, conciliate judicem. Sententiam ego nunc expecto supremam, vos impetrate, ut ea mitis sit, & ad vitam. Mortem, quam ego meritus fuisset æternam,

nam, per vestras preces, meritaque liceat deprecari. Subvenite SS. Angeli Dei, subvenite, succurrite; jam jam aderit Judex Christus JESUS. Miserere, ô JESU! Miserere, per omnes SS. Angelos tuos te rogo, JESU MISERERE.

III.

AD OMNES SANCTOS COELITES

Oratio D. Augustini.

O Pulchra! ô speciosa domus Domini! ego dilexi decorem tuum, ad te suspiro ex hoc meo exilio, ad te anhelat cor meum, dum deficit vita mea. O vos Angeli, & Spiritus cœlestes, qui estis exercitus Dei fortissimus, defendite me in hoc passu contra omnes laqueos Satanæ. Liberate me à periculis hujus maris procellosi, & à Piratis, qui me persequuntur. Vos vestris orationibus deducite hanc conquistam, & con fractam cymbam ad portum quietis, ut illic vobiscum conquiescam. O Patriarchæ! SS. ô Prophetæ luce divina illuminati! ô Apostoli, & Imperatores Domini gloriosi! Valentissimi JESU Christi Martyres, sapientissimi Doctores, Humillimi Confessores, purissimæ Virgines, Conjuges, Viduæ, & animæ omnes quæ Deo placuistis, adjuvate me & subvenite, ut salvus perveniam ad portum, ad quem vos pervenistis. Peccavi, & sicut ovis quæ periit, erravi, fateor, neque tamen diffido de bonitate optimi mei Pastoris; ille me recipiet in suos humeros, & ad vos deducet, ut in vestra Societate exultet anima mea gaudio inexplicabili, quo vos jam fruimini.

MEMBRUM IX.

Orationes longiorem affectum certum
continentes.

FIDEI

I.

AFFECTVS FIDEI.

Profiteor coram te summa, & prima veritas Deus, corde & ore, coramque curia cœlesti, totóque orbe, sincerè me credere omnia, quæ dixisti, revelasti, & per Ecclesiam Catholicam credenda proposuisti; idque ex speciali dono gratiæ tuæ; præsertim quæ in Symbolo Apostolico, aliisque continentur, affirmans omnia esse certissima. Et in hac fide protestor me cum divino auxilio tuo, quod imploro, velle vivere, & mori; utinam & pro eâdem sanguinem profundere dignus forem! & si quid forte occurreret contra eam, undecunque (quod, quæso, avertere digneris) id ex nunc pro tunc detestor, & abrenuncio; adauge mihi fidem, fidelissime JESU, ut in eamoriens non peream, sed habeam vitam æternam. *Hujus professionis, & protestationis exemplum supra positum in Gonzale Medeiros, ardentem cereum manu tenente potest legi cap. 6, §. 13. memb. 3.*

II.

SPEI

Ex S. Augustino. Med. c. 39.

Peccavi, ô Juste Judex, mereor mille infernos: non habeo, unde solvam. Mea satisfactio est tuus sanguis, & tua misericordia; quæ absomit, & superat peccata totius mundi. Quamvis peccaverim, & merear desereri, tu tamen non exuisti tuam bonitatem, quâ solitus es salvare peccatores. Non placet tibi, Domine, perditio eorum, qui moriuntur, imò ut mortui viverent, tu mortuus es. Nunc, cum peccatores vivant te moriente, supplico, ut te vivente non moriar ego. Quomodo potero diffidere, ô bone JESU, de tua misericordia, dum recordor, quod cum

Y 6

effera

esse tuus inimicus, pro me mortuus es, & me DEO reconciliasti? Si veniam offerebas, cum eam non quærerem; modò cum eandem peto, quantò libentius impertieris? Tuum dulcissimum nomen, ò JESU, quod Salvatorem significat, fiduciam mihi præbet, salva animam meam, & dic ei, quòd sis ejus Salus. *ex med. cap. 39.*

III.

CHARITATIS.

Ex eodem.

Nunc cognovi te, lux vera, nunc cognovi te in fine vitæ meæ. Sis benedictus, & lauderis semper, ò illuminator animæ meæ in tempore mortis tam opportuno. Serò te amavi, amor æternæ, sed quia serò, seriò nunc te amem, & melius est serò, quàm nunquam. O infelix tempus, in quo te non cognovi! ò misera cæcitas, in qua te non vidi! ò nefanda sorditas, in qua non audiui voces tuas! ò scædum, & infatuatum cor, quod se immiscuit pulchritudini corruptibili tuarum creaturarum, te deserens, qui es pulchritudo æterna!

IV.

DESIDERII VIDENTI DEVM.

Ex S. Gertrude.

O Amor! quando erues animam meam ex hoc carcere? acceleret, ò DEUS meus, dulcedo mea, acceleret gloria tuæ præsentis. Deus meus, misericordia mea, absconde me in tuis manibus, in tuis pedibus, in hoc amantissimo corde. In te defigo mea desideria, mei gemitus ad te sunt, ad te mea suspiria, laudes, & omnis fiducia. Quando tecum ero gloria mea? quando dissolvetur hic laqueus mortis? dilata misericordiam tuam erga hanc magnam peccatricem.

tricem. O amor æterne! quàm dulcis & amabilis est tua Societas? Surge desiderium cordis mei. Ad te sunt oculi mei, ad te aures, nulla mihi alia vox sonet, sonet unica tua bonitas in auribus meis.

V.

Velex cap. 1. soliloq.

Quare faciem tuam avertis gaudium meum per quod gaudeo? Ubi es absconditus pulcher, quem desidero? Vocem tuam audio, & revivisco; sed cur faciem tuam abscondis? fortè dicis, non videbit me homo, & vivet? Eja Domine moriar, ut te videam, videam, ut hîc moriar. Nolo vivere, volo mori, dissolvi cupio, & esse cum Christo, mori desidero, ut videam Christum, vivere renuo, ut vivam cum Christo.

VI.

GRATITVDINIS.

Agnosco Deus meus ex toto corde beneficia, quæ ex manu tua accepi, & me ipsum redono in omnem æternitatem ei, qui amore mei se mihi, imò & suis inimicis tradidit. Redeo, & me tibi restituo, quia tuus sum. Vivo, ut in me vivas, & morior in te, ut te in omnem æternitatem.

VII.

CONTRITIONIS.

Ad SS. Trinitatem.

O Trinitas beatissima! Vehementer pœnitet irrogatæ tibi injuriæ peccatis meis, quæ detestor idcirco. Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Pœnitet! ah pœnitet, ô Deus propitius esto mihi peccatori! ô unico Patris æterni Fili JESU, cruciatus & mortem tuam acerbissimam, quorum infelix peccator causam me
fuisse

fuisse heu quàm me pœnitet! pone inter peccata mea, & iusticiam æterni Patris tui, & miserere mei! ô Spiritus Sanctissime, amor & bonitas infinita! à te quòd recesserim conversus ad creaturas cum injuria, & offensa tanti boni, quàm mihi dolet! ne projicias me à facie tua, sed spiritu tuo sancto renova, & confirma me in æternùm, nunquam amplius à te separer, sed ex omni actione, & vita meâ resultet gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. sicut erat in principio, & nunc & semper &c.

VIII.

RESIGNATIONIS.

A S. Hieronymo usurpatus.

ADvenit tandem, ô Domine, hora mortis, propter quam in mundum nascimur. Cum hoc onere accepi beneficium vitæ, ut deinde persolverem tributum mortis. Expirâsti, ô mi redemptor, in cruce, cum esses Dominus, ut mori servus non tergiversaretur. Fiat semper voluntas tua: moriatur, moriatur anima mea, attamen morte justorum. Scio, quia Deus & Redemptor meus vivit, & suis temporibus resuscitabit hoc corpus concussum à tam potentibus ventis nausæ, fastidiorum, dolorum, & aliorum rebellium accidentium. Ut inhabitem terras meliores, dimitto mortalem hanc domum, & hanc carnem morti destinatam. Tempus est, ut cantem DEO meo hymnum laudis, quia per ignem & aquam deduxisti me in refrigerium. Usque ad hanc horâ peregrinatus sum, nunc in patriam ingredior; usque modò periculosè navigavi, nunc in portum intro. Deus est, qui me transfert de tenebris in lucem; de periculis ad securitatem; ex paupertate ad divitias; ex pugna ad victo-

victoriã; ex molesto ergastulo hujus corporis ad Patriam, à dolore ad quiete & tranquillitatem cœlestis curiæ. Vita mea sensim deficit, ô Deus, in cuius potestate sunt omnia horarû momenta. Fateor, melius est mihi tractare cum morte, quàm cum vita tam dolosa, periculosa, proditrice. O bona mors! dulcis facta per mortem Domini mei JESU Christi. Non jam mors dicenda es, siquidem das æternam vitam, & aufers à me febres, & dolores; & fugas à corpore famem & sitim. Veni, ô mors! Soror mea, sponsa mea, amica mea, & monstra mihi JESUM amorem cordis mei, ostende mihi, ubi pascat greges suos hic divinus Pastor; ubi sit merities gloriosæ pulchritudinis optimi JESU. Surge, anima mea, curre in odorem unguentorum ejus preciosorum, intra in secretum deliciarum ejus. Jam pertransierunt dies juventutis meæ, & anni informes senectutis transierunt velut umbra, & me solum reliquerunt, Ad te converto me, redemptor meus, convertere & tu ad me, ô spes mea unica! Respice, salva, & libera me, & hanc animam erue à carcere corporis istius.

Dies mei sicut fumus evanuerunt, & caro mea sicut flos fœni exsiccata est. Jam certè Deus meus adventit tempus, in quo recorderis, & miseraris mei. Aufer à me lugubrem amictum istius corporis, & indue me gloriosa veste immortalitatis. Anima mea in Dei præsentia tota colliquescit, quia fruitur sponso toties, & tam diu quæsito. Surge cœlestis Pater, excipe famentem & prodigum filium. Redit totus defædatus & macer ex longinqua regione, ubi pavit immunda animalia.

HVMIL-

HUMILIATIONIS.

A S. Maria Nepte S. Abraami usurpatus.

Heu me miserabilem! heu me, quia profanavi templum Dei! Eheu! deturpavi ejus imaginem, & rupi fœdus in baptismo initum, & vota millies in vita facta! Miseram me! quæ propter vilissimam voluptatulam averti oculos à Deo meo, & omnem ejus substantiam vendidi. Heu me! quæ pessumdedi omne id, quod comparaveram per tot Sacramenta, & bona opera! Quibus deinceps oculis cœlum adspiciam, cum isti, quos habeo, toti contaminati sint ex aspectu malitiæ? Quibus labiis, quâ linguâ supplicabo isti purissimæ majestati, cum sint maculata & deturpata tam fœdis culpis? Ad Deum quali cum corde accedam? quomodo loquar? cum legem ejus conculcârim, cum promissa ei facta violârim, cum sim plena maculis in corpore, & in anima! Heu me! quò me vertam? ô si mors antè rapuisset, quàm talem malitiam committerem contra divinam Majestatem! Quis lacrymarum fons poterit eluere tot, & tantas maculas! à quantis bonis excidi! in quanta mala incidi! Convertite me ad te, ô Deus meus! peccavi, peccavi, agnosco in te viscera materna, etiâ erga eos, qui te nõ quærunt. Nullum vulnus tantum est, quod tu curare non possis. Da mihi tempus & locum Pœnitentiæ. Indigna sum tua misericordiâ, attamen eam mihi tuus Sanctissimus Filius promeruit. Consequar per illum, quod ex me non mereor. Parce, amantissime Pater, propter id quod es, elue meas maculas sanguine JESU Christi. Sic, sic non invenietur in me fœditas, quæ tibi displiceat. Hoc doleo, quòd in me inveniatur vestigium rei, quæ tibi displicet.

INDEX

INDEX TITVLORVM
Instructionis practicæ de Conversa-
tione Apostolica.

PARS I.

**DE CONVERSATIONE APOSTOLICA
IN COMMUNI.**

CAP. I. Quid & quotuplex fit consolatio Apostolica. fol. 1.	
CAP. II. Quàm fructuosa, atq; ad animarum salutem efficac fit Apostolica conversatio.	3
CAP. III. Quomodo fructuosè instituenda fit Conversatio Apostolica.	5
§. 1. <i>Primum praeceptum.</i>	<i>ibid.</i>
§. 2. <i>Secundum praeceptum.</i>	7
§. 3. <i>Tertium praeceptum.</i>	10
§. 4. <i>Quartum praeceptum.</i>	14
§. 5. <i>Quintum praeceptum.</i>	16
§. 6. <i>Sextum praeceptum.</i>	17
§. 7. <i>Septimum praeceptum.</i>	18
§. 8. <i>Octavum praeceptum.</i>	20
CAP. IV. Quibus instrumentis præcipuè peragenda fit con- versatio Apostolica.	24
§. 1. <i>Quid circa primum instrumentum conversationis, nempe</i> <i>Familiaritatem cum Deo observandum.</i>	25
§. 2. <i>Quid circa secundum instrumentum, nempe circa Pru-</i> <i>dentiam sit observandum.</i>	29
§. 3. <i>Quid circa tertium instrumentum, auctoritatem scilicet,</i> <i>vitaq; sanctitatem sit observandum.</i>	34
§. 4. <i>Quid de quarto instrumento conversationis Apostolica,</i> <i>nempe de benevolentia, sit observandum.</i>	37
CAP. V. Quibus motivis excitandus fit Zelus seu fervor ad Apostolicam conversationem necessarius.	41
CAP. VI. Quomodo impedimenta Zelum animarum retar- dantia sint removenda.	49

PARS II.

**DE CONVERSATIONE APOSTOLICA
IN PARTICULARI.**

CAP. I. De Visitatione Amicorum Apostolica.	60
<i>Instructio III.</i>	Z
§. 1. <i>Quis</i>	

Index Titulorum.

§. 1. <i>Quis finis praefigi debeat Visitationi Apostolica Amicorum.</i>	61
§. 2. <i>Quae Persona visitanda.</i>	63
§. 3. <i>Quid circa tempus huius Visitationis observandum sit.</i>	66
§. 4. <i>Quis modus in Visitatione Amicorum Apostolica observandus sit.</i>	68
§. 5. <i>Quae industriae in hac Visitatione adhibenda sint.</i>	73
§. 6. <i>Quae pericula in Visitatione Apostolica declinanda sint.</i>	75
CAP. II. De Instructione Apostolica.	79
§. 1. <i>Quid circa Haereticorum Instructionem sit observandum.</i>	80
§. 2. <i>Quid circa instructionem Catholicorum, & imprimis totius Communitatis sit observandum.</i>	80
§. 3. <i>Quid circa instructionem Senatorum & Iudicum observandum sit.</i>	88
§. 4. <i>Quid circa instructionem illustrium & nobilium Personarum observandum sit.</i>	90
§. 5. <i>Quid circa instructionem divitum observandum sit.</i>	93
§. 6. <i>Quid circa instructionem Patrum familias observandum sit.</i>	95
§. 7. <i>Quid circa instructionem mulierum conjugatarum observandum sit.</i>	98
§. 8. <i>Quid circa Viduarum instructionem observandum sit.</i>	103
§. 9. <i>Quid circa Monialium instructionem sit observandum.</i>	106
§. 10. <i>Quid circa instructionem illorum, qui statum Matrimoniale suscipere volunt, sit observandum.</i>	113
§. 11. <i>Quid circa instructionem eorum, qui Ecclesiasticum vel Religiosum statum amplecti cupiunt, sit observandum.</i>	117
§. 12. <i>Quid circa instructionem devotarum Personarum observandum sit.</i>	120
§. 13. <i>Quid circa instructionem Iuventutis & Pueritiae observandum sit.</i>	123
CAP. III. De Consolatione Apostolica.	126
§. 1. <i>Quid circa consolationem in genere observandum sit.</i>	127
§. 2. <i>Quo-</i>	

Index Titulorum.

§. 2.	Quomodo tribulati in genere consolandi sint.	129
§. 3.	Quomodo pauperes sint consolandi.	137
§. 4.	Quomodo consolandi sint, qui bonorum temporalium iacturam sunt passi.	140
§. 5.	Quomodo consolandi sint, qui detrimentum Famae vel Honoris sunt passi.	143
§. 6.	Quomodo consolandi sint, quibus Amicus, vel Parentes, vel Liberi sunt mortui.	147
§. 7.	Quomodo consolandi sint, qui graves persecutiones patiuntur.	150
§. 8.	Quomodo consolandi sint, qui angorem, & tristitiam animi patiuntur.	152
§. 9.	Quomodo consolandi sint, qui graves tentationes patiuntur.	157
CAP. I V.	De Curatione Apostolica Peccatorum.	160
§. 1.	Quae industria in genere circa curationem Apostolicam sint observanda.	ibid.
§. 2.	Quibus mediis uti debeat Operarius ad Apostolicam peccatorum Curationem.	164
§. 3.	Quomodo agendum sit cum illis, qui inimicitias deponere nolunt.	168
CAP. V.	De Captivorum Apostolica confortatione.	172
§. 1.	Cur & quomodo Operarius Captivorum specialem curam suscipere debeat.	173
§. 2.	Quomodo Captivi ad captivitatis poenam fructuose sustinendam preparandi sint.	174
§. 3.	Quomodo utiliter occupandi sint Captivi.	180
§. 4.	Quomodo contra tentationes muniendi sint Captivi.	189
§. 5.	Quomodo ad extremum supplicium disponendi & animandi sint Captivi.	194
MEMB. I.	Quid ante sententiam fatalem sit observandum.	195
MEMB. II.	Quid post latam sententiam sit observandum.	196
MEMB. III.	Quid circa ipsam productionem & supplicium sit observandum.	199
MEMB. IV.	Quid post mortem Rei sit observandum.	201
CAP. I V.	De Apostolica aegrorum & moribundorum Visitatione.	203
	Z 2	§. I. Quan

Index Titulorum.

§. 1. Quanti momenti sit ministerium adiuuandi agros & moribundos.	204
§. 2. Quibus dotibus prae ditum esse oporteat Operarium, qui agris & moribundis fructuose assistere cupit.	202
§. 3. Quid circa Visitationem agrorum in genere obseruandum sit.	209
§. 4. Quibus industriis & cautelis Operarius uti debeat in agrorum Visitatione.	211
§. 5. Quid circa Visitationem agrorum in specie & praxi sit obseruandum.	214
§. 6. Quâ ratione ager instruendus sit, ut officio suo satisfiat.	218
§. 7. Quomodo consolari agrotos debeat.	221
MEMB. I. De corporali solatio agris praestando.	ibid.
MEMB. II. De spiritali solatio agris praestando.	223
MEMB. III. De aliis consolatiunculis, quae ex occasione per apposita dicta creari possunt infirmis.	129
§. 8. Quomodo occupare debeat agrotos Operarius.	231
§. 4. Quomodo agri ad varias virtutes exercendas sint excitandi & adiuuandi.	240
MEMB. I. Quomodo ad plures actus virtutum simul excitandi sint agri.	
MEMB. II. Quomodo ad quamvis virtutem separatim excitandi sint Infirmi.	
MEMB. III. Quâ ratione actus Fidei eliciendi sint.	246
MEMB. IV. Qua ratione actus spei eliciendi sint.	247
MEMB. V. Qua ratione actus Charitatis exercendi sint.	250
MEMB. VI. Quâ ratione actus Contritionis eliciendi sint.	254
MEMB. VII. Quâ ratione actus resignationis eliciendi sint.	256
§. 9. Quidnam Operarius, cum discedit ab Infirmis, obseruare debeat.	259
§. 10. Quomodo Infirmi inducendi sint, ut disponant domui suae.	260
MEMB. I. Quomodo Infirmi ad Confessionem induci debeant.	261
MEMB. II. Quomodo ad Communionem disponendi sint Infirmi.	267
	MEMB.

Index Titulorum.

- MEMB. III. *Quomodo Infirmi ad S. Vnctionem disponendi sint.* 272
- MEMB. IV. *Quomodo Infirmi ad Testamentum faciendum disponendi sint.* 275
- §. 11. *Quomodo Infirmi contra tentationes muniendi sint.* 277
- MEMB. I. *De prima tentatione contra fidem.* ibid.
- MEMB. II. *De dissidentia & desperationis tentatione.* 218
- MEMB. III. *De tentatione ex vita amittenda timore orta.* 280
- MEMB. IV. *De tentatione ex amore possessorum bonorum orta.* 282
- MEMB. V. *De tentatione orta ex sollicitudine de Coniugibus & Liberis.* ibid.
- MEMB. VI. *De tentatione impatientia.* 283
- MEMB. VII. *De tentatione ex metu Purgatorii orta.* 284
- MEMB. VIII. *De tentatione ex pœnitentia agenda desiderio orta.* 285
- §. 12. *An permittendum sit Infirmis, ut alloquantur, & exhortentur alios ante mortem.* 286
- MEMB. I. *Quomodo Maritus Coniugem alloqui possit.* 287
- MEMB. II. *Quomodo Parens Liberos alloqui possit.* 288
- MEMB. III. *Quomodo Infirmus alios Homines alloqui possit.* 290
- §. 13. *Quibus mediis uti debeat Operarius ad moribundum animandum, & ad mortem ritè disponendum.* 292
- MEMB. I. *Quid circa indulgentias moribundorum sit observandum.* ibid.
- MEMB. II. *De aqua benedicta.* 294
- MEMB. III. *De Cereo benedicto.* 295
- MEMB. IV. *De Christi crucifixi imagine.* 296
- MEMB. V. *De SS. Nominibus IESVS & MARIA.* 298
- MEMB. VI. *De piis aspirationibus moribundo suggerendis.* 300
- §. 14. *Quid agere debeat Operarius ad agrum, qui mente parum valet, vocatus.* 306
- §. 15. *Quid post mortem Infirmi facere debeat Operarius.* 307
- §. 16. *Quomodo peste grassante Operarius se gerere debeat.* 309
- Z 3
- §. 17. PA-

Index Titulorum.

§. 17. <i>Varia preces apud agros & moribundos dicenda.</i>	313
MEMB. I. <i>Preces ab Operario prius, quàm ab Infirmo dajedat, recitanda.</i>	313
MEMB. II. <i>Psalmi & Evangelia cum precibus pro temporu oportunitate, & agrotantium pio desiderio, Operari que arbitrio dicenda.</i>	314
MEMB. III. <i>Ordo commendationis anima.</i>	324
MEMB. IV. <i>Tres pia & utiles morientibus orationes cum tribus Pater & Ave in agone mortis recitanda.</i>	331
MEMB. V. <i>Protestationes S. Caroli Borromai utilissimè Infirmis pralegenda.</i>	332
MEMB. VI. <i>Orationes pro moribundo dicenda.</i>	334
MEMB. VII. <i>Orationes pro felici morte obtinenda.</i>	339
MEMB. VIII. <i>Invocationes Sanctorum in hora mortis facienda.</i>	344
MEMB. IX. <i>Orationes longiorem affectum certum continententes.</i>	346

I N D E X
R E R U M P O T I O R U M
In hac Instructione contentarum.

A.

Allocutio aliorum ante mortem an à moribundo, & quomodo facienda.	286
Amicorum mors quomodo toleranda.	147
Amoris necessitas pro conversione aliorum.	18
Animæ dignitas.	46
Aqua benedicta moribundis an & quomodo applicanda.	300
Aspirationes piæ moribundis suggerendi.	294
Authoritas quid sit.	34
Ejus utilitas.	ibid.
Quomodo procuranda.	36

B.

Benevolentia quid sit.	37
Ejus	ibid.

Index rerum potiorum.

Ejus utilitas, & media.	38
Bonorum temporalium amor quomodo temperandus.	282
Bonorum temporalium jacturam possi quomodo consolandi.	140

C.

Captivorum cura cur suscipienda.	173
quomodo animandi.	174
quomodo occupandi.	180
quomodo muniendi contra tentationes.	189
Cereus benedictus moribundis cur offerendus.	295
Christi Crucifixi imago quomodo moribundis cur exhibenda.	296
Collocutio Operarii cum hominibus qualis esse debent.	69
Communitas quomodo instruenda.	86
Consolatio quomodo protestanda.	127
Conversatio Apostolica quid sit.	1
Quotuplex.	2
Ejus utilitas.	3
quomodo fructuosè instituenda.	5
Cura sui ipsius ante alios gerenda.	11

D.

Devotiæ Personæ quomodo instruendæ.	120
Diaboli studium in animabus perdendis.	45
Difficultatis horror quomodo tollendus vel minuendus.	51
Diffidentia nimia cavenda.	57
Divitibus quid observandum.	93

E.

Ecclesiasticum statum amplecti volentibus quid suadendum.	117
Elevatio mentis Operariis cur necessaria.	6
Evangelia apud ægros recitanda.	314

F.

Famæ detrimentum passi quomodo consolandi.	143
Familiaritas cum Deo in quo consistat.	27

Z 4

Quis

Index rerum potiorum.

Ejus necessitas.	16
Praxis.	21
Fidei tentationes quomodo superandæ.	277

H.

Hæreticorum instructio quomodo suscipienda.	30
ijdem quomodo ad professionem admittendi.	31
Honoris detrimentum passi quomodo consolandi.	143

I.

Impatienciæ tentatio quomodo superanda.	277
Indulgentiæ moribundis quomodo applicandæ.	291
Infirmi cur visitandi & juvandi.	204
quomodo visitandi.	209
quomodo consolandi.	221
quomodo occupandi.	231
quomodo ad virtutes excitandi.	240
quomodo ad confessionem inducendi.	267
quomodo ad communionem disponendi.	267
quomodo ad extremam unctionem disponendi.	272
Inimicitia quomodo tollendæ.	186
Intentio bona cur Operariis necessaria.	5
Invocatio Sanctorum in mortis hora quomodo faciendæ.	344
Judicibus quid observandum.	88
Juventus quomodo instruendæ.	123

L.

Laboris sterilitas quomodo tolerandæ.	96
---------------------------------------	----

M.

Magnates quomodo visitandi.	64
Manfuetudinis necessitas.	18
Matrimonium contrahere volentibus quid suadendum.	112
Moniales quomodo instruendæ.	106
Earum tentationibus quomodo occurrendum.	107
Mors Liberorum & Parentum quomodo tolerandæ.	143
Mulic-	

Index rerum potiorum

Mulierum visitatio quâ cautelâ sit suscipienda. 25

N.

Nobilitas vera quæ sit. 91
 Nobilibus quid suadendum. 90
 Nomina SS. JESUS & MARIA à moribundis cur pronun-
 nuntianda. 298

O.

Operariorum paucitas. 47
 Orationis desiderium quomodo moderandum. 49
 Orationes longiores affectum certum continentes. 346
 Orationes pro felici morte. 339
 Orationes pro moribundis dicendæ. 313, 331, 334
 Ordo commendationis animæ. 324

P.

Patresfamilias quomodo instruendi. 95
 Pauperes quomodo consolandi. 137
 Peccatorum cura cur & quomodo suscipienda. 160
 quibus mediis procuranda. 164
 Periculorum metus quomodo moderandus. 52
 Persecutiones quomodo tolerandæ. 150
 Perseverantiæ necessitas. 20
 Personarum acceptio cavenda. 16
 Personis quibus magis succurrendum. 17
 Psalmi super ægros recitandi. 314
 Protestationes S. Caroli Borromæi. 332
 Prudentiæ necessitas. 29
 Eius regulæ. 30
 Media. 33
 Purgatorii metus quomodo moderandus. 284

R.

Rei ad mortem quomodo disponendi ac animandi. 195

S.

Senatoribus quid observandum. 88

Z s

Solitu-

Index rerum potiorum.

Solitudinis desiderium moderandum.

T.

Tentationes moribundorum quomodo superanda.	277
Tentationes quomodo ferenda.	157
Testamentum quomodo faciendum.	278
Tribulati quomodo consolandi.	129
Tristitia quomodo toleranda.	151

V.

Viduis quid observandum.	103
Earum tentationibus quomodo occurrendum.	104
Visitatio Amicorum quo sine suscipienda.	60
quæ personæ visitanda.	63
quo tempore.	67
quo modo.	68
quibus industriis in ea utendum.	73
quæ pericula declinanda.	75
Vocatio Operario necessaria.	7
Uxoribus quid observandum.	98
Earum tentationibus quomodo occurrendum.	99

Z.

Zelus quid sit.	22
ejus necessitas & utilitas.	ibid. & 48.
ejus dignitas & præstantia.	23
Motiva ad eundem.	42
Exempla.	ibid.

Omnia ad majorem DEI
Gloriam.


Errores notabiliores.


fol. 2. lin. 34. modestias lege molestias. ibid. lin. 38. in-
structionis le. instructionis. fol. 16. lin. 22. interierit le. in-
troierit. fol. 21. lin. 22. noctu le. noctu. fol. 22. lin. 18. in-
flammare le. inflammare. fol. 27. lin. 35. rationi le. oratio-
ni. fol. 28. lin. 3. exige le. exigo. ib. lin. 12. circumferro le.
circumferre. ib. lin. 14. ur. le. ut. ib. lin. 19. tanto le. tanta.
ib. lin. 24. nolite timore le. nolite timere. fol. 29. lin. 22.
aversenda le. accersenda. fol. 49. lin. 9. ascensi le. accensi. fol.
57. lin. 36. pardidisset le. perdidisset. fol. 58. lin. 7. fructo.
le. fructu. fol. 63. lin. 27. sit le. sint. fol. 64. liu. 22. vinen-
di le. videndi. fol. 74. lin. 34. Bernurdi le. Bernardi. fol. 82.
lin. antep. elegitimam le. legitimam. fol. 92. exorment le.
exornent. fol. 94. tit. Philosophica le. Apostolica. fol. 95. lin.
30. inculumitas le. incolumitas. fol. 104. lin. 3. Operius le.
Operarius. fol. 126. lin. 22. mentire le. mentiri. fol. 132. lin.
15. sustelli le. sustolli. fol. 139. lin. 12. fir le. sit. fol. 144.
temporslem le. temporalem. fol. 151. persecutionum le. per-
secutionem. ibid. lin. 17. creasura. le. creatura. fol. 152. lin.
22. cummendet le. commendet. fol. 164. dicebat le. debeat.
fol. 182. lin. 12. peccatoria le. precatoria. ib. lin. 25. agra-
titudinis le. gratitudinis. fol. 188. lin. 4. jaculatoris le. jacu-
latoriis. fol. 189. lin. 33. te le. se. fol. 192. lin. 1. oculus le.
oculos. ib. lin. 20. miille le. mille. fol. 221. §. VI. le. VII. fol.
225. lin. 15. plebis le. plebi. fol. 226. lin. ult. omi le. omni.
fol. 232. lin. 36. ordin. le. ordine. ib. lin. seq. eut le. ut. fol.
233. lin. 11. frima le. firma. ib. lin. pen. fugeam le. lugeam.
fol. 246. lin. 14. promissu le. promissum. fol. 250. lin. 14. vo-
luntatis le. voluptatis. fol. 257. lin. 12. pei le. per. fol. 258.
lin. 17. cum le. eum. fol. 261. lin. 4. dispoat le. disponat. fol.
264. magnâ le. magnam.


Cætera errata benevolus Lector ipse
facilè corriget.

Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to its orientation and fading.


Carus eius benedictus ...
L. C.














J. R. P.
LOFFNER
PRAC.

Th
2829³